EXAMEN ORDINANDORVM,

IN QVO QVICQVID AD CLERICORVM INSTITVTIONEM PERTINERE VIDEtur, summa breuitate digestum est.

AVCTORIBVS,

R. D. IOAN. FERO.
IOAN. HOLTHVSIO.
GEORGIO VVICELIO.

NOVISSIME PER NICOLAVM *Aurificum Senens. Carmel. locupletatum, & summa diligentia recognitum.*

Quæ huic Examini accesserint versa pagina indicabit.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus Petri Henningi, sub signo Cuniculi.
ANNO M. DC. X.

QVAE OPERI ACCESserunt.

1. Epitome omnium dogmatum Catholicæ Ecclesiæ, de quibus hodie est controuersia.
2. Opusculum quoddam de dignitate, Vita, & Moribus Clericorum.

DE LECTIONE SACRAE SCRIpturæ Epigramma D. Prosperi.

Quamuis in sacris libris, quos nosse laboras,
Plurima sint, Lector, clausa, & opaca tibi;
Inuigilare tamen studio ne desine sancto:
Exercent animum dona morata tuum.
Gratior est fructus, quem spes productior edit:
Vltro obiectorum vilius est pretium.
Oblectant adoperta etiam mysteria mentem;
Qui dedit vt quæras, addet vt inuenias.

REVE-

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, AC DOMINO,

D. THEODORO RIPHAN NOVESIENSI,

SS. THEOLOGIAE Doctori, Episcopo Cyrenensi, Reuerendiss. atq; Sereniss. Principis ac Domini, D. ERNESTI ARCHIEPISCOPI COLONIENSIS, *S. Romani Imperij per Italiam Archicancellarij, Principis Electoris, &c. in Pontificalibus Vicario Generali, &c. Patrono suo colendissimo.*

LIBELLVM hunc EXAMEN ORDINANDORVM inscriptum, post repetitam iam pridem aliquoties

illius editionem, iteratò mihi in lucem dare visum est: Idque sub Tui nominis tutela. Caussam quæris? Duplicem habe, veram vtramque, & vt ego arbitratus sum, non minus iustam. Prior à Te. Vt enim iam non meminerim boni adfectus, beneuolentiæ, & comitatis quibus pro summo beneficæ naturæ Tuæ impulsu tum erga Socerum meū, tum me nunquam abundè satis vsus fuisti, pro nostris verò meritis plus quàm mereri possumus, aut compensare, cui potius eundem dare, dedicare debui, quàm Tibi ORDINANDORVM ANTISTITI, cuius est eos qui in hoc campo digni satis, & exercitati Palæstritæ ad sanctæ religionis propugnationem admittuntur, sa-
cris

cris sacrorum Ordinum initiare mysteriis? Altera causa ad me, & libellum. Quia lucem aliquam à Tua luce, & radios aliquot à Te religionis nostræ, & Ecclesiastici totius ordinis sole tenui huic, Typographico partui renouato toties, & renato me conciliare posse existimabam, si frontem eius insideret illustre Tui nominis auspicium. Accipe igitur, R.^me^ PRAESVL, operam hanc nostram eâ, quâ offertur, mente, exilem quidem mole sua, sed fructu grãdem, & minimè, vti spero, proposito animi Tui dissonum. Habe, faue, foue quoddam meæ in Te obseruantiæ testimonium, quod me faciliùs consecuturum à Te confidebam iam antea, si OPVSCVLVM illud de

dignitate, vitâ, & moribus Clericorum perfecto huic operi tanquam corollariũ aliquod adijcerem, atque hoc leui animi mei indice præstantiora Tibi à me temporis successu adornanda significarem. Vale REVERENDISSIME PATER, PATRONE AETERNVM OBSERVANDE. Datum Coloniæ 29. Ianuarij, Anno 1610.

Reuerendissimæ

Paternitatis Vestræ

obseruantissimus

Petrus Henningus
Bibliopola.

CATALOGVS QVAESTIONVM, QVAE IN Examine Ioannis Feri continentur.

Pro Subdiaconandis.

Pro Diaconandis.

Pro Presbyterandis.

Quo-

PRAECIPVORVM CAPITUM in Examine Ioan. Olthuſij contentorum index.

De in-

INDEX INTERROGATIONUM IN EXAMINE GEORGII *Wicelij contentorum.*

Quot.

FINIS.

INDEX ALPHABETICVS RERVM AC SENtentiarum totius operis insignium.

Suspen-

Finis Indicis Alphabet.

HIERONYMI PROLOGVS GALEATVS.

VIGINTI & duas literas esse apud Hebræos, Syrorum quoq; lingua, & Chaldæorum testatur, quæ Hebrææ magna ex parte confinis est. Nam & ipsi viginti duo elementa habẽt eodem sono, sed diuersis characteribus. Samaritani etiam Pentateuchum Moysi totidem literis scriptitant, figuris tantũ, & apicibus discrepantes. Certumq; est Esdram scribam, legisq; doctorẽ, post captam Ierosolymam, & instaurationẽ templi sub Zorobabel, alias literas reperisse, quibus nunc vtimur: cùm ad illud vsque tempus ijdem Samaritanorũ & Hebræorum characteres fuerint. In libro quoque Numerorum hæc eadem supputatio, sub Leuitarum, ac sacerdotum sensu, mysticè ostenditur. Et nomen Domini tetragrammaton in quibusdam Græcis voluminibus vsq; hodiè antiquis expressum literis inuenimus. Sed & Psalmi tricesimus sextus, & cẽtesimus decimus, & cẽtesimus vndecimus,

cimus, & centesimus decimus octauus, & centesimus quadragesimusquartus, quanquam diuerso scribantur metro, tamen eiusdem numeri texuntur alphabeto. Et Ieremiæ Lamentationes, & oratio eius: Salomonis quoq; in fine Prouerbia, ab eo loco in quo ait: Mulierem fortem quis inueniet? ijsdem alphabetis, vel incisionibus supputantur. Porrò quinq; literæ duplices apud Hebræos sūt: Caph, Mem, Nun, Pe, Sade: aliter enim scribuntur per has principia, medietatesq; verborū, fines. Vnde & quinq; à plerisq; libri duplices existimantur, Samuel, Melachim, Dibre haiamim, Esdras, Ieremias, cū Cinoth, id est, lamentationibus suis. Quomodo igitur viginti duo elementa sunt, per quæ scribimus Hebraicè omne quod loquimur, & eorum initijs vox humana cōprehēditur: ita viginti duo volumina supputantur, quibus quasi literis & exordijs in Dei doctrina, tenera adhuc, & lactens viri iusti eruditur infantia.

Primus apud eos Liber vocatur Beresith: quem nos Genesin dicimus.

Secundus, Veelle semoth, qui Exodus appellatur.

Tertius, Vaïcra, id est, Leuiticus.

Quartus, Vaiedabber, quem Numeros vocamus.

Quin-

Quintus elle haddebarim: qui Deuteronomium prænotatur. Hi sunt quinque Libri Moysi, quos propriè Thora, id est Legem appellant.

Secundum Prophetarum ordinem faciunt & incipiunt ab Iesu filio Naue: qui apud eos Iehosua bin Nun dicitur.

Deinde subtexunt Sophetim, id est, Iudicum librum: Et in eundem compingunt Ruth: quia in diebus Iudicum facta eius narratur historia.

Tertius sequitur Samuel, quem nos Regum primum, & secundum dicimus.

Quartus Melachim .i. Regũ, qui tertio, & quarto Regum volumine continetur. Meliusq; multo est Melachim, i. Regũ, quàm regnorũ dicere. Non .n. multarum gentiũ describit regna, sed vni' Israelitici populi, qui tribubus duodecim cõtinetur.

Quintus, est Isaias.

Sextus, Ieremias.

Septimus, Ezechiel.

Octauus, Liber duodecim Prophetarũ, qui apud illos vocatur Thereasar.

Tertius ordo: Hagiographa possidet. Et primus Liber incipit à Iob.

Secundus à Dauid: quem quinq; incisionibus, & vno Psalmorũ volumine comprehendunt.

Tertius est Salomon, tres Libros habens: Prouerbia, quæ illi Misse, id est, parabolas appellant.

Quartus Ecclesiasten, id est, Coheleth.

Quintus, Canticum Canticorũ: quem titulo Sir hassirim prænotant.

Sextus, est Daniel.

Septimus, Dibrehaiamim, id est, verba dierum: quod significantius Chronicon totius diuinæ historiæ possumus appellare. Qui liber apud nos Paralipomenon primus, & secundus inscribitur.

Octauus, Esdras: qui & ipse similiter apud Græcos & Latinos in duos libros diuisus est.

Nonus, Esther.

Atq; ita fiunt pariter Veteris Legis libri viginti duo, id est, Moysi quinque, & Prophetarum octo, Hagiographorum nouem. Quanquã nonnulli Ruth, & Cinoth inter Hagiographa scriptitent, & hos libros in suo putent numero supputãdos, ac per hoc esse priscæ Legis libros vigintiquatuor: quos sub numero 24. seniorum Apocalypsis Ioãnis inducit adorãtes Agnum, & coronas suas prostratis vultibus offerẽtes: stantibus corãm quatuor animalibus oculatis antè, & retrò, id est, in præteritũ & in futurũ respicientibus, & inde-

indefessa voce clamātibus: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens. qui erat, & qui est, & qui venturus est.

Hic Prologus scripturarum, quasi galeatum principium, omnibus libris, quos de Hebræo vertimus in Latinum, conuenire potest: vt scire valeamus, quidquid extra hos est, inter apocrypha esse ponendum. Igitur Sapientia, quæ vulgò Salomonis inscribitur, & Iesu filij Syrach Liber, & Iudith, & Tobias, & Pastor, non sunt in canone. Machabæorum primū librum, Hebraicum reperi: Secundus, Græcus est: quod ex ipsa quoq; phrasi probari potest. Quæ cùm ita se habeant, obsecro te Lector, ne laborem meū, reprehensionem existimes antiquorū. In Templo Dei offert vnusquisq; quod potest: alij aurum, argentū, & lapides pretiosos: alij byssum & purpurā, & coccum offerunt, & hyacinthum: nobiscum bene agitur, si obtulerimus pelles & caprarum pilos. Et tamen Apostolus contemptibiliora nostra magis necessaria iudicat. Vnde & tota illa tabernaculi pulchritudo, & per singulas species, Ecclesiæ præsentis futuræq; distinctio, pellibus tegitur, & cilicijs; ardoremque solis, & iniuriam imbrium ea quæ viliora sunt prohibent.

CATALOGVS LIBRORVM CANONICORVM veteris & noui Testamenti, ex 47. Concilij tertij Carthaginensis, celebrati circa annum Dom. 417.

ITEM *placuit, vt præter scripturas canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine diuinarum Scripturarũ. Sunt autem canonicæ Scripturæ, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Iesus Naue, Iudicum, Ruth, Regum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Iob, Psalterium Dauidicum, Salomonis libri quinque, libri duodecim Prophetarum, Esaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel, Tobias, Iudith, Hester, Esdræ libri duo, Machabæorum libri duo: Noui autem Testamenti, Euangeliorum libri quatuor, Actuum Apostolorum liber vnus, Pauli Apostoli epistolæ tredecim, eiusdem ad Hebræos vna, Petri Apostoli duæ, Ioannis Apostoli tres, Iudæ Apostoli vna, & Iacobi vna, Apocalypsis Ioannis liber vnus.*

Eundem catalogum recenset Concil. Laodicenum cap. vlt. Concil. Romanum sub Gelasio primo concil. Florentinum in instruct. Armenorum, concil. Tridentinum Seß. 4. B. Athanasius in synopsi, D. Hieronymus in Prologo galeato, & in epist. ad Paulinum de studio

ſtudio S. ſcript. B. Innocent. I. epiſt. 3. ad Exuperium cap. 7. B. Aug. lib. 2. de doct. Chriſt. ca. 8. B. Iſidorus lib. 6. Etymolog. D. Ioannes Damaſc. de fide orthod. lib. 4. cap. 18.

Eoſdem quoq; libros ſub nomine canonicæ, ſacræ, & diuinæ Scripturæ, citant reliqui ſcriptores Eccleſiaſtici : ac vt exempla ponamus, in ijs libris, quos aliqui olim de catalogo ſacrorum librorum tollendos eſſe putauerunt.

Librum Baruch tanquam ſacrum citant Clemens Alexand. li. 2. pædago. cap. 3. B. Cyprian. li. 2. contra Iudæos cap. 5. Euſebius Cæſarienſis lib. 6. demonſt. Euang. c. 19. B. Chryſoſt. hom. 2. in Matth. & hom. quòd Chriſtus ſit Deus. B. Ambroſ. lib. 1. de fide, ca. 1. B. Auguſt. lib. 18. de Ciuit. c. 33.

Librum Tobiæ agnoſcunt concil. Carth. 3. Roman. Florent. Trident. Innocent. Auguſt. Iſidorus locis ſuprà notatis, & Cyprianus in ſerm. de eleem.

Librum Iudith recipiunt ijdem, & ſynodus Nicæna prima general. teſte B. Hierony. in præfatione ſuper Iudith.

Librum Sapientiæ ijdem ibid. & Cyprianus lib. 4. ep. 1. & ſermone de mortalitate, & lib. de exhortat. martyr. cap. 12.

Librum Eccleſiaſtici pro ſacra Scriptura agnoſcunt ijdem, & B. Cyprian. in ſerm. de eleemoſ.

Libros Machabæorum recipiunt ſuprascripti locis notatis, & D. Cypr. de exhort, mar-

ᶜa.11. B.Ambros. lib.de Iacob, & vita beata ᶜa.11.& 12. D.Aug. lib.2. contra ep.. Gaudentij cap.23.lib.18 De ciuit.ca.36. B. Leo in serm.de S.Machabais.

Epistolam Pauli ad Hebraos agnoscunt omnes, qui texunt Indicem librorum canonicorũ, quos suprà citauimus, prater illos Concil.Nicenum I. teste D. Thoma in comment. super hanc Epistolam. Conc. Ephesinum primum, can.10. Origenes apud Euseb.li.6. hist. ca.18. eandemq; tanquam Pauli semper receperunt omnes Ecclesia Orientis, & omnes Graci, teste B.Hiero.in epist. ad Dardanum: nec vllus ferè est latinorum, qui eam nomine Pauli non citet.

Epistolam Iacobi pro canonica, & diuina Scriptura habent Concil.Laodicenum, Carthaginense 3. Romanum sub Gelasio 1. Florentinum, Tridentinum: Athanasius in synopsi, Hierony. Innocentius I. Augustinus, Isidorus, Damascenus locis suprà notatis, & praterea Concil.Mileuitanum ca.7. B. Hierony. de viris illustribus, D. Ambrosius in Psalmo 118. serm.7. Augustinus, & alij passim, qui ex ea tanquam diuina Scriptura testimonia adducunt.

Epistolam Iuda agnoscunt supradicti locis citatis, nec non D.Hierony. de viris illustribus, B. August. lib.18. de ciuit.cap.38.

Epistolam 2. Petri ijdem suprà citati locis notatis recipiunt, & praterea B. Hieronym. in epist. ad Cyprian. & B. August. lib.11. de

ciuit.

ciuit. Dei cap.33. & lib. de fide & operibus ca.24. & 25.

Epistolas 2. & 3. Ioannis omnes suprascripti in suis Catalogis librorum canonicorum ponunt, & præterea B. Hierony. in epist. ad Euagrium.

Apocalypsim præter supradicta concilia Carthaginense 3. Romanum, Florentinum, Tridentinum, & patres Athanasium, Hieronymum, Innocentium, Augustinum, Isidorum, Damascenum locis suprà adductis, recipi ab omnibus in Ecclesia tanquam Ioannis Euangelistæ, mandat Concil. Toletanum 4. canone 16. & passim sub nomine Ioannis Apostoli citat Iustinus martyr in Dialogo cum Triphone, & passim Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, &c. Philastrius inter hæreticos recenset eos, qui Apocalypsim sub nomine Ioannis Apostoli & Euangelistæ non recipiunt.

Præter Scripturam habuit semper Ecclesia traditiones non scriptas.

Ex Basilio cap.27. de Spiritu Sancto.

Eorum, quæ in Ecclesia cõseruata, & prædicata sunt, dogmatum, quædam ex scripta habemus doctrina, alia ex Apostolorum traditione, nobis quasi per manus in mysterio atq; arcanè tradita suscepimus: quæ vtraq; ad religionem Christianam eandem vim habent; & his nemo contradicet, quisquis vel

tenuiter Ecclesiasticorum rituũ peritus fuerit. Si enim consuetudines Scriptura non comprehensas, quasi exiguam vim habentes reijcere aggrediamur, imprudentes Euangelium ipsum suis potissimis mutilabimus partibus, imò verò ipsam Euangelij prædicationem ad nudum nomen contrahemus.

Consentit D. Chrys. hom. 4. in 2. ad Thes. scribens in hunc modum: Hinc patet, quòd nõ omnia per epistolam tradiderint, sed multa etiam sine literis: eadem verò fide digna sunt iam illa, quàm ista, &c.

Idem docet Synodus 7. actione 6. his verbis: Fatemur nos Ecclesiasticas traditiones siue scripto, siue consuetudine valentes retinere velle, quarum de numero est, Imaginum effiguratio, & infrà: Si quis traditiones Ecclesiasticas, siue scripto siue consuetudine valentes non curauerit, anathema sit.

Subscribit his concil. Trident. sess. 4. Doctores Græci, *Dionysius Areopag. lib. 1. de Eccles. hierar. ca. 1. B. Ignatius in epist. ad Heronem, B. Iustinus quæst. 118. B. Irenæus lib. 3. contra Valent. cap. 4. Clemens Alexand. lib. de Paschate, teste Euseb. lib. hist. cap. 11. Orig. hom. 5. in lib. Numerorum, Epiphanius lib. 2. hæres. 61. D. Ioannes Damasc. lib. 4. de fide ca. 13. & 17.* Doctores Latini, *Tertullianus lib. de corona militis, B. Cyprianus lib. 2. epist. 3. B. Hieron. in dialogo aduersus Luciferianos, & epist. 54. quæ est ad Marcellum aduersus Montanum. B. Aug. li. 2. de Baptismo contra*

Donati-

Donatistas cap.7.& lib.5.ca.23.26.& epist.148.ad Ianuar.B.Leo serm.2.de ieiunio Pentecostes,& reliqui omnes.

Traditiones Ecclesiasticas semper exhorruerunt hæretici, ad solam Scripturam appellantes.

De Valentino & Marcione hoc affirmant Irenæus lib.3.aduersus Valent. ca.2.& Tertull.lib.de Præscriptionibus hæreticorum. Arrianos in concil. Seleuciano palàm affirmasse,se nihil præter scripturam recipere,testis est Epiphanius,hæres.73. Idem Eunomio tribuit Basilius,& in 7.Synodo in confessione Basilij Ancyrani Anathematismo 7. eadem opinio asscribitur Nestorio,Eutychi,Dioscoro & Iconomachis. De hæreticis sui tẽporis idẽ asscribit D.Bernard.homil.66. in Cantica, & de Ioanne Wicleffo hoc ipsum testatur Thomas Walacensis lib.2.doctrinæ fidei antiquæ c.19. Hos imitantur nostra ætate sectarij.

Ipsam etiam Scripturam hæretici non recipiunt integram;& si quam partem recipiunt,eam quoque deprauant, & variis modis corrumpunt.

Ex Clemente Alexandrino lib. 7. Stromat.

Quanquam audeant Propheticis vti Scripturis,& hi qui hæreses colunt: primum quidem neq; omnibus:deinde neq; integris ,neq; quemadmodũ corpus & contextus prophetiæ dictat,vtantur.Sed eligẽtes ea quæ ambiguè dicta sunt,in proprias transferunt opiniones,

paucas sparsim decerpentes dictiones. Propemodum enim in omnibus dictis, quæ adducũt, inuenies ipsos vocibus solis mordicus adhærere, ipsa significata inuertentes.

Vetus testamentum, vel totum, vel magna ex parte reiecerunt Cerdoniani, Manichæi Ptolomeitæ, Nicolaitæ, de quibus lege Ephiphanium, D. Augustinum, & Philastrium de hæresibus, & Irenæum aduers. hæreses Valent. In nouo Testamento multa falsa affirmabat esse Faustus, apud August. lib. 33. contra Faustum cap. 3. Ex Euangelijs solum Euangeliũ Matthæi recipiebant Ebionitæ, teste Irenæo lib. 1. c. 26. Solo Euãgelio Lucæ vtebantur Marcionitæ, quod ipsum quoq; nõ nisi mutilum recipiebãt, teste Epiphanio hæresi 24. Actus Apostolorum, & D. Pauli epistolas non recipiebant Tatiani, & Seueriani, vt est apud Eusebium lib. 4. hist. Eccles. c. 29. Vtramq; epistolam ad Timotheum, vnam ad Titum, & ad Hebræos reijciebãt Marcion & Basilides, teste D. Hieronymo in præfatione epist. ad Titum, & eas quoq; Pauli epistolas, quas Marcion recepit, corrosit, & deprauauit, vt est apud Epiphanium hæres. 42. & apud Tertulianum per totum librum quintũ aduersus Marcionẽ. De Arianis, quòd ex Euangelio Ioannis eraserint illa verba, Quoniã Spiritus est Deus, *testatur D. Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto, cap. 11.*

Apocalypsim reijciunt Alogi, vt testatur Epiphanius hæres. 51. & August. hæres. 30.

Episto-

Epistolam D. Iacobi, & quosdam alios libros repudiant nostri temporis sectarij.

Ex Tertuliano de præscript. hæreticorum.

NIhil proficit congressio Scripturarum, nisi plane vt aut stomachi quis ineat euersionem, aut cerebri. Ista hæresis non recipit quasdam scripturas: & si quas recipit, adiectionibus, aut detractionibus ad dispositionẽ instituti sui interuertit: & si recipit, non recipit integras: & si aliquatenus integras præstat, nihilominus diuersas expositiones commentata conuertit. Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stylus. Variæ præsumptiones necessariò nolũt agnoscere ea, per quæ reuincuntur: his nituntur quæ ex falso composuerũt, & quæ de ambiguitate cœperunt. Quid promouebis exercitatissime Scripturarum, cùm si quid defenderis, negetur; ex diuerso, si quid negaueris defendatur? Et tu quidem nihil perdes, nisi vocem in contentionem: nihil consequeris, nisi vilem de blasphematione laudem. Ille verò si quis est, cuius causa in congressum descendis Scripturarum, vt eum dubitantem confirmes ad veritatem, an magis ad hæreses deuerget? Hoc ipso motus quod te videat nihil promouisse æquo gradu negandi & defendendi, diuersa parte statutum certè, & de pari altercatione incertior discedet, nesciens quam hæresim iudicet.

CENSVRA SVBDIACONANDORVM.

Vnde homini cognitio Dei.

Eccles. 1. Matt. 11. Ioan. 6. Esa. 54. * docibiles Dei.

AB ipso Deo. *Omnis sapientia à Domino Deo est. Et nemo nouit Patrem nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Item. *Erunt omnes* * *docti à Deo.*

Quomodo se reuelat Deus?

Rom. 1. Ioan. 10. Ioan. 10. Ioan. 1. Ioan. 14. Ioan. 17. Ioan. 15. Ioan. 16.

Quadrupliciter. Primò per opera sua. *Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt conspiciũtur. Opera quæ ego facio illa testimoniũ perhibent de me*. Secundò per verbum suum. *Ego dedi eis sermonem tuum, & ipsi cognouerunt quod à te exiui, & quòd tu me misisti.* Tertiò per filium vnigenitum. *Eum nemo vidit vnquam. Vnigenitus Filius qui est in sinu Patris, ille enarrauit nobis. Qui me videt, & patrem meum videt. Manifestaui nomen tuum hominibus, &c.* Quartò per Spiritum sanctum. *Cum venerit paracletus, ille testimonium perhibebit de me.* Item. *Ille me clarificabit, &c.*

Vnde homini religio?

Ioan. 15. Ezec. 36.

A Deo. Ipse eligit, vocat, sanctificat, trahit, dat spiritum, & voluntatem sibi seruiendi, operatur in nobis velle, & perficere, & omnia in omnibus. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Auferam à vobis cor lapideũ, & dabo vobis cor carneum, & spiritũ meũ*

ponam

ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis.

Religio quid?

Est cultus, quo Deum colimus: qui cultus Græcè dicitur Latria, vel Theosebia. Hæc Aug. lib. 10. de ciuit. Dei cap. 1. & 4. *August. To. 5.*

Religio vera qua? *Deut. 6.*

Diligere Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex omnibus viribus. August. vbi supra c. 4. Ad hoc tendunt priuatæ religiones. Vel secundum Iacobum: *Religio vera & immaculata apud Deum est, visitare pupillos, & viduas in tribulatione ipsorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* *Mat. 22. August. Tom. 5. Iac. 1.*

Vnde Religio dicta?

A religando, quia anima se vni Deo (vnde se peccato abruperat) reconciliatione, ac perpetuo seruitio religat. August. de vera Relig. cap. 55.

Idololatria quid?

Est cultus simulacrorum, vel vbi cultus Dei debitus creaturæ impenditur. *D. Tho. 2. 2. q. 94. a.*

Idololatria vnde dicta?

Ab Idolo, quod est simulacrum, & latria, quod est cultus.

Idololatria quotuplex.

Duplex: Spiritualis, vbi vel aliquid Deo præferimus, aut æquamus, vel vbi extra Deum in aliqua re omnem fiduciam nostram collocamus. Corporalis, vbi simulacra pro dijs coluntur.

Idololatria vnde ortum habuit?

1. Partim ex deceptione dæmonum, qui in cœlo gloriam Dei, & æqualitatem frustra affectantes; statim in terram deiecti, eandem vsurparunt.

2. Partim ex ignorantia hominum, & cæcitate.

3. Partim etiam ex peruersitate quorũdam hominum, qui sibi diuinum honorem vsurpabant.

4. Partim ex admiratione, & adulatione, quemadmodum concionante Herode, Tyrij, & Sidonij acclamabant, vocem esse non hominis, sed Dei. *Act.12.*

5. Partim etiam ortum habuit ex desiderio charorum. Sic Ninus Rex Assyriorum, in honorem Beli patris sui statuam fecit, quæ postea Bel, & Baal dicta fuit: vnde omnis idololatria ortum habuit. Hinc lib. Sapien. scribitur, *Superuacuitas hominum aduenit idola: Acerbo enim luctu dolens pater. &c.*

De Deo quomodo sentiendum?

Vt de summo & optimo bono, quod est fons, origo, causa, & finis omnis boni. *Ex ipso enim, & in ipso, & per ipsum sunt omnia.* *Rom.11.* *Ipse omnia circundat, omnia portat verbo virtutis suæ.* *Heb.1.* Vel de Deo sentiendum, quòd sit pater omnipotens, creator cœli, & terræ, vt docet Symbolum nostrum. Huc pertinet & Symbolum Athanasij.

Dei nomen quot modis accipitur in scripturis?

Qua-

Quatuor modis. Naturâ:& sic vnus solus est Deus. Falsa opinione, sicut dij gentium, Iupiter, Mars, &c. Præsumptione, vel vsurpatione, sicut Diabolus dicitur Deus huius mundi, & quidam tyranni, vt Alexander, Nabuchodonosor, se Deos nominabāt. Participatione gratiæ, itemq; vocatione, & adoptione. Sic dij dicuntur principes, sacerdotes, & omnes electi. *Ego dixi dij estis*. Itē dij dicuntur, ad quos sermo Dei factus est. Item principes *Dijs non detrahes*. Item Apostoli & sancti. *Dij fortes terræ vehementer eleuati sunt.* *Dan.4.* *Psal.81.* *Ioan.10.* *Exod.12.* *Psal.81.* *Exo. 21.* *Psal.46.*

Deus quid est?

Sicut nemo vnquam vidit Deum, sic nemo diuinam eius naturam satis explicare potest. In genere tamen, Deus est æterna illa mens, vel substantia spiritualis, qua nihil esse potest nec maius, nec sapientius, nec melius, sine initio, sine fine, simplex, sine vlla admixtione inuisibilis, incorporea, immensa, ineffabilis, inæstimabilis, quæ est ipsum esse, & à qua venit rebus conditis vt sint. Potest etiam ænigmaticè sic definiri: Deus est spiritus, essentia inuisibilis, omni creaturæ incomprehensibilis, totam vitam, totam sapientiam, totam æternitatem simul essentialiter possidens, idem ipse vita, ipsa sapientia, ipsa veritas, ipsa iustitia, ipsa æternitas existens, omnem creaturam instar puncti in se continens. Vt dicit Diuus Aug. de Cognit. veræ. cap. 7. *Ioan.1.* *Ioan.4.* *Au. tractat.1.23.24.& 38 & 102. in Ioan. To.1.*

Dei nomen proprium quod?

vide etiã Iſidorum lib.7.eth. c.1. Deus apud Hebræos (authore Hieronymo) decẽ nominibus appellatur. Apud nos multo pluribus nominibus appellatur. Dicitur enim Dominus, auxiliator, ſaluator, vita, robur, lux, Pater omnipotens, &c. Propriũm autem nomen Dei exprimitur in Exodo. *Exod.3.* *Ego ſum qui ſum.* quod Hebræi quatuor literis ſcribunt, Iehouah. Sic autem dicitur, propterea quòd natura eſt, & à ſe ipſo eſt, & à nullo accipit vt ſit, ac perpetuò eſt. Denique omnibus alijs dat vt ſint.

Dei vocabulum vnde?

Heb.4. Latinorum aliqui, putant Deum dici à dando, quod omnibus det. Alij Deum dici putãt ab eo quòd nihil ei deſit. Apud Grecos Θεὸς vel dicitur à Θεάομαι, quod eſt ſpeculari: nam ipſe Deus omnia videt & contẽplatur. Vel dicitur à θεῖν, quod eſt currere: quia vbique, cum opus eſt accurrit, & opem fert. Apud Germanos Dei vocabulum à bono deriuatum videtur.

Deus in quibus eſt?

Act.10. Secundum eſſentiam, præſentiam, & potentiam, vbiq; & in omnibus creaturis eſt. *In ipſo enim omnia viuunt, mouẽtur & ſunt.* Secundum gratiam autem in ſolis electis. *Ioan.14.* *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, 2. Cor. 6.* *& pater meus diliget eum, &c. ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Huiuſmodi enim homines ſunt templum Spiritus ſancti.

Deus

Deus quomodo summa rerum præsideat?

Ex ipso, & per ipsum sunt omnia: tamen aliqua per se solum agit, vt creare: Aliqua agit per Angelos: Aliqua per creaturas inanimatas, & corpora cœlestia: Aliqua per Apostolos: Aliqua per principes: Aliqua per dæmones, &c. Vel ita omnia dispensat, vt in cælo sit laudabilis, in terra mirabilis, in inferno terribilis. *Rom. 11.*

Spiritus quid?

In scriptura aliquando sumitur pro flatu spiritus aerij. Frequentius autem spiritus dicitur quicquid incorporeum est. Sic Deus dicitur Spiritus: Item Angelus, & animus humanus. *Act. 2. Ioan. 4. Heb. 1. Psal. 50.*

Angelorum officium quale.

Deo assistere. Dei mandata perferre. Hominibus ministrare. *Isa. 6. Luc. 1. Heb. 1.*

Diaboli natura quæ?

Ex seipsa bona, & eadem est cum natura Angelorum, nempe, substantia rationalis incorporea, quæ & beatitudinis capax fuisset, & esset, nisi ipse peccatum, & obstinationem addidisset. Quæ autem iam sit eius natura, & conditio, patet ex nominibus quibus appellatur in scriptura. Dicitur enim Satan, quia semper aduersatur Deo, & hominibus. Dicitur Leo, propter apertā impugnationē piorum. Dicitur Draco, propter occultas insidias. Dicitur Serpens, propter varietatem fraudum, &c. *Iob 1. 1. Pet. 5. Ps. 90. 2. Cor. 11.*

Diaboli.

Diaboli nomen vnde?

A græca dictione διαβολὴ, id est, calumnia. Diabolus enim idem est quod calumniator, quia calũniatur, & accusat, nedum
Iob.1. peccata, sed etiam bona nostra, vt patet, *Nũquid Iob frustra timet Deum, &c.*

Diabolus in quibus tyrannidem suam exercet?

Ephes. 2. In filijs diffidentiæ, hoc est, omnibus im-
Iob.1. pijs. Hi enim ad regnum eius pertinent. In pijs autem nihil iuris habet, nisi quantum Deus permittit.

Quomodo tyrannidem suam exercet?

Matt.12. Vel externè affligendo, vt patet in dæmoniacis, vel spiritualiter in peccata & errores
3.Re.2.2. inducendo. *Egrediar, & ero spiritus mendax, &c.*

Ecclesia quid?

Est congregatio filiorum Dei in Christo Iesu. Per Spiritum sanctum conciliata, vno verbo, & eisdem Sacramentis concorditer vtens. Vna fide, spe, & charitate, alijsque donis spiritus pollens.

Quotuplex Ecclesia.

Duplex, Militans, & triumphans. Militãs est, quæ adhuc militat, pugnat, & peregrinatur in terris, habens adhuc inter se commixtos bonos & malos, triticum & paleas, bonũ
Matt.13. semen & zizania. Triumphans autem est cœtus ille beatarum animarum cum Christo regnantium, qui de mundo, & diabolo

trium-

triumphauit,& regnat cum Christo securus in æternum.

Ecclesiæ vocabulum quale?

Est Græcum, à verbo ἐκκαλέω, quod est vocare. Vnde Ecclesia dicitur quasi euocata concio, vel congregatio, aut cœtus. Nam euocati sumus per verbum à Christo, à simulachris mortuis ad Deum viuum, & à tenebris ignorantiæ ad lucem Christianæ veritatis.

Ecclesia cur dicitur Christiana?

Quia vni Christo innititur, & ab ipso nomen habet.

Cur dicitur Sancta?

Quia sanguine Christi emundata, & spiritu Dei sanctificata est. Item quia habet, docet, & agit, quæ sancta sunt.

Cur Orthodoxa?

Quia rectè sentit, & credit, non errat. Sequitur enim vocẽ pastoris sui. Et habet spiritum doctorem. Ideo ab Apostolo vocatur columna, & firmamentum veritatis. Orthodoxus enim rectè sentit. *Ioan. 10. Ioan. 14. 1. Tim. 3.*

Cur dicitur Catholica?

Quia vniuersalis est, non alligata vni loco, sed se diffundit in quæuis tempora, & loca. *dicitur à κατὰ ὅλυ, id est, secundum totũ, seu in vniuersum.*

Ecclesia quid differt à Synagoga?

Synagoga est congregatio. Quod autem Synagoga expectabat, hoc Ecclesia habet, & possidet. Synagoga habuit vmbram, & figuras: Ecclesia habet lucem & veritatem. *Heb. 10.*

Hierar-

Hierarchia quid?

Sacer principatus, vel ſacrum regimen.

Eccleſiaſtica Hierarchia quid?

Eſt ordinaria poteſtas maiorum, & minorum Prælatorum in Eccleſia; quorum intereſt purgare per correctionem, illuminare per doctrinam: & perficere per Sacramentorum adminiſtrationem.

Eccleſiaſtica Hierachia quotuplex?

Duplex. Non enim ſunt niſi duo ſtatus Hierarchici in Eccleſia, maiorum, ſcilicet, & minorum prælatorum. Sicut Chriſtus non habuit niſi Apoſtolos, quibus Epiſcopi, vel maiores prelati; & diſcipulos ſeptuaginta, quibus ſacerdotes, & minores prælati ſucceſſerunt.

Ordo quid?

Eſt ſignaculũ quoddam, quo per manuũ impoſitionẽ, & alias cæremonias, in adminiſtrationem Verbi & Sacramẽtorum ſpecialis poteſtas, & gratia datur ordinatis.

Ordo, vel ordinatio potius an Sacramentum?

Eſt Sacramẽtum quia inſtitutum à Chri-
Luc. 22. ſto, cum dixit, *Hoc facite in meã commemo-*
Ioan. 20. *rationẽ.* Itẽ, *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos.* Deinde habet ſuam promiſſionẽ: ibi-
Ioan. 20. dem. *Accipite Spiritum ſanctum &c.* Præterea habet ſuum ſignum externum, impoſitionem ſcilicet manuum. Poſtremò confert gratiam.

gratiam. Paulus: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum presbyteri.* Itẽ, *Admoneo vt resuscites gratiam, quæ in te est per impositionẽ manuum mearum.* *1. Tim. 4.* *2. Tim. 1.*

Quotuplex est ordo?

Aliqui dicuntur Ordines minores, alij maiores.

Quæ cuiusque ordinis nomenclatura.

Primus, est Ordo Ostiariorum: Secundus, Lectorum: Tertius, Exorcistarum: Quartus, Acolythorum: Et hi quatuor dicuntur ordines minores, quia longè disponunt, & deseruiunt ad sacrificium altaris. Quintus est Subdiaconorum: Sextus Diaconorum: Septimus presbyterorum. *vide dist. 21. c. Cleris.*

Quod officium cuiusq; ordinis?

Ad Ostiarium pertinebat dignos ad tẽplũ recipere; indignos repellere. Ad Lectorẽ, Psalmos, & lectiones cantare. Ad exorcistam (quod interpretatur adiurans vel increpans) pertinebat super inquietos, qui à spiritibus immundis vexabantur, aut dæmoniorum illusionibus, & terriculamentis agitabantur, nomẽ Domini inuocare, adiuratum spiritũ eijcere, vel compescere. Acolythus dicitur affectator comes, ministrans, vel non prohibitus, quia constitutos in maioribus Ordinibus proximè cõitabatur. Eius officium erat, portare funalia, & cereos in signum lætitiæ, vt fidelium animi incitarentur ad contemplandam Euangelicam lucem,

&eri-

& erigendam mētem ad veram lucem, quæ Christus est. Subdiaconi officium est; Calicem & panem ad altare portare, vinū ministrare celebrāti, corporalia lauare, Epistolam legere, & quantum sufficit, de oblationibus consecrandis super altare ponere. Diaconus significat ministrum. Eius officium est, pauperum curam gerere, Episcopis, & presbyteris ministrare, prædicare Euangeliū, Ordinandos, & baptizandos offerre, &c. Presbyteri sunt seniores, propter dignitatē, doctrinam, & grauitatem morum. Horum officium est, prædicare, soluere, ligare, consecrare, & Sacramenta administrare. Episcopus, superattendens, vel superintendēs. Hic (si ordo accipiatur pro Sacramento) non est Ordo, quia circa Sacramentum Eucharistiæ non habet maiorem potestatem, quàm sacerdos alius. Si autem ordo accipitur pro gradu dignitatis, Episcopatus est specialis Ordo, quia habet specialem potestatem in actionibus Hierarchicis, respectu corporis Christi mystici super sacerdotes. Ordo est vnum Sacramentum respectu finis, quia omnes Ordines etsi diuersi sunt, in vnū tamen finem ordinantur, id est, ad Corpus Christi, verum & mysticum.

Episcopatus aliquando est specialis ordo, aliquando non.

Horarum canonicarum ratio quæ?

Sunt debitæ gratiarum actiones, pro certis & magnis Dei beneficijs. Quāuis enim duodecim sint horæ diei, harum tamen septem Christus clarissimis misericordiæ suæ radijs

Ioan. 4.

radijs illustrauit. Prima hora laudes canimus Christo, quòd pro nobis summo mane illusus, conspurus, & vinctus, Pilato traditus fuit. Tertia, quod flagellatus, & spinis coronatus fuit. Sexta, quòd crucifixus. Nona quòd emisit spiritum. Vespere, quod sepultus. Hora completorij, quòd in monte Oliueti pauere & tædere cæpit, & sanguinem sudauit. Hora autē matutina, quod pro nobis captus ligatusque fuit, à discipulis derelictus & negatus, ab impijs falsò accusatus. Itemque quod eadem hora post tres dies resurrexit.

Missa quid.

Est passionis Christi cōtemplatio, & quasi repræsentatio. Nam ab introitu vsq; ad Canonē, Christi aduentus, & tota eius vita vsq; ad passionē: à Canone vsq; ad complendam passio: à cōplenda vsq; ad benedictionē, sepultura & resurrectio exprimitur. Benedictio significat ipsam ascendentis Christi benedictionem. Missa duplicem rationem habet. *Mar. 16.* Primò sacrificij, quatenus mors & sacrificiū Christi in ea commemoratur. Secundò Sacramenti, quatenus corpus & sanguis Christi, quæ in panis, & vini specie continentur, sumuntur.

Missæ vocabulum quale?

Videtur à mittendo deriuatum esse, propterea quod ad placandum Deum in sacrificio Missæ valens & idonea mittatur legatio. Reuera autem dictio Hebræa est, idem

significans quod Liturgia Græcè, quod Latinè sonat sacrum ministeriũ. Hebraicè enim Missah significat oblationem spontaneam. *Oblationem spontaneã offeres, iuxta benedictionem Domini Dei tui.*

Deut.16.

Quid significat introitus?

Introitus Missæ significat introitũ & aduentum Christi in mundũ. Cantus autem, quem introitũ dicimus, significat voces, & prænunciationes prophetarum, quibus prędixerunt futurum aduentum Christi.

Kyrie eleyson?

Id est. Domine miserere, significat orationes, & suspiria patrum pro Christo.

Gloria in excelsis.

Luc.2.

Significat gaudium Angelorum de nato Christo.

Collecta?

Significant orationes, laudes, & vota eorum, quibus Christi aduẽtus primò fuit reuelatus. Quales fuerunt sanctissima Virgo, Zacharias, Elisabeth, Pastores, Symeon, & Anna, itemque Magi.

Vel collectæ indicãt, quod tota vita Christi, continua pro nobis & perpes oratio fuit.

Epistola?

Officium agit legis & Prophetarum, qui ante prædicatum Euangelium intercesserũt.
Tit.3. Maximè autem designat tempus hoc, quo
Luc.1. præcursor Christi Ioannes, viam venienti Domino sua prædicatione præparauit.

CENSVRA DIACONANDORVM.

Ministerium verbi quale?

PRædicare Euangelium omni Creaturæ, vel prædicare Legem & Euangelium, præcepta, & promissa, fidem, & opera. Baptismum, & præcepta Christi. *Euntes baptizate, docentes eos seruare omnia, quæ præcepi vobis.* Mar. 16. Mat. 28.

Quid continetur nomine Canonicæ Scripturæ?

Vetus & nouum testamentum. Dicitur autem scriptura Canonica, id est, regularis, quia à Deo nobis data est vitæ, & veritatis regula, qua omnia probemus, & iuxta quam viuamus. Vel dicitur Canonica, quæ citra vllam controuersiam, afflatu sancti Spiritus prodita est, irrefutabilis existens authoritatis, & de cuius fide nefas est dubitare.

Quare dicitur vetus testamentum?

Testamentum propriè dicitur ordinatio illa, qua morientes ordinãdo res suas, animi sententiam testantur. Interdum in scriptura accipitur pro fœdere, & pacto. Testamẽtum igitur vetus, est fœdus illud quod Deus pepigit cum Abraham & semine eius, promittens eis terram Chanaam, & quod vellet eorum esse Deus. Hoc testamẽtum vel fœdus confirmatum fuit in datione Legis, cum Gen. 16. & 17.

Moyses sanguine vituli aspergeret populum *Hic* (inquit) *est sanguis fœderis, &c.*

Exo. 24. Ob hanc causam ea pars scripturæ, quæ vetus illud pactum Dei cũ semine Abrahæ continet & tractat, dicitur vetus Testamentum.

Quare dicitur nouum Testamentum?

Mat. 26. Quia cõtinet nouum illud fœdus, quod Deus pater per Christum nobiscum pepigit, promittens nobis remissionem, gratiã, & vitam æternam: quod fœdus per sanguinem Christi confirmatum fuit.

Quæ sunt veteris Testamenti volumina?

Vide Con. Tri. dent. Ses. 3. Genesis, Exodus, Leuiticus, Numerorum liber, Deuteronomium, Iosue, Iudicũ, Ruth, Regum lib. 4. Paralipomenon lib. 2. Esdræ li. 4. Tobias, Iudith, Hester, Iob, Psalterium, Prouerbia, Ecclesiastes, Cantica canticorum, liber Sapientiæ, Ecclesiasticus, Esaias, Hieremias, Threni, Baruch, Ezechiel, Daniel, lib. Prophetarum, Machabæorum libri duo.

Horum aliqui olim dicebantur Apocryphi, id est occulti, propterea quòd domi quidem & priuatim, pro suo cuiusque animo fas esset eos legere: In Ecclesia autem publicè non recitabantur, nec quisquam eorum authoritate premebatur.

Dist. 24. ca. sancta Romana Ecclesia. Hi sunt nouem: videlicet tertius & quartus Esdræ; Thobias, Iudith, Sapientiæ liber, Ecclesiasticus, Baruch, & Machabæorum duo libri.

Omnes libri Veteris Testamenti, num. 37

Irrefu-

irrefutabilis authoritatis, etiam apud Iudæos.

Omnes alij dicuntur Canonici, quia sunt Canonicorum 28. Apocryphorum, nouem.

Quæ sunt noui testamenti volumina?

Euangelia Matthæi, Marci, Lucæ, & Ioannis. Acta Apostolorum. Epistolæ Pauli quatuordecim, videlicet, ad Romanos, ad Corinthios, duæ ad Galathas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Thessalonicenses duæ, ad Timotheum duæ, ad Titũ, ad Philemonem, ad Hebræos: Epistolæ Canonicæ septem, videlicet, Iacobi vna, Petri duæ, Ioannis tres, Iudę vna, & Apocalypsis. Omnes libri noui testamenti num. 27.

Qui sunt authores singulorum librorum?

Pentateuchum scripsit Moyses, excepto vlt. cap. Deut. quod forte à Iosue adiectum fuit. Alij libri, quibus nomina propria præfigũtur, videntur ab his scripti, quorum nomina prę se ferunt, vt Iosue, Esdras, Iob, Tobias, Esaias, &c. Alios, qui nullum nomen præ se ferunt, putant vel Samuelem, vel Esdram, aut alium quempiam ex Prophetis scripsisse, Prouerbia, Ecclesiasten, & Canticũ Canticorum scripsit Salomon. Sapientiæ librum Philo Iudęus (secundum Hieronymum) Ecclesiasticum autem Iesus filius Syrach: Machabęorum auctor incertus est.

Qua lingua scripti sunt libri sacræ scripturæ?

Omnes libri veteris Testamenti scripti

fuerunt lingua Hebræa, exceptis Hester, & Daniele, qui secūdum aliquos lingua Chaldaica: Et Sapientiæ, Ecclesiastico, librisque Machabæorum, qui lingua Græca scripti fuerunt.

Omnes autem libri noui Testamenti, ab exordio, Græca lingua fuerunt scripti, pręter Euangelium Matthæi, & Epistolam ad Hebręos, qui duo libri Hebraicè scripti fuerūt.

Quibus argumentis probatur scripturæ canonicæ auctoritas?

Multis. Nam primo ex veritate rerum, quas continet.

Secundò, ex miraculis, quibus ab exordio confirmata fuit, tā in veteri, quàm in nouo Testamento.

Tertiò, ex sui ipsius cōsonantia, tota enim scriptura ad vnum finem tendit, nempe, vt
Ioan. 10. Deus cognoscatur, & colatur.

Quartò, ex acceptatione Ecclesiæ, quæ vocem pastoris sui Christi agnoscit alienorum autem voces fugit. Postremò non par-
Luc. 24. uam auctoritatem confert Scripturæ sacræ sanctitas scriptorum, quos constat Spiritu sancto plenos fuisse, & vel à Deo doctos, vel à Christo.

Vetus lex quibus constat?

Lege, Prophetis, & Psalmis, vel pręceptis, & promissionibus.

Noua lex quibus constat?

Prædicatione gratiæ, & Sacramentorum.

Quæ est differentia veteris & nouæ legis?

Vetus, fuit lex timoris, quia minis cogebat ad sui obseruantiam. Noua autem est lex amoris, quia donis & promissis allicit. Vel, vetus lex multa præcipiebat, sed non dabat spiritum: Noua autem dat Spiritum sanctũ. Vel, vetus lex fuit vmbra: Noua autem est veritas. Illa habuit figuras, hæc præstat. Vel, vetus testamentum docet de Deo creatore, & gubernatore: Nouum autem de Deo redemptore, & glorificatore. Vel simpliciter, vetus, & nouum testamentum non differũt re ipsa, vtrobique traditur, vnum esse Deum; & hunc solum colendum; colendum autem spiritu innocentiæ, & fide. Item vnicam esse orbis iustitiam, & redemptionem, vnicũ sacerdotem, & sacrificium, nempe Christum, Dei & hominis filium. Sperandam quoq; à Deo animarũ perpetuitatem, & resurrectionem corporum. Differunt tamen hæc duo Testamenta in modo tradendi. Nam illis omnia contingebant in figura, nobis autem illa euenerunt citra figuram.

Ioan. 4.

1. Cor. 10.
Heb. 1.

In quo differunt Cæremoniæ legis à Sacramentis nostris?

Quod Cæremoniæ significabant (nempe gratiã Dei) hoc Sacramenta nostra præstant. Cæremoniȩ tantum significabant, non sanctificabant, Sacramenta autem nostra, & significant & sanctificant.

Magist. sent. in 4. dist. 1.

Sacramentum quid est?

Sacramentum apud Ethnicos scriptores
1.Tim.6. est iusiurandum, seu obligatio numinis vel religionis interuentu confirmata. In scriptura autem, idem est quod mysterium, id est,
Mag.sen. in 4. dist. 1. sacrum secretum, seu religiosum arcanum. Frequentius tamen Sacramentum dicitur sacræ rei signum, quòd eius similitudinem gerit, & causa existit.

Vel, Sacramentum est signũ sensibile fidei protestatiuũ, ex institutione diuina, signans donum diuinum suscipiendum, ad eius qui percipit salutem ordinatum.

Sacramenta quot sunt?

Septẽ, videlicet, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema vnctio, Ordo, & Matrimonium. Ex scripturis enim animaduertunt patres, hæc septem mysteria rectè ac propriè dici Sacramenta, propterea quòd ista sint signa inuisibilis gratiæ Dei quam impartiuntur, imaginem gerant, & causa sint.

Baptismi sacramentum Christus instituit, cùm dixit: *Euntes & prædicate Euangelium omnibus gentibus, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Mat. 28.

Luc.14. Cõfirmationis, cũ dixit: *Sedete in ciuitate donec induamini virtute ex alto.* Eucharistię
Mat. 26. Luc.22. cũ dixit: *Accipite & mãducate, &c. Hoc facite in meam commemorationem.* Pœnitẽtię
Ioan. 20. cum dixit: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* Extremę vnctionis, cum Apostolos emisit ad prędicandũ,
Mat. 28.

& illi

& illi exeuntes vngebant oleo multos ęgros & sanabantur. Et per Iacobum dixit: *Infirmatur quis in vobis, inducat presbiteros Ecclesiæ, & orent super ipsum vngentes eum oleo, &c.* Ordinis cum dixit: *Sicut me misit Pater, sic & ego mitto vos.* Item cum elegit duodecim Apost. Et cum designauit alios septuaginta duos. Matrimonij autem Sacramentum institutum confirmauit, cū dixit. *Quos Deus coniunxit, homo non separet.*

Marc. 6. *Iac. 5.* *Ioan. 20.* *Matt. 10.* *Luc. 10.* *Matt. 19.*

Quot res in quolibet Sacramento spectantur?

Duæ; Verbum, & Elementum. Verbū est inuocatio Trinitatis verbo promissionis innixa. Elementum est aqua, oleum, panis, & vinū, &c. Vel aliter, in quolibet Sacramento multa spectātur videlicet, institutio diuina, debita materia, debita verborū forma, idoneus minister, fides in suscipiente, intentio recta in ministro, &c.

Quare instituta sunt Sacramenta?

Vt sint remedia contra peccatum, certa, efficaciaque signa voluntatis, gratiæ Dei, in sensum externum incurrentia, & monentia, & erudientia nos, vt quod foris in specie visibili fieri cernimus, intus per Dei virtutem effici credamus. Item etiam ideò instituta sunt sacramenta, vt sint velut Symbola, quibus Christiani se mutuò agnoscant, & in vnione contineantur.

Peccatum quid est?

Quicquid vel omissione, vel cōmissione contra Dei legem fit.

Peccatum quotuplex?

Triplex. Originale, Actuale, & omissionis. Originale cõtrahimus à parentibus. Actuale fit contra pręcepta negatiua. Peccatum autem omissionis, contra præcepta affirmatiua.

Actuale peccatũ, est duplex: Veniale scilicet, & mortale, &c.

Pœnitentia quid?

Est conuersio hominis peccatoris ad Deũ, qua ex animo odit peccata, cum propõsito deinceps non peccandi. Vel pœnitentia est anteacta peccata deflere, deflenda iterum nõ committere. Vel, pœnitentia est secunda tabula ad quam homo post naufragium peccatorum, vt saluetur, se conuertit.

Pœnitentiæ quæ partes?

Contritio, confessio, Satisfactio. Contritio est dolor, quo homo commissa deflet, & quodãmodo in sese dolẽdo vindicat. Hunc dolorem partim excitat timor, partim amor iustitiæ.

Confessio quotuplex?

Triplex. Confessio fidei, Cõfessio diuinæ laudis, & confessio peccatorum. Confessio peccatorũ etiam triplex est, interna scilicet, quæ Deo fit: Fraterna qua proximus offensus reconciliatur: Ecclesiastica vel Sacramentalis, quæ fit coram Sacerdote.

Satisfactio quid?

Aug. lib. de dogma tibus. Est causas peccatorum excindere, & earũ suggestionibus aditum non præbere. Vel sa-

tisfactio est solutio debiti, quod diuina exigit iustitia, ob offensam in suam legem cōmissam. Vel, satisfactio est dignos poenitētię fructus facere, id est, commissis peccatis aduersa facere. Duplex autē est satisfactio, vna quæ meretur remissionem peccatorum, & abolet mortem æternam. Hæc soli Christo tribuitur, qui dedit semetipsum pro nobis vt redimeret nos ab omni iniquitate, factus propitiatio pro peccatis nostris. Et hæc est vera satisfactio. *Eccl. 5. & li. de falsa pœniten. c. 8. & c. satisfactio dist. 3. de pœnitentia. Io. 2.*

Alia est satisfactio, quæ tantū abolet pœnam temporariam, quā Deus interdum etiā post remissam culpā exigit, vt patet in Dauide. Et hæc est pars pœnitentiæ. Fit autem Oratione, Ieiunio, Eleemosyna, mortificatione carnis, & innouatione vitæ. *2. Re. 12. Satisfactio quibus constet.*

Quæ clauium potestas?

Aperire, & claudere, hoc est remittere peccata credentibus, & pœnitētibus, & retinere eadem incredulis & impœnitentibus. Item ligare criminosos, & absoluere pœnitentes. *Matt. 18. Ioan. 20.*

Duæ sunt claues, Ordinis, Iurisdictionis. Clauis ordinis, est potestas vocationis, & functionis, seu ministerij sacerdotalis, qua qui fungitur, Christi personā in Ecclesia repræsentat, omniaq; non suo, sed Christi nomine agit. Hęc cōplectitur potestatem prædicandi Euangelij, consecrādi corpus Christi, remittendi & retinendi peccata, & administrandi Sacramenta: *Claues ordinis.*

Clauis iurisdictionis est potestas coercendi *Clauis iurisdictionis.*

criminosos, vel excommunicandi publicè delinquentes, eosdē rursus absoluendi, si cōuersi hoc petant. Ad vtranque pertinet non tantum potestas, sed etiā sciētia discernendi inter ligandos, & soluendos. Ideò etiam nominantur claues scientiæ, & potestatis.

Catechesis quid?

Instructio baptizandorum in fide.

Quæ ratio eius? Vel quid opus instructione?

Heb. 11. Accedentem ad Deum oportet credere. Rom. 10. Nemo autem credit in eum, de quo nihil audiuit. Necessaria igitur erit Catechesis, de nouo venientibus ad Ecclesiam. Huius quidem forma etiam nunc baptizando adhibetur. Cæterum susceptoribus paruulorū incumbit eādem adimplere, postquā suscepti ad annos discretionis venerint. Catechesis autem Christiana cōplectitur articulos fidei, Decem præcepta, Orationem Dominicam, & rationem Sacramentorum.

Baptismus quid?

Tit. 3. Latinè est tinctio vel lotio, aut ablutio. Magist. sent. in 4. dist. 3. Baptismus est lauacrum regenerationis & renouationis. Vel est signum sensibile ex institutione diuina significans mortem veteris hominis & renouationem noui. Vel ablutio exterior corporis, cum inuocatione sanctæ Trinitatis, ex institutione diuina significans ablutionem animæ à peccatis.

Vel est signum fœderis, quod Deus per Christum nobiscum pepigit, quo & ipse nobis promisit, quod velit esse Deus noster, &

nos

nos ei promittimus, quod ipsum solum colere velimus.

Baptismus quotuplex?

Triplex: Fluminis vel aquæ; Flaminis vel Spiritus; & sanguinis. De Baptismo aquæ dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Ioan.3.
De Baptismo flaminis dicitur. *Vos aũt baptizabimini Spiritu sancto & igni.* De Baptismo sanguinis dicit: *Potestis bibere calicem, quẽ ego bibo; & baptizari baptismo, quo ego baptizor?* Act.1. Matt.3. Luc 3. Marc.10.

Eucharistia quid?

Græca dictio est, idem significans quod gratiarũ actio. Sic autem nominatur Sacramentum corporis & sanguinis Christi, quia summorũ bonorũ nos admonet, quę gratiarum actionẽ exigunt. Item quia ipsum offerimus Deo in laudem, & gratiarum actionem pro beneficio redemptionis nostræ.

Cur dicitur Synaxis?

Synaxis Græcè, Latinè dicitur conciliatio, communio. Dicitur autem Sacramentũ hoc Synaxis vel communio, quia omnes de vno pane, & de vno calice participamus.

Imò vnus panis, vnum corpus efficimur. 1.Cor.10.
Per hoc enim mysterium significatur arctissima coniunctio corporis mystici cũ capite, id est, Christi & Ecclesiæ; & omnium Christi membrorum inter se.

Cur dicitur cœna Domini?

Quia in vltima cœna fuit institutum, & in eius memoriam celebratur. Mat.26.

Quæ est cuiusque Sacramenti vis, & vsus?

Vis sacramenti		Est cōferre gratiam Spiritus S. Ad	Vsus autem est
	1. Baptisin.	1. Remissionem peccatorum, maximè originalis.	1. Exuere veterem hominem, & induere nouum.
	2. Confirmationis.	2. Robur & tutelam.	2. Fortiter resistere tentationibus.
	3. Pęnitentiæ.	3. Purgationem peccatorum actualium.	3. Iugū domini patiēter ferre.
	4. Eucharistiæ.	4. Spiritualem refectionem.	4. Etiam seipsum totum dare Deo, & proximorum vtilitati sicut Christus.
	5. Ordinis.	5. Debitam executionē officij suscepti.	5. Noua vita operi, & ministerio insistere,
	6. Matrimonij.	6. Coniunctionem mutuam animorum.	6. Seruare fidem, & educare prolem.
	7. Extremę Vnctionis.	7. Purgationem venialium peccatorum.	7. Fœliciter, & securè in Domino mori.

Graduale quid significat?

Lamentum pœnitentiæ, quod Ioanes excitauit, cùm diceret; *Pœnitentiam agite. Genimina viperarum: securis ad radicem arboris posita est.* Matt. 3. Luc. 3.

Alleluia quid significat?

Consolationem, quam addidit præcursor ostendendo Christum. *Ecce, inquit, Agnus Dei, &c.* Ioan. 1. vel gaudium sempiternæ societatis, post luctum pœnitentiæ, & peregrinationem huius vitæ. Post Alleluia sequitur prosa, quæ & ipsa cantus est lætitiæ, ad significandam geminam stolam, glorificationem scilicet corporum, & animarum. Tractus significat tædium & molestiam, & laborem præsentis incolatus.

Euangelium?

Significat prædicationem Christi.

Credo?

Fidem Apostolorum, & confessionem Petri, *Tu es Christus filius Dei.* Matt. 16.

Offertorium?

Significat quod post prædicationem Euangelij, non tantum sequi debet fides in corde, sed etiam laus in ore, & fructus in opere, vt scilicet tam nos, quàm nostra Deo offeramus, qui tanta nobis dat, & promittit per Euangelium.

CENSVRA PRESBY-TERANDORVM.

Summa doctrinæ Christianæ quæ?

1. Tim. 1. *Mat. 22.* CHARITAS de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta. In hac enim vniuerſa lex pendet & Prophetæ.

Ioan. 17. Vel, ſumma doctrinæ Chriſtianæ, eſt agnoſcere Deum, & quem miſit Ieſum Chriſtũ.

Rom. 10. Vel, ſumma doctrinæ Chriſtianæ, eſt Chriſtus finis legis ad iuſtitiam omni credenti.

Deus quomodo eſt trinus cùm ſit vnus?

Exemplũ naturale ad oſtendendum aliqua ratione ſanctiſſimã Trinitatem. Trinus eſt in perſonis, vnus tamen in ſubſtantia vel vnitate eſſentię. Sicut ſol vnus eſt in natura, nunquam tamen eſt ſine calore, & luce.

Quid cuiq; perſonæ proprium eſt?

**Athan. in Symbolo.* * Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus. Filius à patre ſolo eſt, non factus, nec creatus ſed genitus: Spiritus ſanctus à patre, & filio non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens. Patri ergo proprium eſt, quod ipſe generet. Filio proprium eſt, vt ſit genitus. Spiritui ſancto proprium eſt, vt procedat. Item Patri appropriatur maieſtas, ſiue potentia, & creatio. Filio appropriatur ſapientia, & redemptio. Spiritui ſancto appropriatur bonitas, & ſanctificatio.

Communia autem tribus perſonis ſunt, Deus, deitas, magnitudo, virtus, maieſtas, æterni-

æternitas,&c. Item Charitas,ignis,lux,&c. Item creator,redemptor,refugium, &c.

Quid sanctæ Trinitati commune est?

Omnia quæ essentiam cõcernunt. Qualis enim Pater, talis Filius, talis & Spiritus sanctus. Increatus Pater,&c. Immensus Pater, &c. Deus Pater,&c. Sic Dominus pater, Dominus filius, Dominus Spiritus sanctus. Et in hac Trinitate,nihil prius aut posterius; nihil maius,aut minus: sed totæ tres personæ coeternæ sibi sunt, & coæquales, &c. *Athan. in Symbolo.*

Deus quomodo creauit hominem?

Formauit hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. Item creauit Deus hominẽ ad imaginem & similitudinem suã, ad imaginem Dei creauit illum, masculum & fœminam creauit eos. *Gene.2.* *Gen.1.*

Quare creauit hominem?

Vt præesset piscibus maris, & volatilibus cœli,& bestiis vniuersæ terræ, omnique reptili,quod mouetur in terra. Vel hominem creauit Deus propter se ipsum. Iuxta illud, *Populum istum formaui mihi, laudem meã narrabit*. Vel ideo creauit Deus hominem, * vt creatorem suum cognosceret, cognitum diligeret, dilecto frueretur, ac in perpetuum beatus esset. *Vel dicamus sic iuxta Chrysost. Homo creatus est vt imperaret mũdo, seruiret Deo, creatorẽ suspiceret, creaturamq; sibi parere compelleret. Vide serm. de Adam & Eua, Tom.2. *Gen.1.* *Isai.43.* *Mag. sent. 2.d. 1.ex August.*

Homo

Homo quid est?

Animal rationale, hoc est substantia corporea animata, sensibilis, & rationalis. Item homo ante casum fuit nobilissima creatura, post peccatum autem, factus est creatura miserrima. Vnde in scriptura nominatur caro, peccatum, vanitas, & nihil. *Ad nihilum* (inquit) *redactus sum*. Item: *Homo vanitati similis factus est.* Item: *Homo cum in honore esset, nõ intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.*

Psal. 72. Psal. 143. Psal. 48.

Quæ sunt partes hominis?

Secundùm naturam duæ, corpus scilicet & anima. Secundùm scripturã itidem duæ, Caro, & Spiritus. Item homo exterior & interior. Item sensualitas, & ratio. Caro significat quicquid in nobis est humanorum affectuum, citra Spiritus sancti auxilium. Spiritus significat agitationes, & impulsus Spiritus sancti in nobis, ad opera bona. *Quod natum est ex carne, caro est, &c.* Vel, caro infirma nostri pars, cui serpens antiquus per genitalem culpam inscripsit legem peccati, qua ad turpia prouocamur, & victi Diabolo connectimur. Spiritus, est ea pars hominis, qua diuinæ naturæ similitudinem exprimimus, in qua & ipse conditor, digito, id est, Spiritu suo, honesta, suamque legem insculpsit. Inter hæc duo Paulus interponit animam, eam scilicet partem hominis, quæ sensuum, ac motuum naturalium capax est. Hæc vel carni, vel spiritui adhæret. Si carni, fit &.

Gal. 5. Rom. 8. *Caro quid significet.* Ioan. 3. 1. Thes. 5.

sit, & ipsa caro, & carnalis; sin autem spiritui, fit & ipsa spiritualis. Caro igitur constituit pecora; anima homines, spiritus, pios & sanctos. Caro quaerit dulcia; anima necessaria; spiritus coelestia.

An cum libero arbitrio creatus est homo?

Vtique. Nam vt dicit Auct. lib. Ecclesiastici, *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui, &c. Apposuit ei ignem & aquã, &c.* Item. *Deus creauit hominem rectum, &c.* *Eccl. 15.* *Eccl. 7.*

Liberum arbitrium quid?

Est libera voluntatis electio, qua bonum cognitum creatura rationalis potest amplecti; & malum vitare. Arbitrium dicitur ab arbitrando, & discernendo quid eligendum sit, & quid refutandũ. Liberum autem dicitur, quòd in sua potestate est agendi quod velit. Liberum igitur arbitriũ & intellectum includit, & voluntatem. Intellectum, quo cognoscit, voluntatem, qua eligit. *Liberum arbitriũ complectitur intellectum & volũtatem.*

Liberum arbitriũ quale fuit ante lapsum?

Fuit sanum & perfectũ. Poterat tunc homo non peccare, poterat Dei praecepta implere. Nullum habebat impedimentum, vt nunc: corpus non impediebat intellectum, quo minus quod bonum erat, cognosceret. Nec concupiscentia in carne adhuc erat, quae voluntatem à bono cognito auerteret.

Liberum arbitrium quale factum est post lapsum?

Infirmum, & vulneratũ. Potens quidem *Luc. 10.*

& prom-

& promptum ad mala; insufficiens autem, & tardum ad bona. Item est sicut iumẽtum quod indiget sessore ad hoc vt pergat, & rectè pergat. Sic liberum arbitrium indiget gratia impellente, & dirigente; alioquin nihil re-

Rom.7. ctè facit. Vnde Paulus: *Velle quidem adiacet mihi: perficere autem bonum non inuenio.*

Ioan.15. Et Christus: *Sine me nihil potestis facere.*

Quomodo lapsus est homo?

1 Auertendo se à bono incõmutabili ad
2 bonũ commutabile. Item plus cõdescen-
3 dẽdo vxori, quàm Deo. Itẽ plus credendo
4 serpenti, quàm Deo. Item concupiscendo

Aug. 1. sup. Sen. vlt. Tõ.3. æqualitatẽ Dei, maximè autem per fraudẽ, & deceptionem diaboli. Vnde Sapi. *Inuidia diaboli, mors intrauit in orbem terrarum.*

Sapi. 2.

Peccata quomodo purgantur Baptismo in paruulis?

Per inuocationem sanctæ Trinitatis, per fidem & orationem Ecclesiæ, per virtutem & efficaciam Sacramẽti, & vt aliqui volunt, per fidem infusam puero.

Quomodo purgantur adulti dum baptizantur?

Per fidem propriam, per confessionem fidei, & pœnitudinẽ vitæ prioris. *Pœnitẽtiam*

Act. 2. *agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus sancti.*

A purgatis & reconciliatis quomodo colendus est Deus?

Fide, Spe, & Charitate, quæ operatur obseruan-

seruantiam præceptorum. Item Deus colendus est corde, ore, opere, secundum quod tria prima præcepta exigunt. Corde, credendo, diligendo, timendo. Ore, laudando, & confitendo. Opere, verum cultum, & latriam exhibendo.

Quid est fides?

Substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium. Hoc est, fides est bonum mēti hominis diuinitus infusum quo citra vllam hæsitantiā credit esse verissima, quæcunque diuina eloquia docuerunt, licet non videantur, etiam si omnem rationem nostram exuperent. *Hebr.11.* *Gal.5.*

Quotuplex est fides?

Duplex, Infusa & Acquisita. Infusa est, quæ à Deo infunditur homini ad assentiendum his, quæ credenda sunt. Acquisita autē est, quæ post iustificationem, vel per auditum verbi, vel per visa miracula augescit. Item duplex est fides, Actualis, quæ scilicet se exerit & exercet vel ostendit. Habitualis, quæ se non exerit, nisi pro loco & tempore, vt in dormiente est fides habitualis, sed non actualis. Item duplex est fides, Mortua vel historica, sine omni affectu pio in Deum: viua vel iustificans, quæ sic assentit Historicæ, quod omni fiducia fertur in Deum, & insuper per charitatem operatur. *Fides duplex.*

Fidei Symbolum quale?

Symbolum collatio est. Sic fidei Symbolum est, quod ab Apostolis collatum &

conge-

congeſtum eſt. Eſt autem tale: Credo in Deum Patrem omnipotentem, &c. Aliud eſt Symbolum Athanaſij de fide Trinitatis contra Arrianos, aliud eſt Symbolum Nicęnum, nempè quod patres in Nicæno Concilio contra Arrianos congeſſerunt: hoc cantatur ad Miſſam.

Spes quid eſt?

3. Sent. diſt. 26. Eſt virtus, qua æterna bona cum fiducia expectantur. Vel ſecundum magiſtrum in Sententijs, Spes eſt expectatio futuræ beatitudinis, ex gratia, & meritis proueniens.

Spes quomodo differt à fide?

Fides oſtendit promiſſam gratiam; ſpes autem eam arripit, & ſibi aſſignat. Fides dicit, Parata ſunt inæſtimabilia dona à Deo fidelibus ſuis. Spes autem dicit: Mihi illa parata ſunt. Item, Fides eſt bonarum, & malarum rerum. Credimus enim mala, & bona, cœlum, & infernũ eſſe, &c. Credimus item, tam ad nos, quàm ad alios pertinentia. Spes autem tantum eſt bonarum rerum, & ad eum qui ſpem gerit pertinentium. Nemo enim ſe ſperat damnandum, nec quiſquam pius ſperat, quod ad ſe nõ pertinet, vt æqualitatem Dei.

Charitas quid eſt?

Magiſt. ſent. 2. d. 27. 1. Tim. 1. Eſt dilectio, qua diligitur Deus propter ſe, proximus propter Deum, vel in Deo. Vel, charitas eſt finis præcepti, de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.

Chari-

Charitatis an aliquis modus aut mensura?

Non, quia ad omnes se extendit in longū & latum, altum & profundū. Item charitas nunquam excidet, sed in æternum manebit. Item maior est fide, & spe. Vel charitatis modus & mensura, est diligere Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex omnibus viribus, & proximum sicut nosipsos. Ephes. 1. 1. Cor. 13. Deut. 6. Matt. 12.

Charitas quotuplex?

Duplex, Dei scilicet, & proximi. Matt. 12.

Charitatis ordo qualis?

Vt primò diligatur Deus, iuxta tria prima præcepta. Deinde proximus, iuxta septē posteriora. Et inter proximos primùm diligantur parentes, domestici, & fideles: Deinde etiam aduersarij, nec nosipsos negligamus. Qui enim sibi nequam, cui bonus? *Miserere* (inquit) *animæ tuæ placens Deo.* Eccl. 14. Eccl. 30.

Quomodo per fidē, spē, & charitatē, peruenimus ad mandatorum obseruationem?

Fides apprehendit gratiam in preterito exhibitam; spes autem præmia in futurum reposita. Ex his accēditur Charitas, quæ liberè, & spontè Dei præcepta obseruat.

Relapsi post baptismum quomodo restituuntur?

Per pœnitentiam. Hæc enim est secunda tabula post baptismum, qua euadimus naufragium æternæ perditionis. Quid autē ad pœnitentiam requiratur, suprà dictum est.

Quomodo mandata Dei implentur?

Per gratiam Dei, cooperante tamen & adni-

adnitente etiam humana voluntate. Ipse enim operatur in nobis velle, & perficere. Vnde Paulus: *Abundantius omnibus laboraui, non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Item mandata implemus, cùm ex fide accipimus Spiritum sanctum, qui ad omnia bona nos incitat, Domine (inquit Augustin.) da quod iubes, & iube quod vis.

Vnde tota hominis iustificatio?

A Deo. Ipse enim remittit peccata propter Christū. Ipse insuper nobis infundit iustitiam qua corā ipso iusti sumus. Iustificari enim, est absolui à peccatis, piumq; & iustū effici. Vel exui vetere homine, indui nouo. Item vera iustificatio à fide, & per fidem incipit. Bonis autem operibus conseruatur, augetur, continuatur, perficitur, & probatur.

Meritorum ratio quæ?

Opera nostra, in quantū nostra sunt, nihil merentur, imò sunt velut pannus menstruatæ, vt ait *Esaias. Inquantum autem Spiritus Dei ea in nobis operatur, meritoria sunt. * Ipse enim sua dona in nobis coronat. Item ex nobis ipsis nihil meremur. Quia nihil Deo dare possumus, quod non potius ipsius sit. Nihil agere, quod non prius debeamus. Vnde etiam si omnia fecerimus, quæ nobis præcepta sunt, * tamen dicere debemus quod serui inutiles sumus. Tamen quia ipse seruantibus sua præcepta, ex gratia promisit æterna bona, dicimur ea mereri, non quod opera nostra adeò perfecta sunt, sed quia Deus

Philip. 2. *1. Cor 15.* *Lib. conf. 10. ca. 31. & 37.*

Iustificatio (iuxta decreta sacrosan. Cōc. Trid. Sess 6. ca. 4.) est translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius Adæ, in statū gratiæ & adoptionis filiorum Dei, per Iesum Christum saluatorē.

Esai. 64. *Aug sup. Psal. 98. tom. 8.* *Luc. 17.*

Deus promisit. Item Christus futuram beatitudinem nominat mercedem: Ergo opera pia habent rationem meriti: Vbi enim merces, ibi est & meritum. Ita tamen quod semper plus respiciendum sit in gratuitam Dei promissionem, quàm in operum nostrorum valorem.

Quis moriendi optimus modus?

Mori in Domino, id est, in fide Christi, in studio pietatis, perseuerantia bonorũ operũ, & patientia sub cruce. Vnde Ioannes: *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* *Luc.17.* *Matt.5.* *Apoc.14.*

Quis animæ status post mortem?

Animæ piorum, sunt in requie cũ Lazaro; animæ impiorũ, sunt in tormentis cum diuite: Animæ imperfectorum sunt in purgatorio, donec per gratiã, & subuentionem fidelium liberẽtur. Ideò Ecclesia ab exordio semper pro mortuis orauit, vt patet ex Tertulliano, Dionysio Clemente, & aljs. *Luc.16.* *August. Ench.10. Tom.3.*

Præfatio Missæ quid significat?

Quia altè legitur post aliquantum silentium, significat reditum Christi in Iudęam, postquam aliquandiú latuerat propter insidias Iudęorum. Tunc enim instante passione manifestè redijt in Iudæã, ac primò insignem illam cœnam Bethaniæ celebrauit. Ideo præfatio altè cantatur.

Sanctus?

Significat acclamationem turbæ, in die Palmarum. *Matt.21.*

Canon?

Prima pars Canonis ante verba consecrationis, significat tres illos dies inter diem Palmarum, & cœnam Domini. Verba consecrationis admonent vltimæ cœnæ, & institutionis Sacramenti.

Eleuatio hostiæ, & extensio manuum?

Significat extensionem & eleuationem Christi in Cruce. Pars Canonis quæ sequitur, & secretè legitur, significat silentium Christi in Cruce.

Pater noster?

Luc.23. Significat orationem Christi: *Pater dimitte illis, &c.*

Luc.23. Item: *Pater in manus tuas, &c.* & alia verba, quæ in Cruce protulit: ideo altè cantatur.

Fractio hostiæ?

Significat mortem Christi.

Immissio in calicem?

Ephes.2. Significat sepulturam.

Pax Domini?

Significat fructum passionis Christi, quæ pacificat nos Deo cum sanguine suo.

Agnus Dei?

Significat vocem Centurionis: *Verè hic*
Luc.23. *homo iustus erat.* Et pœnitudinẽ populi, qui percutientes pectora sua, reuertebantur. Vel
Ioan. 20. pax Domini, significat resurrectionẽ Christi, in qua Apostolis annunciauit pacem.

Com-

Communio?

Significat gratiarum actionem Ecclesiæ pro beneficio redemptionis. Vel significat gaudium Apostolorum de Christi resurrectione.

Vltima Collecta?

Significant orationem Christi, qua pro nobis iugiter interpellat apud Patrem. *Ioan. 20.*

Per Ite missa est?

Dimittitur populus ad propria. Quasi dicat: Ite, Missa est hodie ad Patrem. Vel, Ite, Missa est completa. *Rom. 8.* *1. Ioan. 2.*

Benedictio?

Significat benedictionem Christi ascendentis.

Expositionem Canonis, orationis Dominicæ, & Symboli Apostolici, ex rationali diuinorum, vel ex alijs pete.

MODVS EXAMINANDI SACRORVM ORDINVM CANDIDATOS, INSTAR CATECHISMI, PER quæſtiones, & pias Catholicaſque reſponſiones, ſuccincta breuitate digeſtus.

Auctore
M. IOANNE HOLTHVSIO
Kempenſi.

MALACH. 2.

Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.

HEBRÆOR. 5.

Nemo ſibi ſumit honorem, niſi qui vocatus eſt à Deo, tanquam Aaron.

HAEC boni consulat quicunque legerit, sciatq; pro his tantùm scripta esse, qui meliora non habent, vnumq; hic quæsitum, ne tales omnino muti in Examine Ecclesiastico inueniantur.

Hieronymus super Aggæum. Cap. 2.

SAcerdotum officium est scire legem Dei, & respondere ad quæ fuerint interrogati: saltem illud habeat, vt postquàm sacerdotes fuerint ordinati, discant legem Dei, vt possint docere quod didicerint, & augeant scientiam magis quàm opes, & non erubescant à laicis discere, qui nouerint ea, quæ ad officia pertinent sacerdotum, magisque noctes & dies in sctipturarum tractatu, quàm in ratiociniis, & supputatione consumant.

QVID

QVID EST CATE-CHISMVS.

CAtechiſmus eſt breuis, & ſuccincta fidei, & religionis Chriſtianæ traditio, qua rudes adhuc in Chriſto inſtituuntur.

Quæ vox eſt Catechiſmus?

Græca, deſcẽdens à verbo κατηχίζω, quod idem eſt cum κατηχέω, quæ ſignificat viua voce erudio: nam ἦχος, id eſt ſonus, vel vox, quòd myſteria olim non ſcripto, ſed voce traderentur. Inde Catecheſis, inſtructio Baptizandorum in fide. Et Catechumeni dicti ſunt, qui rudes adhuc in Chriſto, primis Chriſtianæ religionis elementis imbuuntur, & initiantur. In naſcentis enim primitiuæ Eccleſiæ primordiis, cum adulti Sacramentum Baptiſmi ſuſcepturi erant, primũ omniũ erudiebantur in articulis fidei Chriſtianæ, iuxta Symboli Apoſtolici regulam, & quid de Deo ipſo ſentiẽdum eſſet. Et qui huiuſmodi Chriſtianæ doctrinæ rudimentis inſtructi erant, Catechumeni appellabãtur, qui tametſi ſacris fidei noſtræ myſteriis initiati, & quid credere deberent, edocti eſſent, nondum tamen in Chriſto lauacro Baptiſmatis erant regenerati.

Quid eſt Theologia?

Eſt rerum diuinarum cognitio, earum

maximè, quæ ſacris diuinæ ſcripturæ libris traditæ ſunt,& comprehenſæ.

Quæ vox eſt Theologia?

Græca itidē, θεὸς enim eſt Deus, & λόγος ſermo, perinde ſonans ac ſi dicas: Sermo de Deo ſeu rebus diuinis: hinc θεολογεῖν, quod diſſerere eſt de rebus diuinis, & θεολογικὴ prima Philoſophia, quæ res diuinas, & æternas contemplatur.

Quæ eſt ſcripturæ ſacræ vtilitas?

Ad hanc quæſtionem reſpondet D. Paulus: *Omnis* (inquiens) *ſcriptura diuinitus inſpirata, vtilis, ad docendum, arguendum, corripiendum, erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.*

2. ad Timot. c. 3.

Quod eſt Theologiæ ſubiectum?

Eſt Deus ipſe: vniuerſa enim Theologia tractat de Deo, & Eſſentia diuina. Quæ tametſi de creaturis quoq; & motibus hominum agit, id tamen non fit alia ratione, niſi qua ad Deum referuntur, & ordinantur.

Quid eſt Deus.

Reſpondeo, Natura diuina, quæ omnem creatum ſuperat & excedit intellectũ; ideoque nulla commoda, & abſoluta poterit explicari definitione. Ad hunc locum facit, quod Simonides poëta, quærenti cuidam quid Deus eſſet, reſpondit. Quanto magis (inquiens) cogito de Deo, tanto minus ſcio. Eſt enim natura diuina, ineffabilis, nec à quoquam poterit commodè ac perfectè

Cic. lib. 1. de natur. Deorum. Is qui interrogauit fuit Hieron. tyrãnus.

(vt

(vt dixi) explicari: communiter tamen dici ſolet, Deum eſſe, quo nihil melius, atque ſublimius cogitari queat, & D. Paulus, *Deus* (inquit) *eſt, ex quo, per quem, & in quo ſunt omnia.* *Aug. 1. de doctr. Chriſtia. cap. 7.*

Item, Deus Spiritus eſt, & eos, qui adorãt eum, in ſpiritu, & veritate adorare oportet. Item, Deus eſt Spiritus, & mens æterna, ſine principio, ſine fine, ſubſtantia indiuiſibilis, inuiſibilis, incorporea, ineffabilis, incomprehenſibilis, ſapientiſſima, optima, maxima, ſimpliciſſima, inæſtimabilis, immenſa, à nemine creata, & quæ omnia creauit, cuius maieſtatẽ, & ſublimitatem nemo hominum perueſtigare, & inquirere poterit. Quæ eſt ipſum eſſe, & à qua rebus conditis venit, vt ſint, & ſubſiſtant. *Ioan. 4.* *Rom. 11.*

Deus vnde dicitur?

Secundum aliquos, Deus Latinis dicitur à dando, quòd omnia nobis ab ipſo donentur, & abundè ſuppeditentur. Græcis verò Θεὸς dici videtur à θεάομαι, quod ſignificat video, inſpicio, quòd ipſe omnia videat, intueatur, videndo penetret, & agnoſcat: omnia enim nuda ſunt, & aperta oculis Dei, qui & abditiſſimas mentiũ cogitationes cognoſcit, vnde & καρδιογνώστης, id eſt, cordium ſcrutator, & cognitor appellatur. Alij verò ſic dictum putant à Θεῖν, hoc eſt, à currendo, quia vbique cùm opus eſt, accurrit, & opem fert. Nõnulli à metu Deum dictũ exiſtimant, δίος enim Grecè, nomẽ eſt *Hebr. 4.* *Pſal. 7.*

Iouis, & idem est quod φόβος, id est, timor, vel metus Latinè. Cùm enim Deum dicimus ens quoddam, intelligimus, quod timere debeamus, iuxta illud Statij Poëtæ, Primus in orbe Deos fecit timor.

Porrò Hebręis Deus appellatur Iehouah, quod est nomen tetragrammaton, diuinam naturam, & essentiam significans. Et Deus cùm dixit Moysi. Ego sum qui sum, sic dices filiis Israel, Qui est, misit me ad vos, in illis verbis naturam suam expressit. Videtur Augustinus huius esse opinionis, vt, qui est, sit nomen Dei proprium, quemadmodũ apud Hebræos Iehouah nomẽ tetragrammaton, quod sub quibusdam occultis mysteriis naturam diuinã significabat, & ob id nũquam ab humana lingua Iehouah proferebatur.

Exod. 3. *Lib. 1. de Trin. c. 1. Tom. 3.*

Memoria tene, quod diuus Augustinus asserit, Deum propriùs cogitari à nobis, quam dici, & propriùs esse quã à nobis cogitetur. Postremò, Teutones Deũ appellant à bonitate, seu clementia, GOT, vt sit, quasi dicas, *Goet*. Solus enim Deus natura bonus est, atque adeò summum bonum.

Lib. 7. de Trin. ca. 4. & Ser. Prosperi. 65.

Est ne Deus dicendus triplex?

Non: Deus enim simplex est, imo simplicissima natura: qui licet trinus sit in personis; est tamen triũ personarũ, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vna substãtia, vna natura, vna essentia, vna diuinitas, æqualis gloria, par potestas, & coęterna maiestas. *Tres sunt,* (inquit diuus Ioannes) *qui testimoniũ dant in cœ-*

1. Ioan. 5.

in cœlo, Pater, & verbum & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.

Quæ sunt attributa personarum?

Deo patri attribuitur potentia, Filio sapientia, Spiritui sancto bonitas, tametsi operationes sint tribus personis communes, iuxta Athanasij Symbolum. *Vide hac de re magistrum Sent. lib. 1. dist. 34.*

Quot sunt partes Scripturæ sacræ?

Duę, nouum, & vetus Testamentũ. Vetus Testamentum continet libros Biblicos, qui scripti, & editi sunt ante Christũ natum, vt sunt libri Moysis, Psalmorũ, Prophetarum, cum aliquot aliis.

Nouum Testamentũ continet libros scripturæ, qui editi sunt post Christum natum, vt sunt libri Euangeliorum Christi, Epistolarum Apostolorum, cum nonnullis aliis.

Quid est Testamentum?

Testamẽtum fędus est, seu pactum, quod Deus nobiscum iniuit, & pepigit de æterna & cœlesti hæreditate possidenda. *Aug. sup. Psal. 72. Tom. 8.*

Distinguuntur ne nouum, & vetus Testamentum?

Etiam, nam vetus Testamentũ promissiones habet de rebus terrenis, & tẽporalibus, vtpotè de possidenda terra promissionis, de abundantia, vbertate, & copia fructuũ terræ, de terra lacte & melle fluente, & eius generis aliis. Nouum verò Testamentum, quod Deus nobiscũ pepigit per Filium suum vnigenitũ, promissiones habet rerũ cœlestium & æternarum, vt gratiæ diuinæ, remissionis

peccatorum, regni cœlorum, & æternæ beatitudinis acquirendæ.

Sunt ne aliæ adhuc inter duo Testamenta differentiæ?

Sunt equidem. Lex vetus promittebat Christum exhibendum. Noua verò exhibet iam promissum.

Vetus Testamentum lex erat carnalis, & timoris: Nouum lex est spiritalis, & amoris. Breue (inquit) August. discrimen est inter vetus, & nouum Testamentum, Timor, & Amor.

Li. octuaginta trium quæs. 66. Tom. 4.

Lex vetus extrinsecus scripta erat in tabulis lapideis quæ terrebat, & condemnabat: Lex noua intrinsecus scripta est in cordibus piorum, quæ iustificat, & hæredes cõstituit gloriæ æternæ. De qua est illud Hieremiæ, *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.*

Hier. 13.

Lex vetus data est per Moysen seruum Dei, & (vt Apostolus ait ad Galatas) ministerio Angelorum: noua verò per ipsum filiũ Dei, iuxta illud Ioan. *Lex per Moysen data est: Gratia verò, & veritas facta est per Iesum Christum.* Item, Lex Mosaica continebat vmbram, & figuras rerum, iuxta illud Apostoli: *Impossibile est sanguine taurorũ, & hircorũ auferri peccata.* Lex verò Christi, & Euangelica, veritatem habet, lucem, & ipsam rerum imaginem. Item alibi August. dixit: Hoc est Testamentum nouũ distans à veteri, quia ibi vetus homo formidinis coarcta-

Ioan. 1.

Heb. 10.

coarctatur angustijs, hic nouus homo spatiatur latitudine charitatis.

Proba ista aliquo modo scripturæ testimonijs.

VETERIBVS *omnia contingebant in figuris, nobis autem omnia in veritate exhibita sunt.* 1. Cor. 10.

Item. *Litera occidit, Spiritus autem viuificat.* Ibi per literam vetus intelligitur Testamentum, per Spiritum verò nouum. 2. Cor. 3.

Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos. Tim. 2.

Multifariam, multisq; modis Deus olim loquens patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio, &c. Heb. 1.

Vmbram habet lex futurorum bonorũ, non ipsam rerum imaginem. Heb. 10.

Deus loquitur Moysi. *Vide omnia facias secundum exemplar quod tibi ostensum est in monte.* Exod. 25.

Est ne alia librorum Biblicorum distinctio

Est, sunt enim alij libri Canonici, alij Apocryphi.

Qui sunt Canonici libri?

Quibus authoritas Ecclesiasticorum dogmatum confirmatur. Dicuntur Canonici, quia κάνων Grecè, regula est Latinè, eo quod ad ipsos tãquam ad regulam, & quasi lydiũ lapidem, fidei ac religionis Christianæ documenta probanda sint.

Qui sunt Apocryphi?

Apocryphi ſunt, de quorum fide dubitatur, & qui tantum ad ædificationē plebis valent, nõ ad cõfirmanda Eccleſiaſtica dogmata. Apocryphū enim vocatur nõ quod eſt falſum, ſed id, quod eſt abſconditū, hoc eſt, quod ab Eccleſia publicè non eſt receptum, tanquam Canonicum.

Libri Canonici alio nomine authentici dicuntur: vnde & ſcriptura canonica, Authentica nomen habet, & qui ſcripturā ſacrā legunt, & interpretantur, Canonici dicuntur.

Qui ergo ſunt, & quot numero libri veteris Teſtamenti?

Libri veteris Teſtamēti recenſentur numero 37. Pētateuchus, id eſt, quinque Moyſis volumina (hoc enim ſonat πεντάτευχον) Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomion. Deinde eſt Ioſue, Iudices, Ruth, quatuor Regum libri, Paralipomenon duo; Eſdrę duo, primus ſcilicet & ſecundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Iuditæ, Eſther, Iob, Pſalterium, Prouerbia Salomonis. Eccleſiaſtes eiuſdem; & Cantica Canticorum, libellus Sapientię, Eccleſiaſticus, quatuor Prophetæ maiores, Eſaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, Threnorum, Baruch, duodecim prophetæ minores, & duo libri Machabęorum.

Concilii Trid. ſeſſ. 4. ſub Paulo 4.

Qui & quot ſunt libri noui Teſtamenti?

Libri noui Teſtamenti numerantur 27. Quatuor Euangelia, Acta Apoſtolorum, qua-

quatuordecim Epistolæ Pauline, septē Epistolę Canonicæ, quas alij Catholicas appellant, sunt enim quasi vniuersales, & non ad vnū hominem, vel Ecclesiā scriptæ, vt Pauline, sed ad plures, imo ad omnes, & vniuersos Christianos, vt tres D. Ioannis, Petri duę, Iacobi vna, Iudæ vna, & B. Ioannis Apostoli Apocalypsis.

Quæ sunt, & quotuplicia veteris Testamēti præcepta?

Triplicia: Moralia, iudicialia, & Cæremonialia. *Custodi præcepta Domini Dei tui, ac testimonia, et cæremonias, quas præcepit tibi.* Deut. 6.

Moralia erant de eis, quæ pertinent ad bonos mores, & virtutes, quæ & rationi conueniunt, semper & vbique seruanda, cuiusmodi est præceptum de diligendo Deo, & proximo, & quæ Decalogo cōtinentur, quę & in nouo Testamēto non sunt sublata, vtpote perpetuò duratura & seruāda. De quibus Christus dixit: *Nolite putare, quia veni soluere legem, aut Prophetas: non enim veni soluere, sed adimplere.* Exod. 20. Matth. 5.

Cæremonialia, vmbra erant, & figura futurorum, & in Christum venturum respiciebant, Christo autem apparente, antiquata sunt, & abolita, vmbra enim superueniēti veritati cessit. Exod. 23. Leuit. 23.

Iudicialia erant, quæ pertinebant ad lites iudiciorum per Moysen constitutorū, quæ iam neminem obligant, præter vnū populum Iudaicum, ad cuius statum formandū, Leui. 20.

pro-

pro opportunitate illius temporis præcipuè seruiebant.

Quot partibus constat nouum Testamentum?

Totidem quoque: doctrina, Sacramentis (sub quibus cæremoniæ comprehenduntur) & disciplina.

Quot sunt virtutes Theologicæ?

1.Cor. 13. Tres. Fides, Spes, Charitas. Ait enim Apostolus: *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, maior horum charitas.*

Quare dicuntur Theologicæ virtutes?

1. Quòd circa illas tota Theologia versetur:
2. vel quia à solo Deo nobis infunduntur:
3. vel etiam quia Deo reuelante nobis in sacra
4. scriptura traduntur: præcipuè autem, quia Deum ipsum habent pro immediato obiecto circa quod versantur. Dicuntur etiam virtutes infusæ, quòd diuinitus nobis infundantur iuxta illud Apostoli, *Charitas*

Rom. 5. *Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

Ephes. 1. Et de fide idem ait Apostolus. *Gratia salui facti estis per fidem (& hoc non ex vobis, Dei enim donum est) non ex operibus, vt ne quis glorietur.*

Quot sunt vitia seu peccata virtutibus illis diuinis opposita?

Totidem quoq;: Infidelitas, quæ opponitur fidei; desperatio spei, & odium charitati.

Quid

Quid est fides?

Fides iuxta Paulum, est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. *Heb.11.*

Item iuxta doctores, Fides est donum Dei, quo homo illustratus, firmiter adsentitur ijs quæ diuinitus ad credendum sunt reuelata.

Iuxta D. Eusebium Emissenum, Fides est lumen animæ, ostium vitę, & fundamētum salutis æternæ. Item Chrysost in ser. de Fide, Spe, & charitate sic eam definiuit: Fides est origo iustitiæ, sanctificationis fundamentum. *Supra Symbol. hom.2. Tom.4.*

Quot sunt Symbola fidei, & ab Ecclesia recepta?

Quatuor, vnum Apostolorum, alterum Athanasij, tertium Nicænum, & quartum Constantinopolitanum.

Quot sunt Articuli Fidei Symboli Apostolici?

Duodecim, iuxta numerum duodecim Apostolorum.

D. Petrus.

1. Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ.

D. Iacobus maior.

2. Et in Iesum Christum filium eius vnicum, Dominum nostrum.

D. Ioannes Euangelista.

3. Qui conceptus est de Spiritu sancto natus ex Maria virgine.

D. An-

D. Andreas.

4. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.

D. Philippus.

5. Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis.

D. Thomas.

6. Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

D. Bartholomæus.

7. Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.

D. Matthæus.

8. Credo in Spiritum Sanctum.

D. Iacobus minor.

9. Sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem.

D. Simon.

10. Remissionem peccatorum.

D. Iudas Thadæus.

11. Carnis resurrectionem.

D. Mathias.

12. Vitam æternam. Amen.

Quid est Symbolum?

Symbolum, prout proposito nostro inseruit, est certorum articulorum fidei Christianæ collectio, & quasi in vnum collatio.

Quid est articulus?

Est certum aliquod fidei dogma, ab alijs seiunctum. Quemadmodũ enim articulus proprie dicitur partiũ disiunctarum coaptatio quædam, & in vnum colligatio, prout in-

in corpore particulæ membrorum ſibi inuicem coaptatæ, articuli dicuntur, ita fidei Chriſtianæ dogmata dicuntur per articulos diſtingui, quatenus in aliquas certas partes ſecernuntur.

Quid eſt credere?

Credere eſt firmiſſimè, & abſque omni dubitatione, aſſentiri ijs omnibus, quæ nobis à prima veritate, hoc eſt, à Deo reuelata ſunt, & ab Eccleſia Catholica credenda proponuntur.

Quomodo differunt credere in Deum, credere Deum, & credere Deo?

Credere in Deum, eſt Deum credendo amare, præceptis illius obſequi, & vitã iuxta illa inſtituere. Credere Deum, eſt credere quod Deus ſit. Credere Deo, eſt credere ea omnia eſſe vera, quæ nobis à Deo vel per filium ſuum, vel per Angelos, vel per Patriarchas, & Prophetas, vel per Apoſtolos, ſiue per quoſcũque miniſtros ſuos, & doctores, atque adeo per Eccleſiam Catholicam, firma fide tenenda, & credenda propoſita ſunt.

Quare dicit Symbolum Apoſtolorum, Ieſum Chriſtum filium Dei vnicum, cùm multi ſint filij Dei?

Aug. ſup. Pſal. 77. Tõ. 8. vide Mag. in 3. diſt. 23. 24.

Vnicus eſt filius Dei naturalis, vtpotè Ieſus Chriſtus, verus Deus, & homo, Patri æterno coæqualis, & ὁμοούσιος, id eſt, conſubſtantialis; ſed multi ſunt filij Dei adoptiui, vtpotè, omnes regenerati lauacro Baptiſma-

ptismatis, Christi sanguine, & passione redempti, omnes iusti, sancti, & electi. *Potestatem dedit filios Dei fieri ijs qui credunt in*
Ioan. 1. *nomine eius.* Natura itaq; vnus, & vnigeni-
Galat. 4. tus filius Dei est Christus Iesus; gratia autē, & adoptióne, omnes iusti, & sancti sunt
Psal. 81. Dei filij.

Cur Christus appellatur Dominus noster?

Quia ipse nos ab æterna vindicauit morte, & in libertatem atque adoptionem filiorum Dei adscripsit. Et ideò peculiari scripturæ phrasi, appellatione Domini
Galat. 4. Christus intelligitur. Hoc frequenter videre
Rom. 1. licet in Epistolis Pauli, vbi multoties dicitur
1. Cor. 1. pax, gratia, & misericordia à Deo Patre, &
Galat. 1. Domino nostro Iesu Christo, & sæpissime in alijs scripturæ locis.

Quo sensu dicit Symbolum, Christum descendisse ad inferos, præsertim cùm vsque ad tertium diem quieuerit in sepulchro?

Corpus Christi triduo quieuit in sepulchro, verùm anima eius inferos adijt, & lymbum patrum, quem scriptura inferna loca peculiari locutione appellat, penetrauit.

Differunt ne virtutes Theologicæ?

Etiam: fides enim, & spes, prout supra ostendimus, viatorum tantum sunt; in patria
1. Cor. 13. verò euacuabuntur, vt ait Paulus: *Charitas*

autem

autem nūquam excidit. Ignis charitatis hic quidem accenditur, alibi verò vehementius inflammabitur.

Item fides, & ſpes differunt, quia fides eſt rerum præſentium, præteritarū, & futurarum: Spes verò futurarum tantum. Adhuc, fides verſatur tā circa bona, quam mala: credimus æternam iuſtorum beatitudinem, credimus & æternam malorum dānationem: ſperamus autem duntaxat æternam fœlicitatem, & quæcunque ad eam cōſequendam conferunt.

Eſt ne multiplex fides?

Eſt vna viua, altera mortua: ſiue vna formata, altera informis. De viua, ſeu formata, eſt illud Apoſtoli verbum, *In Chriſto Ieſu neq; circuncíſio aliquid valet, neq; præputiū, ſed fides, quæ per dilectionem operatur*. De mortua vel informi, ait Iacobus, *Fides ſine operibus mortua eſt.* *Galat.5.* *Iacob.2.*

Item fides alia eſt infuſa, alia acquiſita. De infuſa ait Apoſtolus, *Gratia Dei ſalui facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt*. De acquiſita: *Fides ex auditu, &c.* *Epheſ.2.* *Rom.10.*

Fides viua ſeu formata eſt, quæ ornata eſt & quaſi amictu bonorum operum veſtita: Fides verò mortua vel informis, quæ bonis operibus deſtituitur, iuxta beati Iacobi doctrinam. Quemadmodum corpus anima recedente moritur, ita fides ipſa bonis operibus deſtituta, mortua dicitur. *Iacob.2.*

Iuſti-

Iustificat ne sola fides?

Hęretici mordicus retinēt dogma illud de sola fide iustificante; verùm nos, qui catholicam fidem profitemur, & tueri parati sumus, liberè cum Ecclesia Catholica asserimus, solam fidem iustificare non pósse. Id quod multis scripturę locis comprobari & liquidò demonstrari poterit. Principio pro
Iacob.1. nostra assertione facit quod ait Iacobus. *Fi-*
1.Cor.13. *dem sine operibus mortuam esse*. Iacobo succedit Paul. *Si linguis hominũ* (inquiens) *loquar, & Angelorum; charitatē autem non habuero, factus sũ velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.*

Ibidem. *Et si habuero omnem fidem, ita vt mōtes transferam; charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperũ omnes facultates meas, & tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autē non habuero, nihil mihi prodest.*

Item ad Galatas ait idem Apostolus: *In*
Galat.5. *Christo Iesu nec circuncisio aliquid valet, neq; præputium; sed fides, quæ per dilectionē operatur.*

Matt.19. Christus ait: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.*

Iac.2. Ad hæc Iacobus: *Dæmones* (inquit) *credunt, & contremiscunt.*

Matt.25. Apud Matthæum scribitur, fatuas virgines dixisse prudentibus: *Date nobis de oleo vestro, quia lāpades nostræ extinguũtur*; vbi olei nomine bona opera intelligũtur. Et eo-

dem

dẽ capitẽ: *Tunc dicet rex ijs qui à dextris ei-us stabunt. Venite benedicti patris mei, possidete paratũ vobis regnũ à mundi constitutione. Esuriui enim & dedistis mihi manducare, sitiui & dedistis mihi bibere*, & quæ sequuntur, & paucis interiectis: *Discedite à me maledicti in ignẽ æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius: Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, sitiui, & non dedistis mihi bibere &c.* Ex quibus omnibus facile colligere licet, ad hominis iustificationem non solam fidem sufficere, quẽadmodũ nonnulli hæreticorum huius tẽporis falsò scribũt, & imperitæ plebi imponunt, sed & bona opera necessariò requirit.

Accedit huc quod Paulus de seipso inquit: *Bonũ certamen certaui, cursũ consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quã reddet mihi Dominus in illo die, iustus iudex. Non solum autem mihi, sed & ijs qui diligunt aduentum eius.* 2. Tim. 4

Et alibi: *Nam qui certat in agone, non coronabitur, nisi & legitime certauerit.* 2. Ti. 2.

Ad Corinthios suos. *Omnes* (inquit) *nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis, prout gessit, siue bonum siue malum.* 2. Cor. 5.

Amice (inquit Christus apud Matthæũ) *quomodo huc intrasti non habens vestẽ nuptialem?* Ibi nimirum per vestem nuptialem (Gregorio & Beda testibus) nihil aliud, quàm gratiam intelligi oportet, siue bona Mat. 22.

opera,

quàm gratiam intelligi oportet, siue bona opera, quæ ex gratia prouenniunt.

Apoc.4. Ioannes in Apocalypsi. *Amodo iam dicit spiritus, vt requiescat à laboribus suis. Opera enim eorum sequuntur illos.*

Rom. 2. *Non auditores legis* (ait Apost. Paulus) *iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Legisperito illi apud Lucam

Luc.10 dicebat Christus *Hoc fac, & viues.* Iam &

Actor.1. Actorum primo scriptum legimus, *Cœpit Iesus facere & docere.* Itaque ex ijs, alijsque permultis & innumeris fere scripturæ locis & testimonijs, perspicuum est, opera bona necessariò requiri ad impij iustificationem. Malè itaque concludunt hæretici, sola fide, iustificari hominem, eò quòd Paulus dicit:

Rom.3. *Arbitramur hominē iustificari per fidē, sine operibus legis.* Docens ex operibus legis, non excludit Apostolus opera Euangelij, seu nouæ legis, quæ sunt opera charitatis, & quæ nobis Christi fidelibus locis iam adductis precipiuntur, vt quę omninò necessaria sint ad nostram salutem, sed tantummodo legis Mosaicæ opera, sine quibus hominem iustificatum iri affirmat Apostolus. Itaque necesse est, vt ad hominis iustificationē bona opera accedant, & comprimis virtutes illæ, quas appellant Theologicas. Fides, Spes, & Charitas. Charitas enim iustificationis causa est formalis, quæ sine Fide & Spe in hac vita esse nequit. Nemo enim diligere poterit quod non credit, nec sperat.

Necesse est vt ad hominis iustificatione accedat bona opera.

Qui

Quæ sunt homini Christiano, & verè Catholico credenda?

Omnia quæ Ecclesia Catholica credenda proponit & præcipit, siue ea expresſè in literis sacris contineantur, siue bona consequentia ex eis deducantur, nec vlla eis ratione repugnent, & summatim quæcunq; nobis ab Ecclesia ipsa, quæ Spiritus sancti magisterio ducitur, regitur, & gubernatur, tradita sunt.

Recita aliqua quæ Ecclesia præter scripturæ expressæ authoritatem fide tenenda, & credenda præcipit.

Complura sane huiusmodi sunt: ita Ecclesia præter Scripturę authoritatē quatuor recepit Euangeliorum volumina, eorumq; authores, Matthęum videlicet, Marcum, Lucam, & Ioannem, cęteris qui etiam historiam Euangelicam conscripserunt repudiatis. Atque idem iudicium est de alijs libris Canonicis. Ita sine scripturæ authoritate Sabbati feriationem in diem Dominicam transtulit Similiter ferias Paschatis, Pentecostes, Nrtiuitatis, Circuncisionis Christi, Epiphaniæ, D. Virginis matris Mariæ, Apostolorum: Item & Martyrum, aliorumq; Sanctorum memorias celebrandas religiosa solēnitate instituit, tū ad excitandam imitationem (ait Ignatius) tum vt meritis eorum consociemur, tum etiam vt orationibus illorum adiuuemur. Ad hæc Ieiunia quatuor temporū, Quadragesimā, & ple-

Ignatius Epist. ad Magnesianus. Tom. 6.

Ignatius Epist. ad Philippenses.

& pleraq; alia in Ecclesia sine scripturæ authoritate piè & religiosè obseruamus. Item paruulos esse baptizandos, & breuiter, permulta id genus alia, quæ non solum à nobis Catholicis, sed etiam ab aduersarijs nostris sine vllius expressæ scripturæ authoritate tenentur, obseruantur, & creduntur: &, vt omnia vno verbo dicã, nihil penitus corũ, quæ ad animæ salutẽ spectant, à pijs, & verè Catholicis fit, aut creditur, quod non originem suam & fundamẽtum quodammodo ex Ecclesiæ authoritate habeat. Quod perspicuum est ex D. Aug. verbis. Non crederem, inquientis, Euangelio, nisi Ecclesię authoritas me commoueret.

In epist. quã vocãt fundamenti. Cap. 5. To. 6.

Proba testimonijs scripturæ, aliqua in Ecclesia obseruari rectè & teneri posse, tametsi expressè literis sacris non sunt prodita.

2. The. 2. *Tenete traditiones quas didicistis, siue per Epistolam, siue per sermonem meum.*

2. Ti. 2. *Quæ à me audisti per multos testes, hæc cõmenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.*

1. Cor. 11. *Laudo vos fratres, quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.*

Ibidem. *Cætera, cùm venero disponam.*

Ibidem. *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neq; Ecclesia Dei.*

1. Cor. 14 *Omnia autem honestè, & secundum ordinem fiant in vobis.*

Multa

Multa adhuc habeo vobis dicere, sed nõ potestis portare modo: cum autem venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatẽ. Io. 16.

Multa quidem, & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ nõ sunt scripta in libro hoc. Io. 20.

Perambulabat autem (Paulus) *Syriam, & Ciliciam, confirmans Ecclesias, & præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & Seniorum.* Act. 15.

Cùm autem pertransirent ciuitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis & Senioribus qui erant in Hierosolymis. Act. 16.

Verbum Domini manet in æternum: Hoc est autem verbum, quod Euangelizatum est in vobis. 1. Pet. 1.

Iam ex hisce scripturæ testimonijs constat, multa esse à Christo, & Apostolis in Ecclesia constituta, quæ literis non sunt mandata: imò hinc perspicuum est, Ecclesię authoritatem maiorem, & potiorem esse, aut saltem parem cum scripturæ authoritate, vt quæ posterior sit ipsa Ecclesia, omnemque suam authoritatem, sensum, verũ intellectũ, & germanam interpretationẽ, atq; explicationem non aliunde habeat, nec petere debeat, quàm ab ipsa Ecclesia, certissima & verissima scripturarum interprete. Quod autem Ecclesia Catholica non possit errare, inde manifestum est, quia est columna & firmamentum veritatis, habetque Spi- 1. Tim. 3.

Ecclesiæ authoritas maior est ipsa scriptura, vel saltẽ par cum scripturæ authoritate.

 ritum

ritum ſanctum doctorem, & gubernatorem, à quo edocta eſt omnem veritatem, quique vſque ad ſeculi conſummationem in omnibus indeſinenter aderit, iuxta Chriſti promiſſionem. Matth. 28.

Ioa. 16.

DE SPE, ET REBVS SPERANDIS.

Quid eſt Spes?

SPes eſt virtus diuinitus infuſa, per quã certa cum fiducia, bona æternę fœlicitatis expectamus.

Iuxta magiſtrum ſententiarum, Spes eſt certa expectatio æternę ſalutis, ex gratia & meritis proueniens. Nam ſine meritis aliquid ſperare, non ſpes, ſed præſumptio dici poteſt. Sperãda autem propriè & præcipuè ſunt bona futura, & æternę beatitudinis, & quæ ad ea conſequenda conducunt atque perducunt, vt quæ ſola nos beatos efficiant.

Lib. 3. diſ. 26.

Quæ ſperanda ſint.

Et quemadmodum fides, ita & ſpes eſt de rebus inuiſibilibus. Spes enim quæ videtur, nõ eſt ſpes, quod enim videt quis, quid ſperat? Diſtinguitur tamen ſpes à fide ſicut vocabulo, ita etiam rationabili differentia (ait Magiſter ſententiarum) Eſt enim fides malarum rerum & bonarum, prout ſupra diximus, quia & bona creduntur, & mala. Eſt etiam fides prętéritarum rerum, & præſentium, & futurarum. Credimus mortem Chri-

Rom. 8.

3. Sent. diſt 2. 6.

Christi, quæ præterijt, credimus sessionem Christi ad dexteram Patris; quæ nunc est, credimus Christũ venturum ad iudicandũ, quod futurum est. Spes autem non nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum.

Proba spem sacrarum literarum authoritate?

De Spe Paulus: *Spe* (inquit) *salui facti estis.* Psalmographus itẽ: *Bonũ est sperare in Domino.* Memoriæ commendandum est, quod præclare à D. Bernardo dictum est: *Sola nimirum spes apud te miserationis obtinet locũ, nec oleum misericordiæ nisi in vase fiduciæ ponis.* Rom. 8. Psal. 17. D. Bern. ser. 3. de Annun. Domini.

Benedictus Deus (ait Petrus) *& pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum magnam misericordiam suam regenerauit nos in spem viuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem & conseruatam in cœlis.* 1. Pet. 1.

Fortissimũ solatiũ habeamus, qui cõfugimus ad tenẽdã propositã spẽ, quam sicut anchorã habemus animæ tutã, ac firmã, & incedentem vsq; ad interiora velaminis. Heb. 6.

Respicite, filij, nationes hominũ, & scitote quia nullus, qui sperauit in Domino, confusus est. Eccl. 2.

Nunc autem manent, Fides, Spes, & Charitas, tria hæc; maior horum Charitas. 1. Cor. 13.

Vbi spes, & ea quæ spei sunt, potissimè continentur?

In oratione, quę à suo ipsius auctore Dominica appellatur: Vt enim fides, & ea quæ credenda sunt, in symbolo Apostolorũ præcipuè comprehēsa sunt: charitas, & quæ ad eam pertinent in decalogo: ita sane spes, & ea quæ nobis speranda proponuntur, summatim in oratione Dominica continentur.

Quot sunt petitiones orationis Dominicæ?

Septem. Porrò, Pater noster, qui es in cœlis, non est petitio, sed exordij loco positum est, & est quasi præfatiuncula, & salutatio. qua nobis Deum Patrem conciliare, & quasi more oratorio beneuolum reddere quærimus, appellantes eum Patrem, vt cuius nos simus filij adoptiui, supplices & obedientes.

1. *Sanctificetur nomen tuum.*
2. *Adueniat regnum tuum.*
3. *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra.*
4. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*
5. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*
6. *Et ne nos inducas in tentationem.*
7. *Sed libera nos à malo. Amen.*

Quare Deus dicitur Pater noster?

Deus est, & dicitur Pater noster, pluribus de causis.

Prima causa. Per creationem. *Nunquid non pater vnus omnium*

omnium nostrum (ait Propheta?) *Nunquid non vnus Deus creauit nos?* *Mal. 2.*

Per redemptionē. *Tu autem* (inquit Propheta) *Pater noster, & redemptor noster, à seculo nomen tuum.* *Secunda.* *Esa.63.*

Per renascentiam Sacramentorum, qua nos sibi filios fecit. *Benedictus Deus* (ait Petrus) *& Pater Domini nostri Iesu Christi, qui regenerauit nos in spem viuam.* *Tertia.* *1.Pet.1.*

Per fidem. *Voluntariè* (ait Iac.) *genuit nos verbo veritatis*, id est fidei. Et Ioan. 1. *Dedit potestatem filios Dei fieri ijs qui credunt in nomine eius.* *Quarta.* *Iac.1.* *Ioan.1.*

Postremò per gratiæ adoptionem. *Accepistis* (ait Apostolus) *Spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba pater.* Hisce, & plerisque alijs modis, scilicet cura, defensione, hæreditatis præparatione, Deus pater noster esse rectè dicitur. *Quinta.* *Rom.8.*

Quomodo Deus, qui vbique, & omni loco est, dicitur esse in cœlis?

Deus dicitur esse, & agere in cœlis (prout cœli capiuntur pro corporibus istis cœlestibus quæ supra nos sunt, quorum ornatum & pulchritudinem, atque magnificentiam arguit mirabile firmamentum, rara stellarū & astrorum varietate adornatum) secundū maiestatem, & gloriam suam, qui tamen essentia, præsentia, potentia, gubernatione, & operatione, vbique est Deus, omnia regit, & quicquid in rerū natura existit, verbo virtutis suæ cōtinet, sustentat, gubernat & administrat.

 Ope-

Operatur omnia in omnibus. Sin autem cœli metaphoricè sumuntur pro hominibus iustis, pijs & sanctis, de quibus Prophe-
Esa.66. ta in persona Dei: *Cælũ mihi sedes est, & ter-*
Ps.122. *ra scabellũ pedum meorũ.* Item: *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis.* Tunc & in ijs Deus quasi in quibusdã cœlis habitare
2. Cor.6. dicitur, de quibus Apost. *Vos* (inquit) *estis Tẽplũ Dei viui, spiritus Dei habitat in vobis.* Itaq; Deus, qui vbique est, dicitur esse in cœlis, secundum suã maiestatem & gloriã, vel in sanctis & iustis, in quibus ipse Deus optimus maximus hic per gratiam suam, & alibi per gloriam esse, & peculiariter habitare dicitur.

Ad hæc nominantes cœlũ, admonemur ne petamus terrena, & caduca, sed cœlestia & æterna.

Quid prima petitione quæ est, Sanctificetur nomen tuum, intelligitur?

Petimus & oramus, vt Dei optimi maximi nomen sanctificetur. Porro nominis diuini appellatione intelligitur ipsemet Deus. Itaq; petimus, vt Deus vbique ab omnibus vno ore, vnanimi consensu, eodem spiritu, cultu & honore celebretur, colatur, adoretur: quanquã enim Deus optimus maxim⁹ antea sanctus est (quum ipse sit sanctus san-
Rom. 9. ctorum. Et Apostolus dicit: Qui est super omnia, benedictus in sęcula) petimus tamen & optamus, vt sanctitas eius toti mundo innotescat, declaretur, prędicetur, credatur, dili-

diligatur, reuereatur, honoreturque, ita nimirum, vt quicquid est vspiam perfectionis & dignitatis, simulque excellentię & honoris, ipsi tribuatur, vt in toto orbe ipse habeatur, & nominetur solus, sanctissimus, altissimus, sapientissimus, vt solus Deus veneretur, magnificetur, & diligatur, nec à quoquam contemnatur.

Quid petitione secunda, Adueniat regnum tuum, oramus.

Ea petimus, vt nobis, post miseram hanc, & calamitosam vitam, regnum cęlorum, id est, æterna beatitudo donetur.

Non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Nã, etsi regnũ cœlorum varijs modis in scripturis accipitur, interdum pro ipsa scriptura sacra, vbi Deus regnat quasi rex in secreto consilio, *Auferetur* (ait Christus ad Iudęos) *à vobis regnum Dei, & dabitur genti facięti fructꝰ eius*. Nõnunquã pro ipsa Ecclesia, in qua ipse Deus haud aliter, quam paterfamilias in domo sua regnat & imperat, de quo est illud verbum Euangelij intelligendum; *Colligent de regno suo omnia scandala*. Item pro ipsa diuina gratia aliquando capitur, qua anima in omnibus mandatis diuinis rectè gubernatur & regitur. De quo Dominꝰ apud Lucam; *Regnum Dei* (inquit) *intra vos est*. Hoc tamẽ loco, propriè non aliud intelligimus, quã regnũ glorię, & æternę beatitudinis, in quo Deus pater, haud aliter quàm

Hebr. 13.
1.
Mat. 22.
2.
Mat. 13.
3.
Luc. 17.
4.

Luc.1. rex regum, atque Dominus dominantium: regnat in æternum, cuius regni non erit finis, in quo totius est desiderij satietas, dicen-
Psal.16. te Propheta: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

Quid tertia petitione, quæ est, Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra, à Deo exoramus?

Petitione ista cupimus & optamus, diuinam voluntatem vbique & in omnibus fieri, & impleri, non secus ab hominibus in terra, atque semper eam exequuntur Angeli & electi Dei in cœlis. Angeli quidem & omnes sancti Dei sic addicti sunt rectitudini & bonitati diuinæ, vt ab eius voluntate deflecti nequeant, vt qui ministri Dei sunt paratissimi, & voluntatem eius semper faciant, & exequantur diligentissimè. Ipsi verò homines terrenam adhuc regionem incolentes, haud semper voluntatem Dei amplectuntur, imò sic omnes ferè facti sumus inutiles, vt vix vnus sit, qui faciat bonum, & Dei exequatur voluntatem: Qua-
Psal.13. propter petimus à Deo, & Patre misericordiarum, quatenus voluntati suæ non repugnemus, cum solus ipse sit qui benè vult, nec malè possit velle, cum ipse solus sit summum bonum à quo non nisi bonum est, cuius voluntas omnium volũtatum regula est, & norma rectissima. Itaque Christo doctore, semper oremus ad Deum Patrem: Fiat voluntas tua, hoc est, da, vt quod

tu nos vis facere, faciamus, quod tu prohibes caueamus, quod tu cōsulis, impleamus, quod tu vis, velimus, tam in prosperis, quā in aduersis, vt quemadmodum Angeli, qui tecum in cœlo sunt, in omnibus tibi obediunt, ita etiam nos in omnibus tibi obediamus, qui sumus in terra. Ad quid enim scriptum est, Fiat voluntas tua &c. Nempe vt quemadmodum in cœlis Angeli conueniunt inter se in concordia multa, in pace, & dilectione, neque ibi regnat aliqua superbia, aut inuidia, sed in charitate, & synceritate sunt inter se, sic & fratres mutuo conuersentur. *Mat. 6.* *Macharius.*

Quarta petitio, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, quid in se continet?

Quarta petitione rogamus Deū patrem, vt omnia necessaria, tam corporis, quàm animæ alimenta, & ea, quæ ad illa acquirēda conducūt, benignè, & misericorditer nobis suppeditet ac largiatur.

Vt enim ex duabus constituti sumus partibus, corpore scilicet & anima, & quælibet earum, sua & propria indiget refectione, & cōseruatione, ita hac petitione iubemur Deū orare pro vtroque pane quotidiano, animæ (inquam) & corporis. Porrò corporis panis seu cibus est quicquid ad corporis sustentationem necessariò requiritur: petentes itaq; panem, non solum panem nobis dari volumus, sed à parte totum, hoc est, quæcunque

1.Tim.6. corpori nostro statuique necessaria sunt. *Habentes alimenta, & quibus tegamur* (ait Apostolus) *his contenti simus.* Cæterum panem, quem Lucas appellat quotidianum, id est, vilem, parabilem, & cõmunem, Matth. vocat supersubstantialem, hoc est, qui (teste Theophylacto) substantiæ nostræ, & cõstitutioni sufficit, quasi superadditus substãtiæ nostræ ad sustentationem. Iam verò hac ipsa petitione nõ corporis modò, sed & animæ ipsius alimenta nobis suppeditari petimus, prout sunt sacrosanctæ Ecclesiæ sacramenta, sacræ conciones, lectio scripturarũ, cum primis verò sacrosanctum & excellentissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod Christus ipse panem vocat, qui de cœlo descendit. *Et panis* (ait idem) *quẽ ego dabo, caro mea est quam dabo pro mundi vita.* Vnde August. Non iste panis qui vadit in corpus, sed ille panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit.

Luc.11. Mat.6. Ioan.6. Aug. ser. 28. super Lucam Tom. 10. & de cõs. n. nõ iste.

Quinta petitione, quæ est, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, quid à Deo rogamus?

Ea petitione rogamus & cupimus nobis à Deo ignosci & condonari peccata nostra, quæ singulari appellatione debita nuncupantur, alio Euangelista tanquam interprete dicẽte, *Et dimitte nobis peccata nostra.* Et ipsi quoq; peccatores, ab eodem Euangelista debitores nominantur. Ad hæc nostra quoque, non diaboli, neque Angeli, nec alterius homi-

Luc.11.

nominantur peccata, eo quòd nullam aliam habeant causam, quàm voluntatem nostrã, quæ nobis, non aliis imputari, neque possunt, neque debent, cùm voluntate nostra libera peccemus, Domino dicente, *Perditio tua Israel ex te est, tantummodo in me auxilium tuum.*

Aug. 18. & 12. ca. lib. cont. Manich. Tom. 6. Osea 13. Lib. 3. de lib. arbit. cap. 17. & 18. tõ. 1. & de verit. relig. ca. 14.

Pervulgatum & in ore ferè omnium est istud Augustini verbũ: Peccatum adeò voluntarium est, vt si non fuerit voluntarium, non sit peccatum. Errant proindè qui peccata sua vel in Deum, vel in fraudem reiiciunt.

Iam verò si Dominus veritatis, ac omnis sapientiæ magister docuit sic orare discipulos suos, magnos illos & primos Apostolos suos, hoc est, homines alioqui perfectissimos, ac eam orationẽ illis dicendã tradidit: profectò dubium nõ erit, quin nemo sit, qui sine peccatis vitã istam mortalem transigat, nec est qui hac oratione, Dimitte nodis debita nostra, nõ indigeat. *Si Dixerimus, quia peccatũ non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis nõ est*, dicebat Ioãnes, quod maximè de leuioribus illis & quotidianis peccatis intelligi debere putat Aug. qui etiã ait: Si oẽs sancti, quotquot sunt, & fuere, à primo iusto vsq; ad vltimum, simul essent, nihil aliud dicerent, quam, Dimitte nobis debita nostra, excepta diua virgine matre Maria, de qua, dum de peccatis loquimur, nullam prorsus volumus habere mentionẽ, ad quàm solam verè dicit Spiritus sanctus:

1. Ioan. 1.

Lib. de nat. & gratia contra Pelag. cap. 36.

Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Iam autem non dubium erit, quin Deus nobis sit remissurus peccata nostra, si & nos legem remissionis seruauerimus, quā mox subiungit in hæc verba, inquiens, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Eadem enim mensura qua mensi fueritis, remetietur & vobis. Christi doctrina clara est, *dimittite, & dimittemini.* Item: *Si non remiseritis hominibus, nec pater vester cœlestis remittet vobis peccata vestra.* August. Vide qui dicas, quomodo ego dimitto, sic & tu dimitte mihi. Si dimiseris, benè conuenis, vt dimittatur tibi. Si non dimittis, quomodo eum conuenis?

Matt. 7. Luc. 6. Matt. 6. Aug. ser. 28. Luc. Tom. 10.

Sexta petitione, quæ est, Et ne nos inducas in tentationem, quid à Deo obtinere cupimus?

Hac ipsa petitione Deum obnixius rogamus, vt omnem tentationem à nobis auferat, vtque si qua nobis immittatur, fortiter ei resistamus. Est autem triplex tentatio, Hominis, Dei, & Diaboli: Homo tentat, vt experimentū sumat de re, quam ignorat. Deus tentat, vt probet. Diabolus tentat, vt decipiat, & hominem ad malum inducat.

Triplex tentatio.

Quamuis autem caro, seu carnis concupiscentia, & homo, id est, mundus aliquādo hoc modo tentent: hoc tamen haud secus agunt, atq; quædam Cacodæmonis instrumenta, qui per hæc conantur decipere, & ad peccandum hominem inducere. *Non est no-*

bis

bis (ait Apostolus) *colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus Principes & Potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harũ, contra spiritualia nequitiæ.* *Ephes. 6.*
Ad hunc modum intelligendus est S. Iacobus: *Nemo* (inquiens) *cum tentatur, dicat quod à Deo tentetur.* Deus enim intentator malorum est: ipse enim neminem tentat, vnusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. *Iacob. 1.*

Cæterùm induci in tentationem, est ita vinci & superari à tentatione, eiq; succumbere, vt quispiam relinquat virtutem, & amplectatur vitium.

Docet hoc loco Christus, non id à nobis orandum esse, vt nõ tentemur, cùm tentari malum non sit, sed vtile, & ad virtutis exercitium, quando tentationibus fortiter resistitur: sed ne tentationibus succumbamus, neve peccato atque diabolicis suggestionibus consensum præbeamus. Hoc est enim non induci in tentationem, quemadmodũ Christus Dominus ductus quidem fuit in desertum, vt tentaretur à diabolo; tentationi Cacodæmonis fortiter resistens, non fuit inductus in tentationem. *Matt. 4.*

Semper memoria tenendum est quod admonet D. Petrus: *Sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquã leo rugiens, circuit, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide.* *1. Pet. 5.*

Septima & postrema petitione, quæ est, Sed libera nos à malo, quid à Deo petimus?

Precamur, vt Deus nō sinat nos obrui huius mundi, & præsentis vitæ calamitatibus, sed clementia & benignitate sua, nos liberet à miserijs, periculis, calamitatibus, & omnibus huius vitæ malis, tàm animæ, quàm corporis. Constituunt doctores duplex malum, vnum quod vocant culpæ, quod videlicet malè agendo contrahitur, cuiusmodi est furtum, homicidium, adulteriū, vel aliud peccatum lethale. Atque id verè malum est, separans nos à Deo, de quo hic sermo non est, sed supra petitione quinta, qua petimus, vt Deus remittat nobis peccata nostra. Alterum malū est, quod pœnæ dici solet, quodque Deus plerunq; ob peccata cōmissa immittit, de quo per Prophetā loquitur Deus, *Ego* (inquiens) *Dominus creans malum*. Et alius Propheta: *Non est* (inquit) *malum in ciuitate, quod Dominus non faciat*. Huiusmodi malum est corporis, vel fortunæ, vel famæ calamitas, contemptus personæ, paupertas, fames, bellum, ægritudo, & quæcunque temporalis miseria, de quo malo hac in parte nobis est sermo, à quo nos à Deo Patre liberari petimus. Chrysosto. & Theophylactus per malum, hoc loco, sicut & alijs scripturæ locis diabolum intelligi putāt, vt qui ὁ πονηρός, id est, malus, & prauus ob excellentem malitiam suam vocetur. Est ipse nō solum malus, sed & omnis mali author, & inuen-

Duplex malum.

Esai.45.

Amos 3.

Mala pœna quæ.

inuentor: quàm sententiam sequitur etiam D. August. loco superiùs pluries citato.

Quare in fine orationis Dominicæ adijcitur, Amen?

Vt hac vocula tota oratio Dominica veluti sigillo quoddam concludatur, & obsignetur, significat autem idem quod fiat, siue, verum fiat.

ADDITIO.

Non pigebit hic animaduertere, quod in hac Dominica oratione petimus etiam dona septem Spiritus sancti, vt optimè elici potest ex vetustissima quadam expositione Missæ recens excusa, cuius verba hæc sunt. Septem petitiones in oratione Dominica complentur, quarum prima est; Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum: In qua petimus sapientiam cœlestem. Secunda est; Adueniat regnum tuum, vbi petimus intellectum credulitatis, quia per credulitatem venimus ad intellectum, qui in regno plenius dabitur futuro, quando non iam per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem videbimus, & intelligemus. Tertia petitio est: Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra. Tertium quippè donum petimus, id est consilium, vt velut Dei prouidentia per consilium in cœlestibus omnia reguntur, ita nostræ mentes ab eius consilio in terra corporis degentes mereantur dirigi. Quarta petitio est, Panem nostrum quotidianum

Esai. 7.

1. Cor. 13.

dianum da nobis hodie. In hac verò fortitudinem petimus, cui panis conuenit. Vnde canitur, panis verus qui de cœlo descendit, cor hominis confirmat. Quinta est, Et dimitte nobis debita nostra, &c. In hac post fortitudinem petimus scientiam. Meritò huic petitioni scientia obuiat, quia quisquis scientia perfruitur, scit quòd iustitia puniat, & misericordia dimittat. Sexta est, Et ne nos inducas in tentationem, &c. Sextum namque petimus donum, id est pietatem, vt quando trahimur à nostra fragilitate vsque ad immũdam cogitationem, ne nos dimittat diuina pietas induci vsque ad peiorem voluntatem, & pessimam operationem, siue à suggestione vsque ad delectationem, & consensum. Septima demum petitio est, Sed libera nos à malo, quæ vero Dei timori congruit. Timeamus ergò, fratres dilectissimi, Dominum velut serui, & diligamus ceu filij patrem, non præsumentes eius voluntatem præterire: Et ipse liberabit nos à timore nocturno, & omni malo, scilicet carnis delicto, vel diabolico incursu, seu ab homine prauo. Hæc ille.

Ioan. 6.
Psal. 103.

DE CHARITATE.

Quid est Charitas.

CHARITAS est vera & syncera dilectio, qua Deus diligitur propter se, & proximus propter Deum. Hæc duo habet mandata, vnum pertinens ad dilectionem Dei, quod est maximum in lege mandatum. Alterum pertinens ad diligendum proximum, priori simile. *Mat. 20.*

Quod est primum dilectionis mandatum?

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota mente, & ex tota anima tua. *Deut. 6. Mat. 22.*

Quod est secundum?

Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis tota lex pendet, & Prophetæ. Finis enim præcepti est dilectio. Et ea gemina est, Dei & proximi: qui enim proximum suum diligit, legem adimpleuit. *Ibidem. 1. Tim. 1. Rom. 13.*

Quis est ordo dilectionis?

Ordinem diligendi D. Augustinus præscribit dicens: Ipse est qui ordinatam habet dilectionem, ne aut diligat, quod non est diligendum, aut nō diligat, quod est diligendum, aut æquè diligat quòd minus vel amplius diligendum est, aut minus vel amplius, quod ęquè diligendum est. Omnis peccator, inquantum peccator est, non est diligendus, & omnis homo inquantum homo *Aug. lib. de doctr. Christia. cap. 17. Tom. 3.*

homo eſt, diligendus eſt propter Deum, Deus verò propter ſeipſum:& Deus propter ſe omni homine amplius diligendus eſt,& amplius quiſq; debet Deum diligere quàm ſeipſum. Item, amplius alius homo diligendus eſt, quàm corpus noſtrum, quia propter Deum omnia iſta diligenda ſunt,& poteſt nobiſcum Deo homo frui,quod non poteſt corpus noſtrum, quia corpus per animam viuit,qua fruimur Deo.

Quot ſunt diligenda.

Quatuor ſunt à nobis diligenda.

Quatuor,vnum quod ſuprà nos eſt, Deus, alterum quod nos ſumus,id eſt,ſalus noſtra. Tertium, quod iuxta nos eſt, proximus, id eſt, proximi ſalus, quartum, quod infra nos eſt,corpus noſtrum,& proximi, ac omnia quæ ad corporis ſuſtentationem pertinent.

Vbi Charitatis ſumma continetur?

In decalogo,hoc eſt decem præceptis.

Quid eſt Decalogus?

Eſt doctrina ſeu ſermo de decem Dei præceptis tractans. Decalogus in veteri lege per Moyſen datus, in noua lege per Christum non ſublatus, ſed ad perfectionem adductus eſt.

Quid eſt præceptum?

Pręceptum vel mandatum Dei nihil aliud eſt quàm Dei imperiũ, vt faciamus ea quæ præcipit,& fugiamus quæ prohibet, ſub pęna mortis ęternæ.

Vel,

Vel, præceptum Dei eſt iuſſio Dei, qua nobis ſuam voluntatem manifeſtat, vt ſciamus quid facere, quid omittere debeamus.

Quotuplex præceptum Dei?

Duplex, vnum affirmatiuum, quod præcipit aliquid agēdum, & per affirmationem explicatur, atque hoc ipſum ſub ſe habet tria præcepta, quæ ſunt.

1. Vnum cole Deum. *Exod.20.*
2. Sabbata ſanctifices.
3. Venerare parentes.

Alterum eſt negatiuum, quod prohibet aliquid, vt malum, & negatiuè enunciatur, & habet ſub ſe ſeptem præcepta quæ ſunt.

4. Ne iures vana per nomen Dei.
5. Ne occidas.
6. Ne furtum committas.
7. Ne mœchaberis.
8. Ne falſum præbeas teſtimonium.
9. Ne concupiſcas alterius vxorem.
10. Ne concupiſcas rem alienam.

Quot ſunt præcepta Dei?

Decem, duabus tabulis lapideis digito Dei inſcripta. Prior tabula cōtinet tria præcepta, quæ ipſius Dei dilectionem, & cultum docent. Poſterior ſeptem, quæ ad proximi dilectionem pertinent.

Decalogus in duabus tabulis proponitur, eo quòd omnia præcepta in his duobus comprehenduntur: Diliges dominū Deum tuum,

tuum, & proximum tuum ſicut teipſum.

Proximi qui ſint. Proximi inter ſe cenſendi ſunt omnes homines, quatenus mutua auxilia & beneficia inuicem conferre, & ab inuicem accipere poſſunt.

Quæ ſunt prioris tabulæ præcepta?

Exod.20. 1. Non habebis Deos alienos coram me, non facies tibi ſculptile, vt adores illud.

Exod.20. 2. Non aſſumes nomen Dei tui in vanum.

3. Memento vt diem Sabbati ſanctifices.

Quæ ſunt præcepta ſecundæ tabulæ?

4. Honora patrem tuũ, & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

5. Non occides.

6. Non mœchaberis.

7. Non furtum facies.

8. Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.

9. Non concupiſces vxorem proximi tui.

10. Non concupiſces domum proximi tui, non agrum, ſeruum, bouem, aſinum, nec omnia quæ illus ſunt.

Hæc decem præcepta ſunt decem illa verba fœderis, inter Deum & hominem, quæ Moyſes, Deo præcipiente, ſcripſit in duabus *Exo.24.* tabellis lapideis, in monte Sinai, quãdo fuit cum eo 40. dies & 40. noctes, nec panem manducans, nec aquam bibens.

Præcepta decalogi cur tantum decem ſunt, nec plura, nec pauciora?

Quoniam per hæc decem pręcepta optimè or-

mè ordinatur homo ad quandam Rempublicam sub Deo. Nam cùm in Repub. necesse sit vt vnusquisque benè se habeat, & ad eum qui præest, & ad conciues, per hæc decem facilè id assequi potest. Per tria enim prima præcepta ordinatur erga Deum, cui reddere tenetur fidelitatem, reuerentiam, & famulatum. Erga conciues verò per septem reliqua, quibus non modò nec corde, nec ore, nec opere nocebit, verumetiam superiores venerabitur, æquales amplexabitur, inferiores verò minimè spernet. *D. Thõ. 1, 2 q. 100. art. 5.*

Amplius per hæc decem optimè vera iustitia obseruatur, quæ cum in his duobus versetur, nempè vt declinemus à malo, & faciamus bonum, vt piè sobriè ac iustè viuamus: piè erga Deum, sobriè erga nosipsos, iustè verò erga proximum: si hæc decem præcepta seruemus, veram proculdubio iustitiam consequemur. *Psal. 36.* *ad Tit. 2.*

Proba charitatem scripturæ testimonijs.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis, & proximum tuum, sicut teipsum. In his duobus mandatis pendet vniuersa lex & Prophetæ. *Luc. 10. Mat. 22.*

Plenitudo legis est dilectio, Qui diligit proximum, legem impleuit.

Dili-

Rom.8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

Rom.5. *Charitas Dei diffusa est in cordib⁹ nostris, per spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

1.Cor.13. *Nunc autem manent, Fides, Spes, Charitas, tria hæc, maior horum charitas.*

1.Cor.2. *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illum.*

Primum præceptum quid in se continet?

Esai.64. Exod.23. Damnat omnem idolatriam, superstitiosas obseruationes, vsum item magicæ artis, & diuinationis. Prohibet creaturarum cultum, ne videlicet creaturã more ethnico, pro Deo habeamus, aut supra Deum amemus, sed soli Deo rerum omnium conditori, supremum exhibeamus cultum & honorem, quem λατρείαν vocant Græci. Et est cultus soli Deo debitus, qui latinè vno verbo significari non potest. Ea verò seruitus, quæ debetur Dei Sanctis, aut hominibus, Græcis dici solet δουλεία, iuxta quàm præcipit Apostolus, Tit.2. *Seruos dominis suis subditos esse debere.*

Peccant in hoc præceptum arioli, aruspices, diuinatores, & quicunque magicam exercent, quique illos consulunt.

Sancti sunt honorandi & inuocandi. Item hæretici, qui idola opinionum suarum adorant quodammodo.

Sancti verò, qui in fide Christi nos præcesserunt, & vitæ huius cursum beato fine clauserunt, meritò à nobis honorari de-

bent, veluti corporis eius, quo Christo coniungimur, nobilissima membra, non tamen eo qui vni Deo debetur cultu, sed ea dilectionis & societatis veneratione, qua in hac vita sancti homines à nobis ritè coli possūt. Idque facimus, vt meritis eorum associari, & orationibus adiuuari ritè possimus. Itaq; doctrinam de inuocatione & veneratione Sanctorum, magno totius Ecclesiæ consensu receptam, & quasi per manus traditam, retinere oportet. *Aug. lib. 22. cont. Faust. Manich. cap. 20. Tom. 6.*

Item veneramur Saluatoris nostri, & Sanctorum imagines nō vt Deos, in quos spem salutis nostræ figamus, sed vt monumenta quædam ad recordationem & memoriam. *Imagines quomodo veneranda.*

In synodo Nicæna sexta, imaginum vsus templis restitutus est, & ij duo versiculi editi.

Nam Deus est quod imago docet, sed non
Deus ipsa.
Hanc videas, sed mente colas, quod cernis in
ipsa.

Augustinus de visitatione infirmorum.

Nec Deus est, nec homo præsens, quam cerno figura.
Sed De⁹ est, & homo, quē signat sacra figura.
Verus homo, verusquè Deus, tamen vnus
vterque.
Probra crucis patitur, mortem subit & sepelitur:
Viuit idem, crucis hac per signa triūphat ab hoste,

Id notum vobis crucis huius litera reddit;
Scilicet ipsius nota, sunt crux & crucifixus:
Hanc veneror & ego, Iesum quoque semper adoro.

Decretum synodi septimæ.

Venerabiles imagines Christiani non deos appellant, neque seruiunt ijs vt dijs, neque spem salutis ponunt in eis, neque ab eis sperant futurum iudicium, sed ad memoriam & recordationem primitiuorum venerantur eas.

Quæ est præcepti secundi summa?

Hoc præcepto prohibet Deus nominis sui diuini abusum; simulque verum eius vsum honorificum à nobis exigit. Vanè assumitur nomen Dei, cùm illud homines frustra adhibent, ita vt nullum inde redundet eis commodum, & nulla cogitat necessitas, sed perniciosa consuetudine ducti, aut etiã ex iracũdia, vel temulentia, per nomen Dei iurant. Hic delinquunt qui in rebus leuissimis per talem vsum tremendi nominis Dei maiestatem euilescere faciunt. Expediret quidem in ore fidelium crebrũ esse nomen Dei, iuxta præceptum Apostoli iubentis, vt quæcunq; facimus in nomine Dei faciamus, si tales essent sermones nostri, quales Sanctorum esse debent, sancta seueritate, & sale sapientiæ conditi, puri ab omni turpiloquio & scurrilitate. *Coloss. 3.*

Ad hæc grauiter delinquunt, qui de Deo rebusque diuinis per iocum temerè, & scurriliter

riliter loquuntur, & sanctæ religionis, id est grauia, seuera, minimeq; iocosa, seria, ad iocos viles, & plerumq; impios detorquent.

Blasphemi sunt, qui Sacramenta Christi impijs vocibus irrident, contemnũt & abijciũt. Immanis blasphemia est, cùm sanctum Dei nomen, virtus Dei, salutaris Christi passio, adoranda vulnera, sanguis eius pro salute hominum fusus, & quicquid tandem ad nostram salutem efficax fuit, ad execrationes, & maledictiones assumuntur.

Grauissimè omnium peccant in hoc pręceptum, qui per Deum sanctum & verum iurant scienter falsum. Hi magna Dei offensa se onerant. Hanc diuini nominis violationem excludere volens Christus, ab omni iuramento abstinere iussit suos.

Ego (inquit) *dico vobis, non iurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est, neque per terrã, quia scabellum pedum eius est, neque per Hierosolymam, quia ciuitas est magni Regis, neque per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem sermo vester, est, est, non, non: quod his abundantius est, à malo est.* *Matt. 5.*

* Non quod pro rebus necessariis & vtilibus iurare per nomen Dei peccatum sit, sed quod leuiter aut falsò iurare immane sit peccatum. A periurio homines faciliùs se continere possent, si omnem prorsus iurandi consuetudinem omitterent.

Quatenus ergo iurare licet?

Christus iurare prohibet in sermonibus quotidianis, & rebus leuioribus. Cæterùm in rebus seriis & controuersis, ad comprobandam & illustrandam veritatem, in quibus testimonio opus est (vt ait Apostolus:) *Hebr.6.* Homines per maiorem se iurant, & omnis controuersiæ eorum finis ad confirmationem est iuramentum: tamen tribus adhibitis conditionibus valet, iudicio, iustitia, & veritate. Vnde Hierem. 4. Iurabis (d. Dominus) in veritate, iudicio, & iustitia.

Explica præceptum tertium.

Præcepti huius vis præcipua est de Sabbato sanctificãdo, cultum Dei in nobis promouet, seruiles operas, & corporales occupationes omninò prohibens, vt liberius, quæ pietatis sunt, exequamur, & feriemur à negotiis seculi, totosq; nos Dei seruitio mãcipemus. *Eccle. 38.* Ideoq; corporalem laborem Deus *Prou. 12.* iubet in Sabbato sepon̄ere, non vt laborem *28.* cõdemnet, quem alibi præcepit, aut ocium approbet, quod multis scripturæ locis, tanquam omnis mali sementem execratur, sed vt omnis corporalis seruilisq; occupatio & labor exercitio pietatis cedat, velut meliori, ne per operationem corporalem, mẽtes hominũ debilitentur & distrahantur, & minus attentè quærant iustitiam regni Dei.

Sabbatũ duplex. Sabbatum duplex est, externum & internum. Externum in quiete corporis & vacatione operum seruilium consistit.

Inter-

Internum vel ſpirituale, quod in cultu & dilectione Dei & proximi perficitur, & hominem foris ocioſum ad interna ſpiritus & mentis exercitia remittit, quæ ſunt, laudi & rerum cœleſtium contemplationi vacare, animas verbo ſpiritali ſatiare, hoc eſt, auditione verbi diuini, aut ſcripturarum lectione. Paulus: Itaque relinquitur ſabbatiſmus *Heb.4.* populo Dei: qui enim ingreſſus eſt in requiem eius, ipſe etiam requieſcet ab operibus ſuis. Requieſcet (inquit Aug.) ab operibus carnis, & vacabit operibus diuinis.

Itaque in Sabbati externi vicem, in Eccle- *Apoc.1.* ſia, (cuius rei auctor exſtitit Sylueſter Papa primus, teſte Rab. de inſtit. cle. ca. 46.) dies Dominicus introductus eſt, cuius mentio fit Apocalypſis 1. cap. aliaque feſta ab Eccleſia inſtituta, præſertim propter eos, qui magis ſeculo vacant, quàm Deo, vt ſaltem his diebus memores ſint eius, quod ſcriptũ eſt: *Vacate, & videte, quod ego ſum Deus.* *Pſal.45.* Vacet itaque homo hiſce diebus rebus diuinis, & ferietur à peccatis, ſeu malefactis, & vacet benefactis, hoc eſt enim ſanctificare Sabbatum. Vt docet Chriſtus, Sabbatum propter hominem factum eſt, non homo propter Sabbatum. Itaq; licet Sabbato bene facere.

Præuaricantur hoc præceptum, quicun- 1. que aliquid externi operis, citra neceſſitatem, aut euidentem proximi ſui vtilitatem faciunt.

Item qui totos hos dies turpi ocio tra-
2. ducunt, & horas prophanis occupationibus liberas, ſanctis exercitiis non impendunt.

3. Qui conuentus populi Chriſtiani deſerunt, ſacra audire negligunt.

4. Qui diem ſanctificationi deſtinatum ad res turpes cõuertunt, totos dies ebrietatibus, comeſſationibus, variiſq; flagitijs abſumentes. Vnde Rabanus lib. 2. inſt. ca. 46. Statuit idem Papa Syluester, vt ocium Sabbati in diem Dominicam transferretur, vt ea die à terrenis operibus ad laudandum Deum vacaremus, iuxta illud quod ſcriptum eſt: Guſtate, & videte quoniam ſuauis eſt Domi-
Pſal. 33. nus. Secundum hunc autem morem in natalitiis ſanctorum vacare, id eſt, ad laudes Dei celebrandas ſancta nos iubet Eccleſia. Cæterùm, qui his diebus ad hoc vacaret ab agricultura, vt crapulæ & ebrietati deſeruiat, vel iocis inanibus operam det, agnoſcat ſe magis peccare per tale ocium, quàm ſi alioqui vtili operi inſiſteret, Salomone teſte, qui
Prou. 23. ait, Væ illis qui morantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis.

5. Sabbatum prophanant, qui omiſſo ſacrarum rerum exercitio, ſpectaculis, aleæ, choreis, aliiſque rebus mentem à cœleſtium rerum contemplatione auocantibus, & ad illicitas cupiditates pellicentibus, intendunt.

Verè autem Sabbatum ſanctificant, qui ita

ita se ad sabbatismum componunt, vt de tremēda Domini mensa sacrosanctam Eucharistiam, salutarem animæ suæ cibum & crebrò & dignè percipiant.

ADDITIO.

Sabbatum cur in diem Dominicum immutatum fuit?

Multis nimirum de causis, præsertim verò tribus. Primò, ne quis putaret more Iudæorum illum diem aliis esse sanctiorem. Vnde potiùs sabbatum nos sanctificare arbitraretur, quàm nos sabbatum.

2. Vt antiquæ legis cerimonię dispensationi operum Christi subiaceant. In memoriā enim Dominicæ resurrectionis id factum esse credimus, quemadmodum etiam D. Aug. testatur. Quare dies Dominicus ex Dominica resurrectione declaratus est. Ex illa enim cœpit habere festiuitatem suam, statim post Christi abitionem ab ipsis Apostolis institutus. Quod quidem Ioannes Euang. in Apoc. testatur, cùm ait: Ego Ioannes fui in spiritu Dominica die. Postremò quicquid insigne à Domino constitutum est, hoc die constitutum est. In hac enim mundus sumpsit exordium: In hac per resurrectionem & mors interitum, & vita principium accepit, vt Leo Papa apertissimè affirmat, & hab. d.75.cap. Quod die Dominico.

Lib. de Genesi contra Manich.

Apoc. 1.

Dist. 75. ca. Quod die Dominico.

Quæ est explicatio quarti præcepti, Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram?

Hoc præcepto docemur, quòd parentes nostros tam animi quàm corporis, non honoremus solùm, timeamus & diligamus, sed etiam egentes & infirmos opera nostra, studio & auxilio iuuem⁹, Christus ait, Deus
Matt.13. dixit: Honora patrem tuũ & matrem tuã. Et, qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.

Ephes.6. Paulus, *Filij obedite parentibus vestris in Domino, hoc est enim iustũ. Honora patrem tuum & matrem tuã* (quod est mandatum primum in promissione) *vt bene sit tibi, & sis longæuus super terram.* Hoc quoque pręcepto mandatur vt obediamus Episcopis, pastoribus & magistris, qui sunt patres nostri spirituales.

Et potestatibus superioribus, & quorum subsumus imperio, qui etiam patres vocantur, vt 4. Reg. 5. vbi serui Naamam Dominum suum patrem appellabant.

Tit.3. Itaque delinquunt in hoc præceptum qui parentes suos non honorant, qui verbis eos aut saltem vultus acerbitate contristant, qui in animo eos despiciunt, & paruipendunt, qui mandata eorum non exequuntur.

Omnium verò scelerum immanitatem vincunt, qui maledictis incessunt, aut contumelia afficiunt parentes suos. Qui manu

ſacrilega verberant vitæ ſuæ auctores: qui in egeſtate conſtitutos deſerunt. Similiter delinquunt, qui Epiſcopis, præſidibus Eccleſiæ, in ijs quæ ſunt fidei, & quæ ad conſeruandam Eccleſiæ diſciplinam pertinent, morem non gerunt. Qui magiſtratibus velut miniſtris Dei, obedire detrectant. Et breuiter qui ſuperiores in ijs omnibus, quæ non contra Dei voluntatem iniungunt, non audiunt, cuius hoc mandatum eſt, vt propter ipſum ſuperioribus pareamus.

Quid præceptum quintum vetat?

Ne cui ſine cauſa iraſcamur, ne cui inſidiemur, ne vlli mortalium manus violentas inijciamus, aut mortem intentemus.

Hoc præcepto vitam, & corpus proximi defendere ab iniuria iubemur. Sed cùm lex ſpiritualis ſit, & non ſolùm externo opere, ſed & magis internis animi affectibus adimpleatur, ad plenam huius præcepti obſeruantiam requiritur, vt non ſolùm manus à cæde, & effuſione ſanguinis contineamus, ſed vt & iram, & inuidiam ex animo prorſus eiiciamus.

Ad hanc perfectionem Chriſtus abſolutæ virtutis magiſter inducit, *Audiſtis* (inquiens) *quia dictum eſt antiquis. Non occides. Qui autem occiderit, reus erit* mortis. Ergo autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo reus erit iudicio: qui dixerit fratri ſuo Racha, reus erit conſilio: qui* Matt. 5. * al. iudicio.

autem dixerit, fatue, reus erit gehēnæ ignis. Item: *Audistis, quia dictum est antiquis, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, benefacite ijs qui oderunt vos, orate pro persequentibus, & calūniantibus vos, vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit, super bonos & malos, & pluit super iustos, & iniustos.*

Ibidem. Item, *Ego autē dico vobis, nolite resistere malo, sed si quis percusserit te in dexteram*
1. Ioan. 3. *maxillam, præbe illi & sinistram.* Item, *Qui odit fratrem suum, homicida est.*

Ephes. 4. Item, *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis, cum omni malitia.*

Ibidem. *Estote inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut & Deus in Christo donauit vobis.*

Quare in hoc præceptum omnium grauissimè delinquunt, qui manu cædem faciunt, qui humanum sanguinem fundunt, & proximo vitam, nobilissimum Dei donum crudeli violentia extorquent, quia nullum aliud in hominē cadere potest scelus immanius, aut à natura eius alienius, quàm vt proximo vitam per violentiam adimat.

His qui voluntariam cædem perpetrant, pœnam mortis irremissibilem Deus sanciuit.

Qui-

Quicunq; effuderit sanguinem humanũ, fundetur sanguis eius. Hanc pœnam Christus approbauit. *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Gen. 9. Mat. 26.

Magistratus tamen capitis supplicio sontes puniens, in hoc præceptum non delinquit, quod non tam ipse, quàm ipsius ministerio, lex, & iustitia trucidet flagitiosos. Exercet enim non hominis, sed Dei iudicium.

Peccant etiam in hoc præceptum, qui alium ad cædem alterius vel imperio compellunt, vel consilio aut persuasione inducunt, vel auxilio iuuant, qui iratis frigidam suffundunt, ansam præbent, & acerbis verbis iras exortas acuunt, & in mutua odia magis irritant & prouocant, qui certè non minori reatu se polluunt, quàm si ad cædem ipsi manus adhibuissent.

Occidunt & hi, qui fame aut alio casu de vita periclitantibus cùm possint nõ succurrunt. Si fame morientem non pauisti, occidisti, vt D. Ambros. asseruit. *Lib. de offic. 1. cap. 30.*

Sic occidunt qui captiuos aut iniustè condemnatos ad mortem *, quantum possunt non liberant, aut qui quoduis periculum à proximo suo pro virili non repellunt. * *Vide Prou. 24.*

Homicidæ sunt mulieres quæ fœtus prœmaturos pharmacis eijciunt, vel in vtero perimunt, in sua viscera crúdeles, vitam

eorum, quos ipsæ genuerant, atroci scelere pessundant.

Sceleratiores homicidæ sunt, qui sibi ipsis mortem inferunt, & vitam nobilissimum Dei donum ingrati sibi ipsis extorquent.

Voluntarium & perniciosum est homicidium eorum qui seipsos crapula & ebrietate interficiunt: *Propter crapulam* (ait Sapiens) *multi perierunt: qui autem abstinens est, adijciet ad vitam.* Prouerbium est, Plures crapula quàm ense pereunt.

Eccle.17.

Prouerbiorum.

Peccant similiter in hoc præceptum qui proximo sunt maledici, qui fratri ea imprecantur, quæ si euenirent, sine dubio moreretur.

His iungitur detractor, qui absentis vitam conuitiis proscindens famam proximi lædit, qui vno linguæ ictu tres simul occidit: seipsum, (quia os quod mẽtitur occidit animam suã,) & eum qui libenter & mala intentione auscultat, quem similis culpa inuoluit, & eum cui detrahit, qui existimationem suam à detractore læsam audiens, & ipse in iram, id est, animæ suæ mortem proruit. Cędis rei sunt, qui internos affectus ad proximi læsionem propensos habent, qui ira, aut odio ardent, inuidia flagrant in proximum.

Sapien.1.

Est tamen salutaris ira, cui affectus lædendi non adhęret, quæ non in perniciem, sed salutẽ proximi intendit, qua nõ homini,

sed

ſed vitijs eius iraſcimur, odiẽtes in homine, non quod fecit Deus, ſed quod homo ipſe fecit. Sed non ſine peccato iraſcuntur, qui in peccantes vltra modum ſæuiunt, amplius onerantes eos, quam delicta eorum merebantur.

Quid ſexto præcepto, quod eſt, Non mœchaberis, prohibetur?

Omnis fornicatio, prout eſt adulterium, incœſtus, ſtuprum, raptus, omnis denique concubitus illegitimus. Nam extra congugiũ omnis libido damnata eſt. Fornicatores & adulteros iudicabit Dominus, ait Paulus. *Heb.13.* Non aliud peccatum pręter homicidium atrocioribus iniurijs charitatem violat, quã adulterium. Quantæ enim amaritudinis & *Prou.* mœroris res eſt, vxor per adulterium violata! *Non grandis culpa cum quis furatus fuerit. furatur enim vt eſurientem impleat animam. Qui autem adulter eſt propter cordis inopiam, perdit animam ſuam turpitudine, & ignominiam congregat ſibi, & opprobrium illius non delebitur. Quia zelus & furor viri nõ parcet in die vindictæ, nec acquieſcet quiſquam precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima.*

Apoſtolus adulteros à regno Dei excludendos, & æternis ſubijciendos ſupplicijs denuntiat. Lex non ſolùm adulterium, *1.Cor.6.* quod eſt cum altera vxore illicita permixtio, ſed omnem fornicationem, omnemque nefarium & illegitimum concubitum

prohibet. Sunt autem libidinis multæ species, aliæ alijs grauiores, in quibus leuioris culpæ est fornicatio cum soluta, quæ primum pudicitiæ florem cum alio viro detriuerat.

Grauius est stuprum cum virgo vitiatur.

Adhuc grauius delinquunt, qui raptum committunt, hoc est, qui filiam aut vxorem alienam, vi abductam, constuprant. Huius flagitij reus fuit princeps Sichomorum, qui Dinam sororem duodecim Patriarcharum raptam vitiauerat.

Gen. 34.

Abominabilis est incœstus, cum quis, effreni libidine, in propinquitatem irruens, ius naturæ violat, & suum sanguinem conspurcat.

Sacrilegium committit, qui post votum seruandæ castitatis emissum fornicatur, aut qui pudicitiam eius violat, quæ perpetuam castitatem voti nuncupatione promisit.

Similiter hoc præcepto vetantur concubitus cum masculis, cum incubis & succubis, & omnis prorsus immundities, mollicies, & sodomia.

Quid vetat præceptum septimum, quod est, Non furtum facies?

Vetat omnem rei alienæ contractionem, vt est furtum, rapina, vsura. Furti enim nomine omnis rei aliena illicita vsurpatio intelligitur. Non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit. Sed à parte to-

te totum volens intelligi, furtum appellauit quicquid de rebus proximi illicitè sustuleris, aut de bonis alterius iniustè alienaueris.

Nec ideò minus odisse furtum Deus putandus est, quod iussu eius Israelitæ Ægyptios despoliauerint, nec quisquam impune hoc exemplo res proximi sui rapuerit. Nouit enim Deus quid vnumquemque pati oporteat. Et cum ipse sit rerum omniũ Dominus, sine læsione iustitiæ ab alio ad alium res transfert. Ideoque non fecerunt furtum Israelitæ, sed Deo iubente præbuerunt ministerium. Permultum laboris sustinuit in Ægypto populus Israeliticus conficiendis lateribus, & construendis parietibus ac ciuitatibus, quamobrẽ voluit Dominus illis laborum mercedem rependere. Theodoret. ca 23. super Exod. de quæst. ambiguis. *Exodi 3. Theodoretus super 23. Exod.*

Prohibetur etiam hoc præcepto non solum alienæ rei iniusta vsurpatio, sed & in proprijs facultatibus retinendis immitis tenacitas, & in acquirendo nimia solertia, & anxia sollicitudo, quæ plerunque cum fraude & aliorum detrimento solet esse cõiuncta.

Vetatur simul prodigalitas, profusio, ac nimius luxus.

Ad hoc præceptum quoque pertinet, prohibitio fœnoris, & vsuræ, de qua Christus: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* *Luc. 6.*

Delin-

Delinquunt in hoc pręceptum qui de rebus proximi clam surripiunt.

Similiter & hi, qui etsi nihil auferunt, res tamen proximi vel dolo corrumpunt, & vitiant, vel negligentia perire permittunt. Hoc furti genere infames sunt serui negligentes & pigri, & infidi operarij, qui pro inutili & semipleno labore integrā mercedem recipiunt. Et sunt hi domestici fures clandestinis furibus multò perniciosiores. Furem enim sera excludit, contra serui fraudem nulla custodia sufficit. Viciſsim furtū committunt domini qui seruos aut operarios debita mercede defraudant.

Iacob.5. Quos increpat Apost. Iacobus: *Ecce, merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.*

Subditi qui malignè non prębent vectigalia, tributa, Decimas, & reliquas collationes, quæ magistratibus diuino iure debentur, vt inde ad rempublicam gerendam sumptus suppetant, grauiſsimum furtum committunt.

Viciſsim peccant magistratus, si hęc accipientes, tranquillitatem publicam, pro cuius conseruatione tributa illis pręstantur, venationibus, aut luxui, aut alijs vanitatibus intenti, negligunt.

Similiter furtum committunt, quoties subditos suos iniquis exactionibus vexant, & grauant. Furtum committunt iudices, qui

qui venalem habent iustitiam, & muneribus deliniti, causas inopum subuertunt, quibus dicitur: *Xenia, & dona excæcant oculos iudicum.* *Eccl. 20.*

Duæ sunt in iudice ęquè nociuæ pestes, Auaritia, quę lucro inhiat, & animi imbecillitas, quę affectibus cedit, & odio aut fauore ducitur, aut potentia terretur, aut miseria flectitur. Fures sunt valde perniciosi, qui vsuris miseram plebem expilant: vsurã enim simul & lex detestatur, & Euangelium condemnat. *Exo.21.* *Psal.14.* *Num.5.* *Deut.25.*

In hoc præceptum iniquissimè delinquunt, qui furtis omnibus grauiora committunt sacrilegia. Hi sunt, qui sacris manus prophanas inijciunt, sancta templa demoliuntur, & eorum ministros bonis exuunt, domicilijs exturbant, & impia cupiditate diuitijs Ecclesiarum inhiantes, res diuinis vsibus dedicatas ad vsus prophanos cõuertunt: bona Ecclesiarum sui iuris faciunt patrimonia martyrum, & donaria deuotę plebis, in aulis suis, in venationibus & choreis absumunt, monachorum prędia aut diuendunt, aut ministerijs aulicis donant, de campanis bellica tormenta conflant, de calicibus potantur ebrij, de velis templorum, & sacris vestibus, pellices principum, & matronę ac filię nobilium vestes sibi consuunt, & quęcunque olim in decore domus Dei seruiebant, ea nunc diaboli pompam instruunt. *Luc.19.*

Furtum

Furtum committit, qui rem inuentam sibi seruat, nec Domino ad quem propriè spectat restituit: si autem Dominus inueniri non poterit, quod inuentum est, in vsus pauperum irrogari debet. Furtum etiam faciunt qui res furto ablatas à furibus coemunt, aut saltem veris dominis res amissas, cum possunt, non indicant: digni enim sunt morte, non solum qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus. Fures sunt qui merces multas coemunt & conseruant, nec prius depromunt aut ad aliorum vsum proferunt, quam pretia earum in immensum creuerint.

Res inuenta quomodo restituēda.

Rom. 1.

Nec solum in extrudendis mercibus furtum committunt, sed in acquirendis etiam, dum nimia solertia, aut merces aut aliæ diuitiæ quæruntur. Nam iuxta vetus verbum, *Vir iustus tardè ditescit*, & vix à fraude alieni sunt, qui magnas diuitias citò congerunt.

Prou. 28.

Simili modo iniusti sunt qui in rebus proprijs furtum committunt, qui sua nimis amant, & tenaciter retinent, nec aliorum inopiam sua copia subleuant.

In hoc quoque præceptum peccant qui qui validis corporibus mendicant. Item decoctores, qui marcentes otio res à parentibus relictas, aut aliunde partas, non augent labore, sed desides absumunt, & vbi ad senectam deuentum est, victitare ex alieno coguntur.

Breuiter, non possunt fraudes omnes & doli notari. Quicunque itaque aliquid de facultatibus proximi quacunque tandem ratione aut via subtrahit iniustè, hic furtum committit.

Quid prohibetur præcepto octauo, quod est, Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium?

Hoc præcepto legislator linguam hominis, velut rabidam & nocentissimam bestiã coercet, quæ vitæ famæ, & fortunis proximi insidiatur. Quæ inter reliqua humani corporis membra, portione parua, malitia grandis & immensa est. Diuitiæ semel amissæ sæpe etiam cum lucro reparantur: famæ autem semel læsæ aut amissæ, difficilis admodum & penè irrecuperabilis est restitutio.

Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua, ne loquantur dolum. *Psal. 33.*

Peccant contra hoc præceptum grauissimè qui in iudicio contra causam proximi falsum testimonium iurati proferunt, vt ad condemnationem vrgeant innocentem, & condemnatum aut ad necem compellant, aut facultatibus, aut fama spolient.

Grauius crimen est, cum in iudicio causæ miserabilium hominum per mendacia subuertũtur, & falsis testimonijs opprimũtur viduæ & pupilli, qui hominum patrocinio destituti, sub sola iudicij tutela conquiescunt. *Viduã & pupillũ nolite contristare.* *Hiere. 22.*

Extra.

Extra iudicium delinquunt in hoc præceptum, qui confictis criminibus famã proximi denigrant, & sinistris sermonibus existimationem eius lædunt, aut mendacij delatione vitam & bona proximi in extrema pericula deducunt.

Eiusdem criminis reos se faciunt, qui detractoribus libenter aures præbent: hi enim patientia, aut potius delectatione, detractores ad criminãdum accendunt. *Sepi* (inquit

Eccles.28. Eccles.) *aures tuas spinis, & linguam nequã noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis.*

Detractoribus similes sunt qui proximũ temere iudicant, hoc est qui lapsum acerbè insectantur, & peccatum eius exaggerant.

Mat.7. *Nolite iudicare* (inquit Christus) *& non iudicabinimi.*

Sed vt lapso insultare superbiæ est; ita peccatum eius negligere, grandis crudelitatis. Itaque qui potestatem habet, si in puniendo & negligentem se, & ignauum præbuerit, grauiter delinquit, & criminis societate se polluit.

Temerario iudicio valde affinis est illa hominum malignitas, qua rectè facta aliorum parcè laudamus, nec etiam voce alicuius, & debita laude admodum delectamur. Cõtra verò vitia eorum copiosè narramus & vituperio exhilaramus. Impingunt etiam in hoc præceptum susurrones, qui mala alterius apud alium criminantes, mutua odia

susci-

ſuſcitant, & inter tranquillos, & pacem habentes diſſidia ſeminant, & certamina accẽdunt.

Simul & turpiloquium, & omnis vana & inutilis loquacitas hoc pręcepto prohibetur, quæ paſſim ſcriptura condemnat. Chri-
ſtus de omni verbo otioſo homines rationẽ *Mat. 2.*
reddituros minatur. *In multiloquio* (ait Sa- *Prou. 10.*
piens) *non deerit peccatum.* Qui autem mo- *Ibidem.*
deratur labia ſua, prudentiſſimus eſt.

Notatur etiam hoc præcepto omne men- *In lib. de*
dacium, cuius tria genera enumerat D. Au- *mẽdacio.*
guſtinus; officioſum, iocoſum & pernicio- *cap. 14.*
ſum. *To. 4.*

Officioſum mendacium eſt, quod officio datur, id eſt, quo alicuius vtilitas & ſalus quæritur, ſine alterius iniuria, aut vbi innocentia iuſti hominis in aliqua neceſſitate cõtra alienam malitiam defenditur, quali mẽ-
dacio obſtetrices Ægyptiacæ Hebræorum *Exod. 1.*
infantes contra immane Regis edictum tutatæ ſunt. Hoc mendacium etſi propter neceſſitatem & magnam vtilitatem excuſabilius eſt, nemo tamẽ illo ſine peccato vtitur, eò quod Deus omne mẽdacium deteſtetur, quoniam mendacium aduerſatur veritati:
Deus autem veritas eſt. *Omne mendacium* *1. Ioan. 4.*
(ait Ioannes) *non eſt ex veritate.* Obſtetrices *1. Ioan. 2.*
autem Ægyptiacæ, ſimiliter & Rachab, quę *Exod. 1.*
ſpeculatores Iſrael ab inquiſitoribus ſerua- *Ioſue 2.*
uit, non ideò placuerunt Deo, quia mentitæ ſunt, ſed quia in homines innocentes miſeri-

ſericordiam præſtiterunt, pietatis & beneuolentiæ, non fallaciæ præmia acceperunt, & veniam mendacij ex merito pietatis conſecutæ ſunt.

2 Iocoſum mendacium eſt, quo voluptas captatur, & audientium hilaritas, & delectatio quæritur, à quo propoſitũ fallendi abeſt.
Epheſ.5. Ab hoc mendacio Apoſt. homines Chriſtianos vult eſſe alienos, quos iubet ab omni
Matt.12. ſcurrilitate abſtinere. Et Chriſtus nos de omni verbo otioſo rationem reddituros affirmat.

3 Tertium eſt mendacium pernicioſum, quod animo fallendi dicitur, ſimul & in periculum atque perniciem tendit, vt proximum, aut in corpore, aut in bonis, aut in fama lædat, id quod Dominus vehementer
Zach.8. deteſtatur, *Loquimini* (inquit Propheta) *veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo*. Et
Pſa.4. Dauid, *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

Quid vetat præceptum nonum, quod eſt, Non deſiderabis vxorem proximi tui?

Prohibet non ſolum actum, ſed & improbum adulterij conatum, atque adeo omnẽ
Matt.5. excludit mœchandi cogitationem. Chriſtus enim inquit: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis. Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad cõcupiſcẽdam eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.*

Præ-

Præceptũ hoc post sextum necessariò adiunctũ est, ne rudis populus crederet voluntatem ad perpetrandã libidinem procliuẽ, aut etiã adulterij conatũ à peccato esse immunẽ, quam diu successus non sequeretur.

Paulus. *Melius est nubere quàm vri.* Sed intellige nondum professo castitatem: cui verò ob votum non licet ducere vxorem, vel nubere, sedulò orandus est Deus ne cõtingat aduri. *1. Cor. 7.* *Nota per pulchrã expositionem.*

Orandus profectò est Deus, sed non sic vt dimittamus nos. De nobis aliquid & nos agere debemus, conari debemus, & in eo gratias agere in quo potuerimus, in eo quod non potuerimus, orare Aug. serm. contra Pelag. To 10. vide etiam eundem Aug. lib. de Virg. per totum. To. 6.

Decimo & vltimo præcepto, quod est, Nõ cõcupisces domũ proximi tui, non seruũ, non ancillam, non asinum, nec omnia quæ illius sunt, quid cauetur?

Hoc præcepto prohibet legislator, vt bona proximi nostri non solũ, vel vi, vel dolo non inuadamus, sed ne concupiscamus quidem. Hęc duo præcepta postrema omnem concupiscentiam vetant, ne quid cupiditate aut conatu animi, in contumeliam, aut perniciem proximi moliatur. Et hic cõtextus non incommodè in duo præcepta diuiditur propter duplicem concupiscentiam, qua homines ad mutua damna & contumelias mouentur: vna est, concupiscentia boni vtilis, *Duplex concupiscentia.*

lis, altera boni delectabilis; vna est cupiditas lucri, altera appetitus libidinis. Ad refrenandam libidinem pertinet illud: *Nõ desiderabis vxorem proximi tui.* Ad lucri cupiditatẽ coercendam referuntur hęc verba. *Non concupisces domum proximi tui.*

Exod. 20.

Ibidem.

Peccant contra hoc præceptum, qui pecunias mutuas tradunt inopibus, deinde solutionem de repẽte vrgent, quam cum præstare debitor non possit, diuendere cogitur agrum, aut domum, cui inhiabat auar⁹ creditor.

In appetitione serui, & ancillæ, non dissimili ratione peccatur: delinquit enim qui in aliena familia videns seruum frugi, aut ancillam vtilem, conatur eos promissis allicere, vt relicto Domino priore sibi operam locẽt. Cæterùm his duobus præceptis postremis satis ostendit Deus, legẽ suam esse spiritualem, hoc est, non externo solum opere, sed etiã internis animi affectibus adimplendam. Nec insontẽ habebit Deus hominem, quantumuis in externo opere cõtinentem, nisi etiam prauas cordis cogitationes ab oculis Dei procul remouerit. *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.*

Esaia 1.

Summa decalogi.

Matt. 6.

Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.

DE PRAECEPTIS ET TRADITIONIBVS ECCLESIAE.

COnstitutiones, traditiones, rit⁹, mores & ceremonias per Ecclesiã Catholicam traditas & receptas, tametsi non scriptas, ab homine Catholico obseruari oportet, vt quæ fundamentum suũ habent ex scripturis sacris, & proinde secundum locum obtinent post præcepta diuina, & non minus sanctè etiam & religiosè à populo Christiano seruari debent, quàm ipsius Dei mandata. Quicquid enim Ecclesia Christi præcipit, hoc idem Christus, iuxta illud: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* *Luc. 10.*

Item, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus.* *Mat. 18.*

Item, *Sicut misit me viuens Pater, ita & ego mitto vos.* *Ioan. 20.*

Perambulabat Paulus Syriam & Ciliciam, cõfirmans Ecclesias, & præcipiens custodire præcepta Apostolorum & Seniorum. *Act. 15.*

Itẽ, *Laudo vos fratres, quòd per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* *1. Cor. 11.*

Item. *Cætera cum venero disponam.* *Ibidem.*

Item, *Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* *Ibidem.*

2.The.2. Item. *Fratres, ſtate & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram.*

Quæ ſunt Eccleſiæ præcepta præcipua?

Quinque ferè numerantur, primum, Eccleſia dies feſtos Chriſti, Virginis & matris Mariæ, Apoſtolorum, aliquot martyrum, Confeſſorũ & Virginũ religioſa ſolẽnitate celebrat, & fidelibus celebrandos pręcipit.

Secundum, Ante omnia verò diem Dominicum ſtatuens, vt omnes fideles eo die ad auditionem ſacræ concionis, & celebrationem Miſſarum conueniant, nec ante diſcedant, quam concio abſoluatur, & tota Miſſa benedictione & dimiſſione ſacerdotis compleatur. Egreſſum è templo, ſacerdote in Eccleſia concionem habente excommunicandum, & diſcedentem ante Miſſam completam ab Epiſcopo publicè confundẽdum eſſe præcipit.

Tertium, Ieiunia certis diebus & anni temporibus Eccleſia Apoſtolica traditione indicit.

Eccleſia abſtinet ab eſu carnium in hebdomada feria ſexta, qua mortuus eſt Dominus, & Sabbato, quo quieuit in ſepulchro.

Ieiunat quoque quatuor anni temporibus, pro aeris temperie & temporis ſerenitate, in Vere, Æſtate, Autumno & hyeme, præterea feſta Chriſti, & Sanctorum ieiunijs pręuenit.

Conciliũ Moguntinum c. 33. Item Ignatius Ep. ad Philip.

Ecclesia vnam Quadragesimam secundum traditionem Apostolorum ieiunat. Theophilus Alexandrinus ait: Habemus Quadragesimam ab Apostolis institutam & ordinatam. *August. de Ecclesiast. dogma. cap. 66. Tom. 3.*

Omnium indictorum ieiuniorum diebus Ecclesia abstinet ab esu carnium, non quod illas immundas esse credat, vt hæretici, de quibus Paulus vaticinatus est, sed edomandi corporis, & humiliandæ animæ gratia. *1. Tim. 4.*

Quartum: Ecclesia decreuit, vt omnis homo fidelis omnia peccata (quoad eius per diligentem conscientiæ examinationem, & præmeditationem sedulam fieri potest) semel in anno suo parocho, aut illius permissione alij idoneo, & perito sacerdoti confiteatur, datamque & acceptam pœnitentiæ satisfactionem adimpleat. *Concil. Later. ca. 21.* *Extra de pœn. & remiss. c. omnis.*

Postremò ordinauit, vt quilibet Christianus, vbi ad discretionis annos peruenerit, Eucharistiæ Sacramentum ad minimum semel in anno, videlicet in Paschate, sumat. *Ibidem.*

Hæc negligentem, dum viuit, ab Ecclesiæ conuentu; mortuum ab Ecclesiastica sepultura arcendum esse præcipiunt Canones.

Habentur & nonnullę aliæ his consimiles traditiones in Ecclesia. Voluntarium & religiosum Monachismum amplectentem & vouentem consilia Euangelica, tanquam

genus vitæ perfectioris, valde commendat. Infringentes votum damnat, quia priorem fidem castitatis irritam fecerunt. Ecclesia his, qui se semel ministerio sacerdotij consecrarunt, postea vxorem ducere non permittit.

1. Tim. 5.

Immo subdiaconis etiam, vt D. Greg. Ep. ad Pet. subdiaco. & Ep. 42. lib. 1. sui Regist. & habetur dist 31 cap. Ante.

Qui successu temporis duarum vxorum mariti fuerunt, à capessendo sacerdotio submouet.

In decretis Innocentij 2.

DE CEREMONIIS.

Quæ sunt ceremoniæ Ecclesiasticæ?

Ecclesia varijs & multi generis ceremonijs vtitur, vtpote signaculo & mysterio sanctæ crucis consecrat triplex oleum, Catechumenorum, infirmorũ, & quo sacerdos vngit iam baptizatos in vertice: Consecrat & baptisma, aspergit populum aqua benedicta, sal porrigit consecratum, in capite quadragesimæ cineres capitibus imponit, agit processiones diebus Dominicis cum crucis trophæo & vexillis, orat ad Orientem, geniculatur, tundit pectus, accendit in templis cœreos & luminaria, spargit thymiama seu thuris suffitum, spargit aquam sacram, & thuris suffitum super sepulchra fidelium defunctorum:

ctorum: vtitur veſtibus ſacris in celebratione ſacramentorum: dedicationem templorum celebrat: clericos & monachos tondet. Hæc & huiuſmodi quam plurima ſacra ſigna in Eccleſia inſtituuntur, quibus non vt rebus inhærendum, ſed vt ſignis, per quæ ad contemplandas res ſignatas prouocemur, vtendum eſt. Vtitur Eccleſia ijs cerimonijs, non quod in his externis (ſi deſit ſpiritus) fiduciam reponi velit, ſed vtitur quibuſdam viſibilibus ſignis, vt ſtimulis religionis non contemnendis. Aug. inquit: Qui veneratur vtile ſignum diuinitus inſtitutum, cuius vim ſignificationemque non intelligit, non hoc veneratur quod videt & tranſit, ſed illud potius ad quod talia referenda ſunt.

Lib. 3. de doctrina Chriſt. c. 7. To. 4.

Idem Aug. Si quid totum per orbem frequentat Eccleſia, hoc an ita faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.

DE SACRAMENTIS.

Quid eſt Sacramentum?

SAcramentum apud Ethnicos ſcriptores, eſt iuſiurandum numinis, vel religionis interuentu confirmatum. In ſacris literis idem eſt quod myſteriũ ſecretũ, ſeu religioſum arcanum. In propoſito, Sacramentum eſt ſacræ rei ſignum, vel, Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma, ſeu ſignum, quod eius ſimilitudinem

Iuxta Magiſt. ſent. li. 4. d. 1.

gerit,& cauſa exiſtit,cuius ſignum eſt.

Sacramenta quot ſunt?

Septem: Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, extrema Vnctio, Ordo, Matrimonium: ex ſcripturis enim animaduertuntur. Sancti Patres hæc ſeptem myſteria rectè ac propriè dici ſacramenta voluerunt, propterea quod ita ſunt ſigna inuiſibilis gratiæ Dei, vt & ipſius gratiæ Dei imaginem gerant, & cauſæ quoque exiſtant.

In vnoquoque ſacramẽto duo ſunt conſiderãda.

In vnoquoque ſacramento duo ſunt ſpectanda, ſacramentum ipſum, hoc eſt, externum ſacrumque ſignum influens oculis & auribus; & res ſacramenti: id eſt, diuina ſpiritualiſque vis, & gratia Dei, quæ in adminiſtratione ſacramentorum ritè accipientibus confertur.

Sacramenta non ſimpliciter ſigna ſunt, ſed ſacra & efficacia ſigna; quia non modò ſignificant, vt ſacramenta veteris legis, diuinam illam ſpiritualem gratiam, ſed eam dignè ſuſcipientibus, & non ponentibus obicem peccati, conferunt & prꝺſtant.

Quid eſt gratia?

Gratia eſt donum Dei nobis à Deo gratis collatum. Aliter & magis propriè: Gratia eſt forma à Deo nobis data gratis & ſine meritis, gratum faciens habentem ipſam, & opus eius bonum, reddens dignum vita æterna, iuxta Paulum: *Gratia Dei, eſt vita æterna, in Chriſto Ieſu Domino noſtro.*

Rom. 6.

Gra-

Gratia est duplex. Operans & cooperans. *Lib. de*
Gratia operans est, quæ pręparat hominis *na. &*
voluntatem, vt velit bonum. *gratia.*

Gratia cooperans adiuuat, ne frustra ve- *Tom. 7.*
lit August. Cooperando Deus in nobis per- *& li.*
ficit, quod operando incipit, quia ipse, vt *de lib.*
velimus, operatur incipiens, qui volentibus *arbit. ca.*
cooperatur perficiens: vt ergo velimus ope- *17 To. 1.*
ratur. Cum autem volumus, & sic volumus *& lib. 2.*
vt perficiamus, nobis cooperatur, & tamen *contra*
sine illo vel operante vt velimus, vel coope *duas*
rante cùm volumus, ad bona pietatis opera *Epist. Pe-*
nihil valemus. *lagiani.*

Itaque operans gratia est, quę præuenit *cap. 8.*
voluntatem bonam. Ea enim liberatur & *Tom. 7.*
pręparatur hominis voluntas, vt sic bona bonumque efficaciter velit.

Cooperans verò gratia voluntatem iam bonam sequitur adiuuando. Itaque bona voluntas sequitur gratiam, non gratia volũtatem.

Iam alia diuisione, Gratia diuiditur in gratiam præuenientem, & subsequentem.

Et gratia præueniens non est alia, quàm operans, quæ voluntatem hominis præuenit, liberat & pręparat, vt velit bonum.

Gratia subsequens est gratia cooperans, quæ comitatur, & adiuuat voluntatem hominis bonam, ne frustra velit, iuxta illud Pauli: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* *1. Cor. 15.*

Rurſus diuiditur gratia. Eſt enim alia gratia gratis data, alia gratum faciens, vel iuſtificans. Gratia gratis data, quę datur ſine vllis meritis, prout eſt fides, prophetia, & prima gratia, quam homo non meretur.

Gratia iuſtificans, & gratum faciens, quæ non ſolum gratis præſtatur à Deo, ſed & iuſtificat, atque hominem gratũ reddit Deo, ex peccatore iuſtum, ex impio gratum & amicum Dei conſtituit.

Sacramenta quibus paſſim nominibus appellantur.

Vaſa, & quaſi canales gratiæ diuinæ appellantur, vt per quæ Deus dignè & ritè ſuſcipientibus gratiam ſuam largiatur & infundat.

Sacramenta largiuntúrne ſemper gratiam?

Quid eſt obicem ponere. Ita, & quidem ex opere operato, niſi ponatur obex. Obicem ponere, intelligunt Theologi peculiari phraſi nihil aliud quàm peccata obſiſtere in ſuſcipiente, quo minus gratia Sacramentalis conferatur. Peccatum enim quod gratiæ ex diametro opponitur, impedit, ne gratia locum habere poſſit in ſuſcipiente. Itaque hoc loco ſciendum eſt etiam, quod tantummodo ex parte ſuſcipientis Sacramenta ponatur obex, quo minus ſacramentalis gratia conferatur, non autem ex parte Sacerdotis Sacramenta adminiſtrantis, quantumuis impuram & ſacerdote indignam agit vitam. Cùm impurus

purus & peccator sacerdos æquè ac probus, qui honestæ est vitæ & exempli, sacramẽta alijs administrare possit, quamdiu ab Ecclesia non fuerit recisus, dummodo munere & officio suo secundum formam ab Ecclesia traditam ritè fungatur, Ecclesiæque intentionem per omnia seruet. De qua re quodam in loco D. August. inquit: Non ideo veriora & sanctiora sunt Sacramenta, quia per meliores ministrantur: illa namque per seipsa vera sunt, & sancta, propter verum & sanctum Deum, cuius sunt. Idem alibi: Memento Sacramentis Dei obesse nihil mores malorum hominum, quo illa vel omnino non sint, vel minus sancta sint. Ambrosius: Non merita personarum consideres, sed officia sacerdotum, in sacramentorum administratione.

Lib. 2. contra Donati.

De Baptismo. Tom. 7.

Amb. de iis qui initiãtur c. 5. To. 4.

Quæ & quot sunt causæ instituendi Sacramenta?

Magister sententiarum tres præcipuas enumerat, videlicet, propter humiliationẽ, exercitationem, & eruditionem, vt sint remedia contra peccatum, & certa efficaciaque signa voluntatis, & gratiæ Dei, in sensum externum incurrentia, admonentia & erudientia nos, vt quod foris in specie visibili fieri cernimus, intus per Dei virtutem effici credamus, vide Magistrum sent. lib. 4. dist. 1.

Lib. 4. dist. 1.

Item ideo etiam instituta sunt sacramẽta, vt sint velut symbola & signa, quibus Chri-

ſtiani ſe mutuo agnoſcãt, & in vnione fidei Catholicę contineantur.

Sacramenta à quo ſunt inſtituta.

Conc. Trid. ſeſ. 7. Tit. de ſacramẽtis: can. 1. Quia Sacramentum ſignum eſt efficax & infallibile gratiæ diuinæ, ſequitur nimirum omnia Eccleſię ſacramenta à Deo eſſe inſtituta, non ab Apoſtolo, non ab aliquo Concilio. Imò ſi totus nunc conueniret mundus, nullum ſacramentum inſtituere poſſet.

Mat. 28. Baptiſmi ſacramentum Chriſtus inſtituit cum dixit: *Euntes prædicate Euangeliũ omnibus gentibus, baptizãtes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti.*

Luc. 24. Confirmationis cum dixit; *Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto.*

Mat. 26. Luc. 22. Ioan. 20. Euchariſtiæ, cum dixit: *Accipite & manducate, &c. Hoc facite in meam commemorationem.*

Pœnitentię, cum dixit: *Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, &c.*

Marc. 6. Extremę Vnctionis, cum Apoſtolos emiſit ad prędicandum, & illi exeũtes vngebãt oleo multos ægros, & ſanabantur.

Ioan. 20. Ordinis, cùm dixit: *Sicut miſit me Pater, ſic & ego mitto vos.*

Matt. 10. Item cum elegit duodecim Apoſtolos, & cum deſignauit alios 72.

Luc. 10. Matt. 19. Matrimonij autem ſacramentum inſtituit, vel potius inſtitutum cõfirmauit, cum dixit: *Quod Deus coniunxit, homo nõ ſeparet.*

Sacramenta vnde habent vim & efficaciam ſuam?

Ex morte & passione Christi, Aug. teste, qui ait ea ex latere & vulneribus Christi in cruce pendentis fluxisse. Nec hæc duo inter se pugnant, cum dico; Sacramenta virtutem suam habere ex ipsa Dei voluntate, & profluxisse illa è latere & vulneribus Christi. Vtrumque verum est: voluntas siquidem Dei operatur per ipsa Sacramenta, verùm eam operationem proposuit Deus per meritum passionis & mortis Christi adimplẽdam. *Ex lib. sentent. Prosperi sent. 329.*

Quotuplicia sunt Sacramenta?

Duplicia, veteris, & nouę legis.

Sacramenta veteris & Mosaicę legis erãt Circumcisio, sacrificia, victimæ, oblationes, & id genus pleraque alia.

Nouę legis sunt numero septẽ, quę paulò antè recensuimus.

Differúntne Sacramenta veteris legis à Sacramentis nouæ legis?

Differunt sane. Nam Sacramenta & cerimonię veteris legis gratiã Dei significabãt, quam Sacramenta nostra prę stant.

Item, Sacramenta veteris legis tantum significabant, non sanctificabant. Sacramenta autem nostra & signant & sanctificant.

Fuit autem inter Sacramenta veteris legis Sacramentum quoddam, circuncisionis videlicet, idem conferens remedium contra peccatum, quod nunc baptismus præstat. *Vide magistrum sent. li. 4 d. 1.*

Sacramenta noua legis quotuplicia sunt.

Duplicia: voluntatis quædam, quædam necessitatis.

Sacramẽta voluntaria. Voluntaria sunt, quę nō necessariò requiruntur ad hominis salutem, sed in cuiuslibet volũtate est ea suscipere vel non, & sunt duo; Ordinis & Matrimonij.

Sacramẽta necessaria. Necessaria, quæ necessario ad hominis salutem requiruntur, & sunt reliqua quinque, Baptismi, Confirmationis, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & vnctionis extremæ, quanquam etiam inter hæc dispar sit necessitas, vt alia alijs sint maximè necessaria, nimirum Baptismus & Pœnitentia, quòd hæc directè ad remissionem eorũ peccatorũ ordinentur, quæ à regno Dei excludunt.

Sacramẽta reiterabilia. Rursus quædam sacramenta nouæ legis sæpius iterari possunt, vt Pœnitentia, Eucharistia, Matrimonium, & extrema Vnctio.

Quædam semel suscepta, postea nunquã possunt neque debent iterari & resumi, vt est Baptismus, Confirmatio, & sacer Ordo: & huius rei causam assignant, quòd characterem imprimant animæ suscipientis indelebilem, & semper duraturum.

Quid est Character?

Parte 3. qu. 63. Character, definitore Thoma Aquinate, est signum à Deo animæ impressum, in susceptione alicuius Sacramenti, quod iterari non potest, perpetuò manens in anima.

Signum illud notat & significat illum suscepisse

cepisse hoc Sacramẽtum, penes quod etiam apud inferos Christiani dignoscuntur ab infidelibus.

Fœdus nimirum, hoc est pactum, cuius gratia velit quisque seruare legem Dei.

Hunc characterem tria habent sacramenta, quæ iterari nõ possunt, Baptismus, Confirmatio, sacer Ordo, qui sic permanebit in Baptizatis, confirmatis, & sacerdotibus, vt etiam si condemnentur, non sint eum amissuri.

Quot sunt Sacramentorum partes?

Duæ: Materia & forma, seu (quod idem est) verbum & elementum. Fit enim Sacramentum cũ verbum accedit ad elemẽtum, ait August. Verbum auribus hauritur, & de volũtate & promissione Dei nos docet: elementum oculis & sensu percipitur, & similitudinem quandam in se continet eius rei, cuius est signum.

Tract. 80. in Ioan. Tom. 9.

Velut in Baptismo aqua significat animę emundationem, & peccatorum remissionẽ, quàm diuina promissio nobis adfert, ipsa siquidem aqua ad abluendas omnis generis sordes per naturam valet.

Quot in quolibet Sacramento administrando requiruntur?

Sex: debita materia, debita verborum forma, idoneus minister, intentio recta ministri, qui facere intendat quod Ecclesia facit, suscipiẽs, & debita suscipiẽtis dispositio.

Sex requiruntur ad debitam sacramẽti administrationem. Magist. sent. lib. 4. dist. 4.

 Quot

Quot sunt in quolibet Sacramento considerandæ?

Tria: Res, Sacramentum, Res & Sacramentum simul, iuxta magistrum Sententiarum, lib. 4.

Res Sacramenti, est gratia iustificans, quę in administratione Sacramentorum ritè accipientibus confertur.

Sacramentum, est externum & visibile signum incurrens oculis & auribus. Res & Sacramentum simul gratia est diuina cum signo externo & visibili.

Quis est effectus seu virtus Sacramentorum?

Sacramentorum vis seu effectus, est vis diuina & spiritualis, hoc est, gratia Dei, per debitam sacramentorum susceptionem collata.

Est autem duplex sacramentorum effectus, communis & proprius.

Communis, est gratiæ diuinæ collatio, quæ per omnia sacramenta confertur.

Proprius est, qui vnicuique sacramento peculiaris est.

Quæ est cuiusque Sacramenti vis seu effectus proprius?

1. Baptismi vis est conferre gratiam Spiritus sancti, ad remissionem peccatorum maximè originalis, & in adultis etiam peccati actualis.

2. Confirmationis, ad robur & tutelam.

3. Euchariſtiæ, ad ſpiritualem refectionem.
4. Pœnitentiæ, ad purgationem remiſſionemque peccatorum actualium poſt baptiſmum commiſſorum.
5. Ordinis ad debitam executionem officij ſuſcepti.
6. Matrimonij, ad coniunctionē mutuam animorum, & ad ſuſceptionem educationemque prolis.
7. Extremæ Vnctionis virtus eſt, præſtare gratiam ad purgationem peccatorum venialium, prout infra de quolibet Sacramento latiùs dicetur.

DE BAPTISMO.

Quid eſt Baptiſmus?

BAPTISMVS eſt lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti. *Tit. 3.* Vel, Baptiſmus eſt ſignū ſenſibile ex *Epheſ. 4.* inſtitutione diuina, ſignificans mortem veteris hominis, & renouationem noui. Vel,

Eſt ablutio corporis exterior cum inuocatione ſanctæ Trinitatis, ex inſtitutione diuina, ſignificans ablutionem animæ à peccatis. *Magiſt. ſenten. 4. diſt. 3.*

Vice Baptiſmi in veteri lege inſtituta erat circuncifio, in remedium peccati originalis, iuxta illud Auguſtin. Ex quo inſtituta eſt circuncifio in populo Dei, quæ erat tunc ſignaculum iuſtitiæ fidei, ad remiſſionem valebat magnis & paruulis, originalis *Aug. li. 2. de nuptijs & cōcupiſc. c. 11. Tom. 7.*

veterisque peccati; sicut Baptismus ex illo valere cœpit ad innouationem hominis, ex quo institutus est.

Gen.17. Quod in veteri lege de circuncisionis necessitate est dictum: *Masculus cuius præputij caro non circumcisa fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit:* hoc in noua lege Christus de

Ioan.3. Baptismo affirmauit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum cœlorum.*

Etsi autem circuncisio (iuxta verba Aug.) Baptismo comparatur, nonnihil tamen interest discriminis.

Longè maior & vberior gratia infunditur puero in Baptismo, quàm in circuncisione: Circuncisio enim virtutem suam habebat ex morte Christi præuisa, sed Baptismus ex morte Christi exhibita. Baptismus circuncisione præstantior est, qui ianuam cœli aperit, quod non poterat circuncisio.

Circuncisio ianuã cœli non aperiebat.

Proba Baptismum testimonijs sacræ Scripturæ.

Ioan.3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnũ Dei.*

Matt.3. *Ego baptizo vos aqua in pœnitentiam: qui autẽ post me venturus est, fortior me est, cuius nõ sum dignus calceamenta portare, ipse vos baptizabit in spiritu sancto & igni.*

Marc.16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.*

Bapti-

Baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti. Act. 2.

Et hæc quidem fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis, in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri. 1. Cor. 6.

Christus dilexit Ecclesiam suam, & seipsum tradidit pro ea: vt sanctificaret eam, mundans illam lauacro aquæ, in verbo vitæ. Ephes. 5.

Cùm enim benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei: non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum saluatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius hæredes simus secundum spem vitæ æternæ. Tit. 3.

Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Ezec. 36.

Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gētes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæ mandaui vobis. Et, Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Mat. 28.

Differuntne baptismus Ioannis Baptistæ & Christi?

Differunt, Baptismus Ioannis non erat sacramen-

cramentum, neque gratiam baptizatis prę-
Luc. 3. stabat, quemadmodum baptismus Christi: Ego baptizo vos aqua (dicebat) ille autem baptizabit vos Spiritu sancto.

Ioannis Baptismus corpus tantum abluebat, in anima verò nihil operabatur.

Item, Baptismus Ioannis erat præparatorius ad baptisma Christi, quo videlicet homines paulatim assuefierent, & perducerentur ad Christi baptismum.

Bapt. est omnium sacramentorũ maximè necessarius. Primum & omnium maximè necessarium Sacramentum est Baptismus, vt sine quo nemo saluari, nec hæres Dei, & cohæres Christi constitui queat. Estq; quasi fundamẽtum & ianua reliquorum Sacramentorum, & Ecclesiæ ingressus, eo quòd nullum sine eo Sacramentum esse possit: si quis enim ordinatus in presbyterum, comperiat deinceps se non esse baptizatum, non est ordinatus.

Quotuplex est Baptismus?

Triplex, fluminis vel aquæ: flaminis vel spiritus: & sanguinis.

Primus, de quo in præsentia agimus, so-
Ioan. 3. lus Sacramentũ est, de quo Dominus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c.* Reliqui duo etsi pręclari, eximij & multũ meritorij sũt, Sacramenta tamen nõ sunt, sed vicẽ Sacramẽti baptismi obtinent.

2. Est autem Baptismus flaminis, cùm quis credit in Christum, & vellet baptizari, præuentus autem tempore moritur, antequam

æquam Baptiſmum conſequatur. Ille hoc modo baptizatur in ſpiritu. Hoc modo baptizatum eſſe latronem in cruce, teſtis eſt Auguſt. *Libr. 4. cont. Donatiſt. cap. 12. tom. 7.*

Auguſtinus ait, Baptiſmus inuiſibiliter adminiſtratur, quem non contemptus religionis, ſed articulus neceſſitatis excludit. *Ibidem.*

3. Baptiſmus ſanguinis eſt, quando aliqui pro nomine Chriſti, & fidei profeſſione occiduntur. Hi nimirum in ſanguine ſuo baptizantur, quo Chriſtus ipſe baptizatus eſt, & pueri innocentes ab Herode trucidati.

De Baptiſmo flaminis dicitur, *Vos autem baptizabimini Spiritu ſancto.* *Act. 1.* De ſanguinis Baptiſmo dicitur: *Poteſtis bibere calicem quem ego bibo, & baptizari baptiſmo quo ego baptizor?* *Marc. 10.*

Quæ eſt materia ſeu elementum Sacramenti Baptiſmi?

Aqua elementaris verbo Dei ſanctificata: Vbi ſciendum eſt, quod aqua eſſe debet purè elementaris, nõ in glaciem congelata. Excluduntur itaque omnes alij liquores, qui non ſunt aqua, vt vinum, oleum, ſanguis, ſputum, lac, mel, aquæ roſarum, vel ex alijs odoramentis diſtillatæ, & alij ſimiles liquores, in quibus Baptiſmus conſecrari non poteſt, propter aperta verba Chriſti: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* *Ioan. 3.* Signum autem aquæ, vel exterior corporis ablutio, ſimilitudine quadam internam

Baptiſmi.

Baptiſmi vim & operationem indicat. Nam ſicut per aquam res corporales abluuntur & purificantur, ſic per lauacrum Baptiſmi ſordes, id eſt, peccata animæ purgantur. Eſt itaque res Sacramenti Baptiſmi ablutio & remiſſio omnium peccatorum, adoptio Baptizati in filium Dei, regneratio in nouum hominem per Spiritum ſanctum, & aſſumptio regenerati in hæredem Dei, & cohæredem Ieſu Chriſti.

Quæ eſt forma Baptiſmi?

Forma Baptiſmi eſt, Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Id quod in hoc Chriſti mandato exprimitur:
Mat. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in*
Mar. 16. *terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Et huic promiſſioni innititur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.*

Si verò dubium fuerit, puer baptizatus ne ſit, an non, licebit hac forma vti: Si baptizatus es, ego te non rebaptizo; ſi verò non es baptizatus, ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

Quis eſt effectus ſeu virtus Baptiſmi?

Effectus ſeu vis baptiſmi, eſt in pueris ablutio peccati originalis, in adultis verò omnium peccatorum, tàm originalium quàm actualium, regeneratio hominis noui, & regni cœleſtis hæreditas.

In baptiſmo enim homo plenam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem accipit, ex filio iræ & hærede æternæ mortis filius conſtituitur Dei, & hæres vitæ æternæ.

Suntne paruuli baptizandi?

Sunt, idque ſtatim vt ex vtero matris in lucem editi fuerint. Neque obſtat quod fidem propriam non habeant; ſufficit illis fides ſanctæ matris Eccleſię, parentum & ſuſceptorum, & vt aliqui volunt, fides infuſa puero. Impij ſunt qui paruulis Baptiſmum adimunt. Baptiſmus enim nunc, promulgata Chriſti lege, vnica eſt ad ſalutem ianua, per quam venitur ad Chriſtum, & per quam ingredi oportet omnes qui ſaluātur, denunciante Domino: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*. Cùm autem Chriſtus ad ſe inuitet paruulos, & non ſit voluntas coram Deo vt vnus pereat ex puſillis iſtis, Eccleſia paruulis ianuam hanc, per quam ad Chriſtum ipſos vocantes venire queant, aperit, & eos ad baptiſmum, vt ſecundum voluntatem Dei ſalutis participes fiant, ex Apoſtolica traditione ſuſcipit, baptizans eos per inuocationem S. Trinitatis, in fide totius Eccleſiæ, quam per ſuos ſuſceptores confitentur, vt ſic fides matris Eccleſiæ paruulis proſit, quibus culpa patris Adæ nocuit, & vt peccati illius, quod non ſua, ſed patris Adæ culpa contraxerunt, remiſſionem ex matris Eccle-

Ioan.3. *Luc.18.*

Ecclesiæ fide pro eis credentis & confitentis consequantur.

Luc. 18. *Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum.*

Matt. 18. *Nisi efficiamini vt paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.*

Luc. 18. Christus respiciens fidem offerentium infantes, vt tãgeret, amplexatus est eos, & imponens manus benedicebat illos.

Act. 2. *Baptizetur vnusquisq; vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus sancti.*

De ceremonijs & mysticis ritibus Baptismi.

Ceremoniæ, quæ in baptizando adhibentur, omnes mysticam & spiritualem habent significationem.

1. Aqua baptismi oratione & Chrismatis vnctione consecratur, vt intelligamus aquã non ex natura sua, sed ex diuina virtute abluere sordes peccatorum.

2. Baptizandus, exorcismis & exufflationibus præparatur, & signaculo crucis munitur, vt diabolus hoc signum Christi aspiciens, non audeat amplius molestare eum quem in Christi tutelam susceptum ex hoc signo agnoscit.

3. Gustus salis præbetur baptizando: quo significatur sal sapientiæ cœlestis, ad insinuandum baptizatos omni iniquitatis fœtore carere debere, ne vltra à sordibus pec-

catorum putrefiant, ſed magis illæſi ſeruentur, ad maiorem gratiam accipiendam.

4. Aures & nares baptizandi ſputo illinuntur, vt aures ad audiẽdum verbum Dei, & nares ad diuinum odorem hauriendum aperiantur.

5. Baptizandus abrenunciare Sathanæ, & Chriſti fidem confiteri iubetur, vt huius ſponſionis per omnem vitam ſuã memor, in omnibus ſuis actibus cogitet, ſe diabolo & operibus eius renunciaſſe, & in Chriſti verba iuraſſe.

6. Vngitur oleo ſancto in pectore, & inter ſcapulas, ad luctamen in hoc ſeculo obeundum, iuxta illud: vita hominis eſt militia ſuper terram. Vt ita ad rectæ fidei confeſſionem, & bonorum operum executionem diuina virtute roboretur.

7. Ter mergitur in fonte baptiſmi, aut eius aqua cõſpergitur, vt in numero merſionum Trinitatis myſterium celebretur.

8. Chriſmate vngitur in vertice, quia caput noſtrum Chriſtus eſt, cui per baptiſmum inſerimur, & ab eo Chriſtiani nuncupamur.

9. Induitur veſte, ſeu vitta alba, ad deſignandã vitæ innocentiam & puritatẽ, quàm virtus baptiſmi præſtat, quàm & illæſam conſeruate, & ante tribunal Chriſti baptizandus repræſentare debet.

Tempore verò neceſſitatis prædictæ omnes omitti poſſunt ceremoniç: tunc enim

ſuffi-

sufficit debitam formam & materiam, atque Ecclesiæ intentionem obseruare. Item necessitate exigente, quilibet homo, quicunque tandem fuerit sacerdos, siue laicus, vir, siue mulier, Catholicus, siue hereticus, Christianus, Iudæus, siue Paganus, modò prædicta tria debitè obseruet, puta materiã, formam, & Ecclesiæ intentionem, huius Sacramenti minister esse potest.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

Quid est Confirmatio?

CONFIRMATIO, Ecclesiæ Sacramentum est, quo Spiritus sanctus, qui in baptismo ad purgationẽ peccatorum datus est, ad robur & gratiæ augmentum, atque ad intrepidè nomen Dei confitendum infunditur. In Baptismo datur Spiritus S. ad purificationem peccatorum; In Confirmatione verò datur ad custodiam, tutelam, * defensionem, robur, & gratiæ diuinæ augmentum, vt illius præsidio carni, mundo, & diabolo fortiter obluctari possimus. Datur deniq; ad consolationem, qua idem Spiritus nos consolatur, in omni tribulatione nostra, vt & nos possimus cõsolari eos qui in omni pressura constituti sunt.

** Sic enim exigit militares ordo, vt cũ Imperator quẽcunq; in militum receperit numerũ, non solũ signet receptum, sed etiam armis cõpetentibus instruat pugnaturum.*

Extant

Extantne de hoc ſacramento teſtimonia ſcripturæ?

Ita in baptiζato benedictio illa munitio eſt. Euſe. Emiſſ. homil. de Pente. 2.

Extant ſanè, & ea non pauca quidem.

Cùm audiſſent Apoſtoli qui erant Hieroſolymis, quòd Samaritani recepiſſent verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Ioannem, qui cùm veniſſent, orauerunt pro ipſis, vt acciperet Spiritum ſanctum. Tunc imponebant manus ſuper eos, & accipiebant Spiritum ſanctum. *Act. 8.*

His auditis, baptiζati ſunt in nomine Ieſu, & cùm impoſuiſſet manus illis Paulus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos. *Act. 19.*

Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille docebit vos omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis. *Ioan. 14.*

Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo: cùm autem venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem. *Ioan. 16.*

Ego mittam in vos promiſſum Patris ſpiritum, vos autem ſedete hic in ciuitate, quoadusq; induamini virtute ex alto. *Luc. 24.*

Apoſtoli confirmati leguntur ipſo Pentecoſtes feſto, quando Spiritus venit ſuper eos in ſpecie ignis, & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto. *Act. 2.*

Sacramentum Cõfirmationis à ſolis Epiſcopis ad-

Adminiſtrant hoc ſacramentum in Eccleſia ſoli Epiſcopi, veluti Apoſtolorum ſucceſſores: quod ſi aliter præſumptum fuerit, irritum habetur.

miniſtrari poteſt, & hinc fit vt ratione miniſtri præſtantius iudicetur à alijs ſacramentis. Vide Magiſt. ſenten. 4. diſt. 7.

Quæ eſt materia vel elementum Confirmationis?

Criſma ex oleo & balſamo mixtum, & ſolenni benedictione ab Epiſcopo conſecratum, quo frons confirmandi in modum crucis perungitur. Quod quidem Chriſma loco impoſitionis manuum ex Apoſtolica traditione inſtitutum eſt. Poſteaquam enim Spiritus ſanctus ad manuum impoſitionem viſibili ſigno (prout ab initio euenerat) amplius influere deſiit, hæc vnctio Chriſmatis in hoc Sacramento adhiberi cœpit.

Adhibetur autem vnctio Chriſmatis, ad deſignandam illam internam vnctionem ſeptiformis ſpiritus Dei, qua videlicet intus ſpiritu Dei corda baptizatorum imbuũtur. Oleum enim lucis adiumentum eſt, & corporibus robur, ac vires ſubminiſtrat: ſic nos per vnctionem Spititus ſancti in fide magis illuminamur, & ad confeſſionem ac bonorum operum exercitia fortiores & expeditiores reddimur, per virtutem Spiritus ſancti, quam in Sacramento Confirmationis accipimus.

Quæ eſt forma Confirmationis?

Forma huiuſmodi eſt, Ego conſigno te ſigno ſanctæ crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

Effectus Confirmationis quis eſt?

Effectus Cõfirmationis, vel res ſacramenti eſt vn-

eſt vngi ſpirituali vnctione, & ſeptiformis Spiritus ſancti munere confirmari, aduerſus carnis, mundi & diaboli inſultus.

In Baptiſmo Chriſto nomen dedimus, & per Spiritus ſancti gratiam omnium peccatorum remiſſionem, & æternæ hæreditatis promiſſionem accepimus.

Nunc autem in Confirmitione idem ſpiritus, ſed alio munere nobis influit, & præſtatur. Docet enim ex vnctione ſua, & ad fidei myſteria plenius intelligenda nos illuſtrat, & augmentum gratiæ & robur addit baptizatis, vt ad confitendum & glorificandum nomen Dei audaces & intrepidi euadant, & ad bene operandum & ad faciendum mandata Dei, per augmentum gratiæ & charitatis fortiores efficiantur, vt contra omnes hoſtium externorum & internorum inſultus firmi inuictique perdurare, & acquiſitam in baptiſmo innocentiam illæſam conſeruare poſſint.

Denique conſolatorem & cuſtodem ſe nobis præbet in hoc Sacramento Spiritus ſanctus, vt quemadmodum tutor pupillis ſuis prouidet, ſic ipſe ſua ope nos conſeruet & protegat, eſt enim ipſe Paſtor orphanorum, & iudex viduarum.

Quæ ſunt ceremoniæ vel ritus in hoc Sacramento adhiberi ſoliti?

I. Adhibetur Chriſma, quod ex oleo & balſamo commiſcetur, quo ſignificatur diuinę gratiæ pinguedo, fidei ſplendor, & ardor

charitatis: quæ omnia per Sacramentum Confirmationis Spiritus sancti virtute in nobis augentur.

2. Adhibetur oleum, cuius mysticam intelligentiam paulò antè indicauimus.

3. Balsamum item, quod suauitatem Spiritus sancti insinuat, qua nos ad se trahit, & vt vicissim quoq; nos meminerimus, odorem bonæ vitæ de nobis emittere, vt homines bonam nostram conuersationem videntes, hoc odore ad Christum quoq; pertrahantur.

4. Crucem Christi in fronte accipimus, ne posthac confessionis Christi nos pudeat.

5. Percussione maxillæ ad patientiam exercemur, vt passione Christi in hac vita participes effecti, etiam regnemus cum illo tandem in gloria.

6. Vltimo, hoc in Sacramento susceptores quoque, qui patrini dicuntur, requiruntur, qui confirmatos suscipiant, peplo obtegant, & tandem tertia die Chrisma & oleum sacrum à fronte detergant.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

Quid est Pœnitentia?

SACRAMENTVM Pœnitentiæ est, quo ei, qui post baptismum deliquit, si pœniteat & confiteatur peccata sua, pecca-

catorum per absolutionem sacerdotis annunciatur remissio. Hier. in

Sacramentum illud à D. Hieronymo & Tertulliano secunda tabula post naufragiũ appellatur, ad quàm videlicet homo post naufragium peccatorum vt saluetur se conuertit. commen. super 3. c. Esaiæ. Tom.5.in illa verba, peccatum suũ quasi Sodoma.

Aliter D. Gregor. Pœnitentia est ante acta peccata deflere, & deflenda iterum nõ committere. D. Augustinus hac ratione definit. Est odium peccati, & amor Dei. serm. 7. de verb. Apost. tom. 10. Greg. hõ. 34. in Euang. tõ. 2.

Produc testimonia scripturæ de pœnitentia.

Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Ioan. 20.

Quæcunq; ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis. Mat. 18.

Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunq; ligaueris super terrã, erit ligatum & in cœlis, & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Matt. 16.

Nisi pœnitẽtiã egeritis, oẽs simul peribitis. Luc. 13.

Facite dignos fructus pœnitentiæ. Luc. 3.

Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Matt. 4.

Gaudium est angelis in cœlis super vno peccatore pœnitentiam agente, magis quàm super nonaginta nouem iustis, qui pœnitentia non indigent. Luc. 15.

Matt.9. *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.*

Luc.22. *Respexit Dominus Petrum, & egressus foras fleuit amarè.*

Luc.7. *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

Quotuplex est pœnitentia?

Triplex pœnitentia. In primitiua Ecclesia triplex in vsu fuit, pœnitentia solennis, publica, & priuata.

Solennis pœnitentia imponebatur in grauissimis & manifestis delictis: eam cogebatur quis longo admodum tempore facere, in summa abstinentia, & durabat interdum ad tres annos, vel plures, iuxta delicti grauitatem: ea, iam refrigescente hominum charitate, simul elanguit.

Secundum pœnitentiæ genus, publicum dicebatur, fiebatque in conspectu totius Ecclesiæ propter aliquod enorme peccatum, sicut etiam nūc homines in grauissimis casibus detenti, vt homicidæ, incēdiorum authores, meretrices, ad sedem Episcopalem remittuntur, vt ibi in Ecclesijs cathedralibus pœnitentiam, maximè in die cœnæ Domini agant. Huius pœnitentiæ aliquis adhuc in Ecclesia vsus est relictus.

Pœnitentia tertia priuata est, quæ priuatim fit sacerdoti, à quo & confitens absoluitur.

Pœnitentia adhuc duplex est, vna ante Baptismum, altera post Baptismum.

Pœnitentia ante Baptismum non est

ſacramentum, neque confeſſionem ſacramentalem & ſatisfactionem, ſed deteſtationem tantùm, & odium prioris vitæ poſtulat.

Pœnitentia verò poſt Baptiſmum, quę eſt ſecunda poſt naufragium tabula, vt ſit ſalutaris, cordis contritionẽ, oris confeſſionem, & operis ſatisfactionem à Confeſſario iniunctam requirit.

Vnde eſt alia ratio iuſtificationis hominis per baptiſmum, & alia reconciliationis cum Deo, hominis lapſi in crimina poſt Baptiſmum.

Quot ſunt partes pœnitentiæ?

Pœnitentia tribus partibus abſoluitur, Contritione, Confeſſione, & Satisfactione.

Quid eſt contritio?

Contritio eſt dolor animi, quo homo peccata commiſſa dolet, & quodammodo in ſeſe dolendo vindicat, cum voto & firmo propoſito vitæ in melius commutandæ.

Da ſcripturæ teſtimonia de contritione.

Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. *Pſal. 50.*

Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra. *Ioel. 2.*

Quid eſt Confeſſio, & quotuplex?

Confeſſio duplex eſt, interna ſcilicet, quę Deo fit, & quotidie facienda eſt, qua vitę ſuę actus ſecũ reminiſcens, ea quæ impiè & malitioſè contra Deũ deliquit, cũ acerbo animi

ſui dolore damnat, & deteſtatur, veniam & conſolationem à Deo animi votis requirẽs, cum propoſito talia non iterũ perpetrandi. Hæc confeſſio ſanctis & pijs peculiaris eſt.

D. Bern. has oẽs ad tres reducit, aſſerens quod cõfeſſio tũc vera eſſe poteſt, cũ vera eſt & nuda & propria. Vide ſer. Septem graduum pœnitential.

Eccleſiaſtica vel ſacramentalis eſt peccatorum omnium, quæ conſcientiam in primis grauant, coram ſacerdote, qui Dei legatione & Eccleſiæ miniſterio rite fungitur, agnitio & enarratio.

Enumeranda ſunt confitenti peccata omnia, quæ diligenter cogitanti & ſeipſum examinanti in mentem veniunt.

Quæ & quot ſunt conditiones confeſſionis?

1. Duodecim, Confeſſio enim, vt ſit bona & ſalutaris, debet principio eſſe voluntaria.

2. Præmeditata, vt confitens diligenter euoluat librum conſcientiæ, atq; in eo peccata ſua recolat.

3. Diligens, non ſupina.

4. Integra, ne ſciens peccatum aliquod vel ex verecundia vel alia de cauſa celet.

5. Accuſatoria, peccator enim principio ſui ipſius accuſator eſt.

6. Propria, vt nemo peccatorum ſuorum cauſas in alios torqueat, vel de alijs confiteatur.

7. Contrita, id eſt, amara, cum dolore & amaritudine cordis.

Eſai. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*

8. Verecunda, pudica, vt honeſtatis ratio vbique

vbique seruetur, maximè vt peccata carnis non impudenter, sed modestè, id est, reuerenter detegantur.

9. Humilis, vt quis peccata pudicè, verecundè, & humiliter commemoret.

10. Spei plena, de remissione peccatorum.

11. Vera, non fucata.

12. Nuda & aperta, non vt quis palàm & omnibus audientibus peccata sua coram sacerdote enumeret, sed ratione peccati, confessarij & loci.

Quæ sunt autem & quot conditiones boni confessarij?

Quinque præcipuę. 1. Potestas. 2. Scientia. 3. Prudentia. 4. Probitas. 5. Sigillum.

Quòd autem ad potestatem attinet, requiritur in confessario, vt ius habeat & potestatem soluendi & ligandi.

Scientia requiritur in Confessario, vt doctus sit, & vel mediocriter in literis versatus, vt officium suum rectè & conuenienter administrare sciat & possit.

Porrò prudentia necessaria est sacerdoti audituro confessiones, vt iustè & rectè diiudicare possit inter lepram & non lepram, inter peccata lethalia & venialia, grauiora & leuiora.

Præterea probitas & vitæ integritas in confessario maximè requiritur, ne confessuri ob improbitatem vitæ & inhonestam conuersationem deterreantur, & malo sacerdotis exemplo offendantur.

Tametsi non sit de necessitate confessionis cõfessarij sãctitas, est tamẽ de congruitate. Nam sicut panni melius in aqua clara quã turbida mundantur, ita peccatores efficacius à viro bono. Nam vt dicebat D. Amb. aspectus viri iusti ad pœnitentiã inducit.

Postremò opus est vt confessarius nõ eliminet & reuelet peccata, sed penitus quæ sibi in confessione detecta sunt, penes se retineat, & nihil temere apud alios effutiat. Et hoc est confessionis sigilllum, per quod nihil aliud intelligimus quàm silentium & taciturnitatem Confessarij. Aug. alicubi dicit: Quod scio in confessione, nescio. Quia autem plurimum refert, vt confessurus peccatorum circunstantias quoq; dicat & non celet, quoniam hæ arguunt peccatorũ grauitatem, non immeritò quæri solet, quæ, & quot sint numero peccatorum circũstantię, quæ in confessione non sint celandæ, quarum octo sunt, quæ trito illo & vulgari versiculo comprehensæ sunt.

Quis, quid, vbi, per quos, quoties, cur, quomodo, quando.

1. Quis, personæ indicat statum & conditionem, clericus ne sit, an laicus, subditus ne sit, an aliis præsit, & in magistratu constitutus.

2. Quid, de peccati genere quærit, lethale ne sit, an veniale, homicidium ne, an furtum.

3. Vbi, quærit de loco, vbi peccatum sit commissum, an in loco sacro, an prophano, publico ne, an priuato. Grauius enim peccãt qui in locis sacris & publicis, & coram populi multitudine delinquunt, quàm alibi.

4. Per quos, peccandi media, & quasi instrumentum indicat, vt quorum auxiliis, qui-

quibus mediis & instrumentis peccatum à nobis sit perpetratum.

5. Quoties, numerum & multitudinem peccatorum exprimit, puta quoties quis peccauerit, si id constat, indicandum est, si verò nescit, deploret quis toties repetitum fuisse peccatum, vt numerus effugerit memoriam.

6. Cur, quærit de fine peccati. Est enim in omni peccato diligenter animaduertendum, qua intentione, & in quem finem delictum sit commissum: finis enim circunstantiarũ omnium præcipuum est, & peccatum, ex fine, vel grauius, vel leuius æstimatur.

7. Quomodo, modum peccandi significat, quo videlicet pacto, qua ratione peccatũ sit perpetratum. Quo inhonestiori & turpiori modo delinquit, tanto redditur peccatum grauius & turpius quoque.

8. Quando, tẽporis circunstantia est quanto sacratius tempus est, eo maius quoque erit delictum, quod in eo committitur.

Væ nobis qui dies Dominicos, & omnia Sanctorum festa magis collocamus ad voluptatem & lasciuiam, quàm ad gloriam Dei & honorem Sanctorum.

Sunt & aliæ quædam peccatorũ circunstantiæ, his versiculis comprehensæ. *Aliæ circunstantiæ.*

Ordo, conditio, status dignissimus, ætas.
Copia, causa, modus, mora, lucta pusilla, sciensq́,

Et tempus, doctrina, locus, numero recidiuum.
Hæc plerunque solent grauiores reddere culpas.

Circunstantiæ in quolibet opere diligenter ponderandæ sunt, siue Christianè, siue moraliter & ciuiliter loqui placeat.

Gregorius, In omni (inquit) eo quod dicitur, summoperè intuendum est, quid dicatur, cui dicatur, quando & quomodo, & quantum dicatur.

Tolle circumstantias, & amplius non habebis discrimen vitij illati virgini, coniugatæ, vel cognatæ, aut solutæ. Ad hæc nihil intererit, siue quis alienum, siue amicum, aut fratrem occidat, laicum siue Clericum: in platea, aut in templo; ex proposito ne, an casu; impulsus per aliquam causam, vel ex propria & temeraria malignitate.

Circumstantiæ peccatum aliquod in aliam speciem pertrahunt, vt qui furatur, fur est, sed qui facta irruptione in templo furatur, vltra hoc etiam sacrilegus est, fur rei sacræ. Si quis rem habeat cum soluta, fornicationem; adulterium autem, si cum vxore alterius committit. Ita circunstantiæ peccatum adducunt in aliam speciem.

DE SA-

DE SATISFACTIONE.

Quid est satisfactio.

EST causas peccatorum excindere, & earum suggestionibus aditum non præbere

Vel, Satisfactio est solutio pœnæ debitæ, quam diuina iustitia exigit ob offensam in legem suam commissam. Vel,

Satisfactio est dignos pœnitentiæ fructus facere, id est, commissis peccatis aduersa facere.

Quotuplex est satisfactio?

Duplex; vna propitiatoria, quæ meretur remissionem peccatorum, & abolet mortẽ æternam. Hæc soli Christo tribuitur, qui seipsum ponens pro nobis, factus est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris *1.Ioan. 2.* tantum, sed etiam pro peccatis totius mundi. Et hæc est satisfactio vera, & gẽtilis, passio enim Christi sufficiens, ac pro peccatis totius mundi, licet non efficax, quia non in omnibus efficaciter operatur, sed in ijs tantum quibus applicatur per fidem, & sacramenta Ecclesię, maximè per dignos fructus pœnitentiæ.

Altera est satisfactio nostra, quam Ecclesia ab ijs qui post baptismum in crimen relapsi sunt, postulat, vindicta videlicet, quam vel sponte nostra, vel prę scripto sacerdotis, veluti spiritualis medici, de nobis sumere

debemus, cōmissis peccatis aduersa facientes. Hęc pœnā abolet tantū temporariam, 2. Re.12. quā Deus interdum etiā post remissam culpā exigit,& hęc est pars pęnitentiæ. Vbi nota Theologorum doctrinam; & memoriæ cōmenda, quod per sacerdotis absolutionē, si ia pœnitente non fuerit impedimētum, culpa tota remittitur. Pœna verò ęterna, quę peccato mortali infligenda esset, mutatur in pœnam tēporalem, pro qua imponitur Satisfactio illa à confessario sacerdote, vel etiam sponte assumitur à pœnitente: potest tamen tanta esse pænitentis cōtritio,& charitatis feruor, qui simul & culpam & pœnā aboleat, prout patet in Maria Magdalena, de Luc. 7. qua Christus dixerat Simoni Pharisęo: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniā dilexit multum.* De hac pœnitentia nostra extant multa scripturæ testimonia.

Matt.3. & 4. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Itē. *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnū cœlorum.*

Quot sunt opera seu partes satisfactionis?

Tria præcipua, Oratio, ieiunium, & Eleemosyna.

Accedunt ijs carnis mortificatio, Innouatio vitę, Peregrinationes ad loca sanctorum, & eius generis alia quædam opera pia & satisfactoria. Satisfactionis opera D. Innoc. Pont. huius nominis III. ad quinq; reducit, videlicet: Asperitas vestis, abstinentia, virtus orationis, interruptio somni & largitas eleemosynæ

mosynę. Nam vt manuũ digiti quinq; sunt ita & satisfactionis opera. Vide ser. 1. de Cõs. Pont.

Quid est oratio?

Oratio est pia deuotaque eleuatio mentis ad Deum, ab ipso fideliter petentis quæ sunt salutaria, per mediatorem Dei & hominum Iesum Christum.

Proba orationem testimoniis scripturæ.

Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem. Mat. 26.

Bona est oratio cũ ieiunio & eleemosyna. Tob. 12.

Orate pro inuicem vt saluemini, multum enim valet deprecatio iusti assidua. Iac. 5.

Oratio humiliantis se nubes penetrabit. Eccles. 35.

Hoc dæmoniorum genus non eijcitur, nisi oratione & ieiunio. Mat. 17.

Quid est ieiunium?

Ieiunium Ecclesiasticum est temperantia, & à licitis cibis abstinentia, non auersione creaturæ Dei, quæ bona est, si cum gratiarum actione sumatur, sed causa affligendæ carnis, & humiliandę animę propter Deum suscepta.

Est autem duplex ieiunium, vnum corporale, alterum spirituale. *Duplex ieiuniũ.*

Corporale, quo corpus spiritui rebelle per ciborum abstinentiam domatur, castigatur, & quasi in seruitutem Spiritus redigitur.

Spirituale, quo à peccandi libidine cohibemur.

Adfer

Adfer testimonia scripturæ de ieiunio.

Ioel. 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, fletu & planctu.*

Matt. 4. *Cùm ieiunasset Iesus quadraginta diebus & noctibus, postea esuriit.*

Dan. 10. *In diebus illis ego Daniel lugebam, panem desiderabilem non comedi, caro & vinū in os meum non introierunt.*

Tob. 12. *Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna.*

Gal. 5. *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.*

1. Cor. 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.*

Quid est eleemosyna.

Est munus seu beneficium, miserationis causa in hominem inopem collatum propter Deum, maximè verò præstitum egenti fratri propter Christum, in quo omnes inuicem membra sumus, qui & in Euangelio clamat. Matt. 25. *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*

Proba eleemosynam locis aliquot scripturæ.

Dan. 4. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum.*

Tob. 12. *Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ fecit inuenire misericordiā & vitā æternā.*

Eccles. 3. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccato.*

Matt. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum*

ſaurum in cœlo, & veni ſequere me.

Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Matt. 5.

Quicunque vni ex minimis meis potum dederit calicem aquæ frigidæ, nō perdet mercedem ſuam. Matt. 10.

Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt. Luc. 8.

Date eleemoſynam, & omnia munda sūt vobis. Luc. 11.

Iudicium ſine miſericordia illi qui non fecit miſericordiam. Iac. 1.

Quid opus eſt ſatisfactione, cùm virtute abſolutionis ſacerdotalis confitenti peccata remittantur?

Reſpondeo, virtute quidem abſolutionis ſacerdotalis pœnitenti remittitur culpa & aboletur, ſi non fuerit obex poſitus, & pęna æterna mutatur in temporariam, verum pœna illa temporalis quæ adhuc relinquitur, expianda eſt orationibus, ieiunijs, eleemoſynis, & alijs pijs operibus, quæ ſatisfactionis (prout diximus) partes ſunt.

Poteſt tamen tanta pœnitentis contritio eſſe, & charitatis feruor, qui omnem ſimul & culpam, & pœnam aboleat: exemplo eſt Magdalena peccatrix. Luc. 7.

Extántne huius doctrinæ ſcripturæ teſtimonia.

Etiam. Nam Dauid dixit Nathā Propheta:

Dominus tranſtulit peccatum.

Dimiſſa

2.Reg.11. *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniã dilexit multum.*
Luc.7.
Luc.12. *Respexit Dominus Petrum, & ille egressus foras fleuit amarè.*

His quidem partibus integrè peragitur pœnitentia, sed ipsum pœnitentiæ sacramentum prçcipuè in sacerdotis absolutione consistit, qua sacerdos ministerio quidem suo, virtute autem diuina peccata confitentium relaxat, per absolutionis verba.

Quæ est itaque forma Sacramenti pœnitentiæ: hoc est absolutionis?

Decet sacerdotē præscripta vti formula, quamuis hic non perinde certa & inuariabili, sicut in alijs sacramentis, puta Baptismo, & Eucharistia, estque hæc forma magis vsitata & recepta.

Forma absolutionis. *Dominus noster Iesus Christus dignetur te clemēter absoluere, & ego authoritate ipsius, qua in hac parte nunc fungor, absoluo te à vinculo excōmunicationis minoris, si teneris & ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.*

In hac forma sacramenti pœnitentiæ cōfertur gratia sacramentalis, quã operatur efficaciter acerbissima Christi passio, & m[illegible] in anima absoluti.

Cùm verò plenaria indulgentia à summo Pontifice conceditur & publicatur, hac licebit vti forma. *Miseriatur tui omnipotens &c. Indulgentiam, absolutionem, remissionē, &c.*

&c. Dominus noster Iesus Christus summus Pontifex te absoluat, & ego auctoritate ipsi° & plenitudine potestatis Apostolicæ, qua fungor in hac parte, ratione plenariæ indulgentiæ, absoluo te á vinculo maioris & minoris excommunicationis, si quo teneris, & à censuris Ecclesiasticis, in quantum possum et valeo, deinde absoluo te ab omnibus peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

ADDITIO.

Qua ratione & quo consilio pœnitenti post confessionem est iniungenda pœnitentia?

Magno. Vbi animaduertendum est tamen, quod si decreuerit Ecclesia eas pœnitētias vanas esse ac falsas, quæ iuxta canonum rationem non sunt impositæ, potest tamen confessarius suo iudicio & arbitratu considerata confitentis conditione, dolore, ætate, ac quibusdam alijs circunstantijs, canonum pœnitentias, vel grauare, vel mitigare. Duobus tamen prius consideratis, primo, vt magis ad misericordiam, quam ad rigorositatē declinet. 2. vt in grauioribus quibusdam delictis, casus pœnitentiales insequatur, ne nimia misericordia ad peccatum homines assuescant.

Recita aliquos Ecclesiæ canones, ex quibus eorum quæ dixisti veritas dignoscatur.

1. Quod

Ex Gregorio. 1 Quod pœnitentiæ iuxta canonum rationem sint imponendæ, ex his verbis nobis manifestatur, vt habetur de pœ:d.5.c.Falsas. *Glo.in se. ex c.temperentur.* Falsas pœnitentias dicimus, quę non secundum auctoritatem sanctorum Patrum pro qualitate criminis imponuntur. *De pœni. d.1.cap. Mensuram ex Hieron.* Mitigatur tamen huiusmodi canō, ostenditurque pœnitentiam in arbitrio ac iudicio sacerdotis esse per hos subsequentes, videlicet.

2 Mensuram autem temporis in agenda pœnitentia idcirco non satis apertè præfigunt canones pro vnoquoq; crimine, vt de singulis dicant qualiter vnumquodque emendandum sit, sed magis in arbitrio intelligentis relinquendum statuunt, quia apud Deum non tam valet mensura tēporis quā doloris, nec abstinentia tantùm ciborum, quàm mortificatio vitiorum, propter quod ipsa tempora pœnitentiæ pro fide & cōuersatione pœnitentium abbreuianda præcipiunt, & pro negligentia protelanda æstimant: tamen pro quibusdam culpis pœnitentiæ modi sunt impositi.

Matt.23. 3 Alligant autem onera grauia & insupportabilia, &c. Tales sunt sacerdotes etiam nunc, qui omnem iustitiam populo mandant, & ipsi nec modicam seruant, videlicęt non vt faciendo sint, sed vt docendo appareant iusti. Tales sunt qui graue pondus venientibus ad pœnitentiam imponunt, quia dicunt & non faciunt, & sic dum pœna pręsentis pœnitentiæ fugitur, contēnitur pœna

peccati

peccati futura. Sicut enim si fascē super humeros adolescentis, quem non potest baiulare, posueris, necesse habet, vt aut fascem reijciat, aut sub pondere confringatur: sic & homo cui graue pondus pœnitentiæ imponis, aut pœnitentiam reijciet, aut suscipiens dum sufferre non potest, scandalizatus amplius peccat. Deinde etsi erramus modicam pœnitentiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem? Vbi enim paterfamilias largus est, non debet dispensator esse tenax: si Deus benignus, vt quid sacerdos eius austerus vult apparere?

4 Tempora pœnitudinis habita moderatione constituenda sunt tuo iudicio, prout conuersorum animos perspexeris esse deuotos. Pariter etiam habentes ætatis senilis intuitum, & periculorum quoque quoruncunque, aut ęgritudinem, respicientes necessitates. In quibus si quis ita grauiter vrgeatur, vt dum adhuc pęnitet, de salute eius desperetur, oportet ei per sacerdotalem sollicitudinem communionis gratia subueniri. *Caus. 26. q. 2. Tēpora ex Leone PP.*

Ex his facile nobis constare potest, pœnitentiam in arbitrio sacerdotis repositā esse. Tamen in grauioribus quibusdam peccatis salubre erit vt ad canones & casus pœnitentiales recurrat. Qui casus (D. August. teste) ab omnibus sacerdotibus exactè cognoscēdi sunt, alias vix in eo nomen sacerdotis inuenitur.

Casus

Casus pœnitentiales quot sunt?

Sex supra quadraginta, vt perquam diligentissimè ab Hostiensi in sua summa demonstratur, videlicet.

Publicè d. 82. c. presbyter ex Conc. Gangrēsi.

1 Presbyter si fornicatus fuerit, decem annorum pœnitentiam facere debet, in hūc modū: Inclusus, sacco indutus, & humi prostratus, misericordiam Dei iugiter implorans, tribus mensibus continuis de vespera in vesperam pane & aqua vtatur, exceptis diebus dominicis, & præcipuis festiuitatibus in quibus modico vino, pisciculis, & leguminibus recreetur. Elapsis his tribus mensibus, exit de carcere, nō tamē procedit in publico, nec enim debet sacerdos in publico pœnitere sicut laicus. Postea aliquātisper viribus resumptis, vnū annum & dimidium in pane & aqua expleat, exceptis dominicis diebus & prçcipuis festiuitatibus in quibus vino & sanguine, ouis & caseo, iuxta canonicam mensurā vti poterit Finito primo anno & dimidio, corporis & sanguinis Domini, ne indurescat particeps fiat, & ad pacem veniat, Psalmos cum fratribus in choro vltimus canat, ad cornu altaris nō accedat, sed iuxta beati Clementis vocem minora gerat officia. Deinde vero vsquç ad expletionem septimi anni, omni quidem tempore, exceptis Paschalibus diebus, tres legitimas ferias in vnaquaque hebdomada in pane & aqua ieiunet. Expleto 7. an. circulo, si fratres apud quos pœnituerit eius

eius pœnitentiam laudauerint, Episcopus in pristinum honorem, iuxta beati Calixti Papæ auctoritatem, cum reuocare poterit, &c.

2 Sacerdos filiam spiritualem cognoscens, scilicet quam baptizauit vel cõfirmari fecit vel in pęnitẽtia audiuit, pænitentiã 7. annorum agere debet. Si verò fuerit Episcopus quindecim. *Caus. 30. q. 1. c. si quis sacerd. &c. Nõ debet episcopus.*

3 Si quis contra naturam peccauerit, si est clericus, debet deponi, vel religioni tradi, si laicus excõmunicari, & à cœtu fidelium vsque ad condignam satisfactionem, fieri alienus. Nam hoc vitium ita graue est, quod peius est quàm matrẽ cognoscere. Caus. 32. quæst. 7. ca. Adulterij.

4 Sacerdos qui interest clandestinis nuptijs triennio suspenditur.

5 Si quis violauerit votum simplex, tribus annis pœniteat. *Dist. 17. c. Si vir.*

6 Si sacerdos excommunicatus celebret, triennio pœnitere debet, & à vino & carnibus abstinere. *Caus. 2. q. 3. cap. de illis.*

7 Qui alium accusat ad morrem, per septẽ annos 40, dies in pane & aqua ieiunet, si verò fuerit condemnatus ad mortẽ, vel mutilatus per triennium ieiunet,

8 Si quis cognoscit filiam spiritualem, vel commatrem, pœniteat 7. annis. *d. 30. ca. quòd nõ oportet.*

9 Si quis desponsatam alij duxerit, eam dimittat & 40. dies per ann. 8. in pane & aqua ieiunet.

10. Co-

Cauſ. 30. q. 4. cap. ſi pater. 10 Cognoſcens duas commatres vel ſorores, ſiue matrem & filiam, ad minus ſeptē annis pœniteat.

11 Homicida voluntarius, ſeptem annis pœniteat.

12 Homicida caſualis per quinque annos pœniteat.

13 Occidens hominem ex neceſſitate ineuitabili, duobus annis pœniteat, ſi verò per ebrietatem ei imputabitur, debet pœnitere ſeptem annis.

14 Matricida per decem annos pœniteat. vt patet cau. 33. q. 2. c. Latorem. Vxoricida vero amplius & aſperius. Nam qui vel vxorem vel dominum occiderit, nunquam equitare poteſt, vt habet cau. 33. q. 2. ca. Admouere.

15 Periurus per 7. annos 42. diebus pœniteat, ac ſemper debet eſſe in pęnitentia interiori.

16 Decipiens proximum per falſam menſuram 30. dies in pane & aqua ieiunet.

17 Si quis ſolenniter pœnituit, & poſtea rediјt ad vomitum, 10. annis pœniteat. De pœn. q. 5. q. c. ſi qui verò.

18 Si quis deuotam ſiue Monialem cognoſcit, decem annis pœniteat, & ipſa ſimiliter. ca. 27. q. 1. c. Deuotam.

19 Cantans miſſam & communionem non recipit, per annum à celebratione Miſſę abſtineat & pœniteat. De com. d. 2. c. Relatum.

20. Sacer-

20. Sacerdos inuoluens mortuum in palla altaris, 10. ann. pœniteat & quinque mensibus. Diaconus verò triennio cum dimidio. De conſ. diſt 1. cap. Nemo per igno.

21. Sacrilegus ſeptem annis pœniteat. cauſ. 12. q. 2. c. De viro.

22. Si parentes frangunt ſponſalia filiorum triennio ſeparentur à cõmunione, qua pęna etiam filij puniantur, ſi nocentes fuerint. c. 31. q. 3. c. Si qui parentes.

23. Ducens in matrimonium mulierem quam prius polluit per adulterium, 5. annis pœniteat, ca. 31. q. 1. c. Si qua vidua.

24. Maledicus contra Deum vel aliquem Sanctorum publicè, per ſeptem hebdomadas pœniteat.

25. Sacerdos denudans eum qui ſibi confeſſus eſt, verbo vel ſigno.

26 Compulſus ad periurium, ſi liber eſt, per ſeptem annos 40 dies ieiunet; ſi verò ſit ſeruus, per tres. cau. 22. q. 5. c. Qui compulſus.

27. Periurans in manibus Epiſcopi, vel in cruce ſancta, tribus annis pœniteat. Si verò crux non fuerit ſancta, vno anno, qui verò coactus hoc fecerit, vel pro qualibet cauſa vel neceſſitate periurat, tribus quadrageſimis. *Cauſ. 22. q. c. ſi quis conuictus.*

28. Periurans ſcienter, vel alium periurare compellens, 7. annis pœniteat. *De conſ. d. 2. c. ſi per negligentiam.*

29. Clericus deuians à conſuetudine Metropolitanæ Eccleſiæ in celebrandis officiis, ſi non

ſi non ex contemptu faciat, ſex menſibus à communione priuetur, ſi verò ex contemptu, duodecim.

30. Epiſcopus ordinans aliquem inuitum, aut reclamantē, ſuſpenditur anno vno, diſt. 74. c. Epiſcopus.

31. Epiſcopus qui correctionem de venditione myſteriorum diſſimulat, duobus menſibus pœniteat, ſacerdos quatuor. Reliqui verò ad arbitrium iudicis. cau. 1. q. 1. c. quicquid.

32. Sortilegus 40. annis pœniteat.

De conſ. d. 2. cap. ſi quis.

33. Reſpiciens in aſtrolabiū, duobus annis.

34. Si per negligentiam aliquid de ſanguine Chriſti ſacerdos ſtillauerit in terram, 40. diebus pœniteat, ſi ſuper altare, tribus diebus.

35. Si quis per ebrietatem vel voracitatem Euchariſtiam euomuerit, quadraginta diebus pœniteat, ſi laicus eſt: Clerici, vel Monachi, ſeu Diaconi, & Presbyteri, 70. Epiſcopi, nonaginta. Si infirmitatis cauſa euomuerint, 7. diebus.

36. Qui presbyterum interfecerit, ſeptem annis pœniteat.

Cauſ. 23. q. 8. ca. peſſimā.

37. Qui domum vel aream voluntariè ſuccendit, ſublata, vel incenſa omnia reſtituat, & tribus annis pœniteat, imponitur etiam ſecundum canones incendiario, vt in Hiſpaniam vel Hieroſolymā peregrinetur. Nota tamen quòd iſte eſt caſus Papalis, vt patet extra de ſentent. excommu. cap Tua.

38. Qui

38. Qui communicat hetetico inſcius, anno pœniteat, qui verò ſciẽter, ſcilicet, ſi quis receſſerit ab Eccleſia, ad hæreticos confugiens, & alios ad hoc idem induxerit faciendum, 12. annis pœniteat. *Cau. 14. q. 1. c. ſi quis dederit.*

39. Qui ignoranter cognoſcit duas ſorores, vel matrem & filiam, vel neptem, 7. annis pœniteat, ſi verò ſcienter, perpetuo careat coniugio, cau. 33. q. 1. ſi quis cum.

40. Qui cum brutis coierit, pluſquam per ſeptem ann. pœniteat, cau. 33. q. 2. cap. Hoc ipſum.

41. Patronus qui res Eccleſiæ dilapidat, anno pœniteat, cau. 16. q. 7. c. Filius.

42. Qui luſtrat domum ſuam cum magicis & incantatoribus, 5. annis pœniteat, cauſ. 26. q. 2. c. Non liceat.

43. Si mus comedat corpus Chriſti, ſacerdos 40. dies pœniteat, ſi perdidit 130. De conſ. diſt. 2. c. Qui benè.

44. Qui iurat non facere pacem cum proximo ſuo, anno pœniteat, & ad pacem redeat, ca 22. q. 4. c. Qui Sacramento. *Cauſ. 22. q. 1 cap. Præcauẽdum ſiue præiudicatum.*

45. Pro periurio, adulterio, & homicidio, dantur regulariter ſeptem anni. Pro fornicatione verò non ita aſpera pœnitentia imponitur.

46. Qui ſcienter & pro vitio hæreſis rebaptizatur, 7. annis pœniteat, ieiunando tres quadrageſimas, & feria 4. & 6. in pane & aqua. Si verò hoc pro ſalute corporis obtinenda fecerit 3. annis. *De conſ. d. 4. cap. qui bis baptizatur.*

Quæ est autem materia Sacramenti pœnitentiæ?

Vt alia Sacramenta, ita hoc etiam suas habet partes.

De forma iam diximus: Materiæ locum subit hic peccator pœnitens. Alij tamen duplicem assignant pœnitentiæ materiã, propinquam videlicet & remotam.

Propinqua est actus ipsius pęnitentis, qui consistit in cordis contritione, oris confessione, & operis satisfactione.

Remota materia, sunt ipsa peccata quæ pœnitens confitetur Sacerdoti.

Minister solus est sacerdos, quoniam nullus laicus potest alium sacramentaliter absoluere.

Quis effectus seu virtus pœnitentiæ?

Effectus pœnitentiæ est peccatoris verè pœnitentis & confitentis cum Deo reconciliato, qua peccator per absolutionem sacerdotis peccatorum suorum consequitur remissionem. Vnde Augustinus: Pœnitentiæ gemitus, fletus & lamẽtatio, hoc acquirit, vt & veniam mereatur, & reformationẽ. Denique Dauid pœnitens & confitens peccatum, & veniam meruit, & ad pristinum statum redditus est, quia & rex permansit, & adhuc postea prophetauit.

DE SACRAMENTO ALTARIS SEV EVCHARISTIAE.

Quid appellatione Eucharistiæ significatur?

EVCHARISTIÆ nomine gratiarum actio significatur, quòd hoc sacramento frui debeamus, ad gratiarum actionem Deo reddendam.

Deinde Euchariſtia dicitur & bona gratia, quoniam in huius Sacramenti participatione, modo quodam vberiori confertur gratia, quàm in aliis, in quibus Dominus Iesus operatur tantum per virtutem suam, in hoc autem Sacramēto, ipſe eſſentialiter fons eſt, & author omnis gratiæ. Itaque Eccleſia hoc Sacramento nihil habet auguſtius, nihil dignius, nihil admirabilius, ſanctiuſve, & hominum generi ſalubrius. *1.Cor.10.*

Dicitur & Græcè ſynaxis, Latinè communio, quia omnes de vno pane & de vno calice participamus, imò vnus panis & vnum corpus efficimur: per hoc enim myſterium ſignificatur arctiſſima coniunctio corporis myſtici cum capite, id eſt, Chriſti & Eccleſiæ, & omnium Chriſti membrorum inter ſe.

Quid eſt Sacramentum Euchariſtiæ?

Eſt Sacramentum corporis & ſanguinis IESV Chriſti, quæ poſt conſecrationem

veraciter ſub ſpeciebus panis & vini continentur.

Citatur ex Augustino de conſecrat. diſt. 2. c. 47. Hoc eſt (inquit Auguſt.) quod dicimus ſacrificium Eccleſiæ duobus conſtare, viſibili elementorum ſpecie, & inuiſibili Domini noſtri IESV Chriſti carne & ſanguine. Sacramento, id eſt, viſibili, ſed myſtico ſigno, & re Sacramenti, id eſt, corpore & ſanguine Chriſti.

Hic annotandum geminam eſſe huius Sacramenti rem, vnam, quæ ſub ſpeciebus panis & vini verè continetur, nempè carnem & ſanguinem Domini, alteram, quæ eſt huius Sacramenti virtus & efficacia, vnitatē videlicet corporis Chriſti myſtici, quod eſt Eccleſia, quæ res magis ſignificatur hoc Sacramento, quàm continetur.

Ex lib. Senten. Proſperi. Nos (inquit idem Auguſtinus) in ſpecie panis & vini quam videmus, res inuiſibiles, id eſt, carnem Chriſti & ſanguinem honoramus, nec enim ſimiliter pendimus has ſpecies, ſicut ante conſecrationem pendebamus, cùm fateamur ante conſecrationem panem eſſe & vinum, quod natura formauit. Poſt conſecrationem verò carnem Chriſti & ſanguinem, quæ benedictio conſecrauit.

Quæ & quot ſunt quæ in hoc Sacramento continentur?

Sub qualibet ſpecie, tam panis quàm vini, quatuor veriſſimè continentur.

1. Caro Chriſti, vera & viua.

2. San-

2. Sanguis Christi, qui in ara Crucis de corpore eius profluxit.
3. Anima Christi, in qua omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi sunt.
4. Etiam ipsa Christi diuinitas, quæ ita Christo fuit vnita, vt nec in sepulchro ab eo fuerit seiuncta.

Hoc autem vt intelligas clarius, ita rem accipe. Etsi ex vi verborum, & ipsorum significatione, sub specie panis tantum est corpus Christi, attamen quia Christus iam viuit & regnat, amplius non moriturus, ita vt corpus illud non sit mortuum, sequitur ibi quoque esse animam Christi, quoniam naturalis ita habet concomitantia, vt vbicunque est corpus viuum, ibi etiam sit anima.

Deinde ex hoc sequitur, quod si hic sit anima, sit etiam ibi sanguis oportet, cum animæ domicilium, & sedes sit sanguis, vt quę sine sanguine subsistere nequeat.

Insuper cùm ibi sit sanguis, sit etiam in viuo corpore anima Christi, erit ibi quoque diuinitas, quia quod Deus semel assumpsit, nunquam dimisit, ait Damascenus. Itaque ex inseparabili vnione, sequitur, vt vbi est anima Christi, ibi sit & ipsa diuinitas. Et sic quatuor sunt in hoc Sacramento sub qualibet specie.

Damasc. lib. 4. de fide Orthodoxa.

Sub qua specie Sacramentum illud est Christi fidelibus dispensandum?

Quia nullatenus dubitandum est, inte-

grum corpus Christi & sanguinem, tam sub specie panis, quàm sub specie vini, post consecrationem verè contineri, idcirco Ecclesia iudicauit & decreuit, firmissimè credēdum esse, quod sumēti illud sub vna tantum specie proficiat ad salutem.

Itaque quamuis sacerdotes, dum in sacrificio Missæ Sacramentum illud conficiunt, & offerunt iuxta Ecclesiæ institutum, ambas species consecrare & sumere debeant, vt qui plenam & perfectam Christi passionem & mortem, in ipsa sacrosancta Missa repræsentant, extra Missam tamen nedum laici fideles, sed & Sacerdotes altera tantum specie contenti esse debent, sub qua tamen non minus sumunt quàm sacerdos consecrans sub duabus.

Proba communionem vnius speciei ex sacris literis.

Luc. 24. *Cognouerunt eum in fractione panis.*

Quem locum Sancti Patres, Chrysostomus, Theophylactus, Augustinus, Beda, interpretantur de communione alterius speciei, nempè quod Christus discipulis illis duobus secum euntibus in Emaus hoc Sacramentum sub panis tantum specie porrexerit.

Ioan. 6. *Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.*

Quibus

Quibus de causis Ecclesia laicis alteram speciem Eucharistiæ tantùm porrigit?

Respondeo. Etsi ab initio nascentis & primitiuæ Ecclesiæ mos fuit sub vtraque specie communicare, quemadmodum D. Paulus non solùm presbyteris, sed toti Corinthiorum Ecclesiæ scripsit: *Quotiescunque manducaueritis panem hunc, & calicem biberitis, mortẽ Domini annũciabitis.* Et Cyprianus martyr, quodam sermone de lapsis, hunc morem declarat in Ecclesiis Aphricanis fuisse obseruatum. Attamen mos ille communicandi non vbique fuit receptus, neque communis est per vniuersam Ecclesiam, quemadmodum & in nonnullis aliis reperies. Et profectò Christus ipse hoc Sacramentum dedit duobus discipulis euntibus in Emaus, sub vna tantùm specie (teste Augustino) ita vt oculis illorum apertis cognouerint Christum panem benedictum sibi porrexisse. Fuit itaque communio vnius speciei ęquè vetusta, atque ambarum. Imò si singula conferamus, iam inde ab initio nascẽtis Ecclesiæ magis in vsu fuit vnius quàm vtriusq; speciei communio, id quod inde constare poterit, quòd si aliquando sacerdos ob delicta puniendus esset, pro pœnitentia infligeretur illi, vt laica communione contentus esset. Prætereà non parum roboris Ecclesiasticæ huic consuetudini accidit inde, quod etiam Apostoli in primitiua Ecclesia Hierosolymis Sacramẽtum hoc

1. Cor. 11.

Cyprian. serm. 5. de lapsis.

Luc. 24.

August. lib. 5.

ſub vna tantùm ſpecie dederint fidelibus.
Act.2. Ita enim Lucas: *Erant perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, in communione & fractione panis, & orationibus, &c.* Neque verò ſine cauſis grauiſſimis laica illa communio ſub altera tantùm ſpecie præualuit in Eccleſia, quarum aliquot breuiter hic recenſebimus, nempè ſeptem.

1. Prima eſt periculoſa ſanguinis adminiſtratio: facilè enim effundi poterit, maximè in magna hominum frequentia, vbi ſenes & paruuli, ſani & ægri accedunt. Id autem cederet in maximam Sacramenti irreuerentiam.

2. Sed & in cuſtodiendo periculũ eſſet, quòd ſpecies vini facilè corrumperetur, & periret, vnde & faſtidium oriretur hominibus, & nauſea, quominus ſuſcipere poſſent.

3. Ad hæc, ſi vltrò citroq; mittendum, portandum ſeu vehendum ſit, ne effundatur magna cura adhibenda erit, facilè enim huiuſmodi liquida profunduntur.

4. Omitto quòd non pauci ſunt qui abſtemij ſunt, & natura abhorrent à vino, alij etiam ex morbo, alij ex alijs accidentibus cauſis, vt mulieres prægnantes, febricitantes, &c.

5. In ipſo quoque ſuſcipiendi modo videtur aliquid ſupereſſe periculi. Quoniam facilè quiſpiam labijs aut lingua profunderet ſanguinem, vel etiam nonnihil remaneret, adhærens barbæ aut mento. Quæ omnia

verge-

vergerent in offensam Christi & huius Sacramenti magnam irreuerentiam.

6. Item in multis orbis Christiani partibus, & potissimum Septentrionalibus, vbi interdum satis magna est vini penuria, quia ibi vinum non prouenit, altera Sacramenti species, scilicet vini, difficulter semper haberi posset.

7. Præcipua verò ex omnibus causa est, quod varij & horrendi circa Sacramentum istud errores exorti sunt, propter quos cauendos, non intermissa tantùm est vtriusque speciei susceptio, sed & omnino ab Ecclesia prohibita.

Qui sunt errores circa Sacramentum Eucharistiæ exorti?

Tres pręcipui, propter quos altera species denegata est laicis.

Primus fuit Nestorij hæretici, qui inter alios & hunc tenuit, quod sub specie panis tantùm esset corpus Christi, & sub specie vini tantum sanguis Christi. Hinc necessarium esse duxit Sacramentum hoc, etiam à laicis, sub vtraque specie sumi debere. Antiquus ille error, sed valdè horrendus facere corpus Christi in hoc Sacramento exangue & exanime, diuidere & secare Christum in partes, sic quod non æqualiter totus esset sub alterutra specie; qui error sanè vt horrendus est ita à Christianis mentibus alienissimus.

2. Altera hæresis fuit hæretici Pelagij,

temporibus D. Augustini. Is quoque ratus est vtramq; speciem laicis esse necessariam, propter hæc verba Christi: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*
Ioan. 6.
Quæ Christi verba omnes ferè Patres & Doctores de spirituali manducatione & incorporatione ipsi Christo, quæ est per fidē, intellexerunt, alioqui paruuli, qui hoc Sacramentum non accipiunt, non saluarentur. Et quamuis etiam de sacramentali manducatione intelligerentur, minimè tamē euinceret vtriusque speciei participationem, cùm nos Catholici liberè cum Ecclesia profiteamur, sub alterutra specie nos & carnem Christi edere & sanguinem bibere, ita quòd laicus Catholicus sub altera specie tantum sumat, quantum sacerdos in Missa sub vtraque.

Vsus alterius tantùm speciei in nullius cadit detrimentum. Species siquidem in se nihil virtutis aut efficaciæ addit Sacramento, quia signum tantum est, nec quicquā operatur in anima hominis, sed ipse Christus, qui ęquè sub vna tantùm specie continetur, ac sub vtraque.

3. Tertium deinde errorem commenti sunt nostræ ætatis hæretici, innixi huic Christi verbo: *Bibite ex eo omnes*, quod illi volūt Christum dixisse ad omnes Christianos, eisque præcepisse vt ex calice biberent. Quod quidem ipsi faciunt contra omnem
Mat. 26.

rationem, Ecclesiæ vsum, & sanctorum Patrum expositionem. Nam illud Christi verbum: *Bibite ex eo omnes*, non pertinet ad omnes Christianos, sed ad Apostolos tantū, qui tunc in cœna illa postrema tantum presentes erant, quod satis liquet ex Marco, qui statim subiungens, ait. *Et biberūt ex illo omnes*, non alij sane quā Apostoli, de quibus antea dixerat, *Bibite ex eo omnes, &c.* Quia itaque heretici volebant communionem sub vtraque specie præceptam & necessariam esse, Christum in partes diuidentes, Ecclesia alteram vetuit & denegauit laicis, non quòd per se mala esset, vt quę à sanctis & Apostolicis viris vsurpata sit, sed vt Christiani imperitiores præcipuè ab ijs erroribus fierent quam remotissimi. *Mar. 14.* *Mat. 6.*

Quibus de causis Christus sese nobis in hoc Sacramento tectum, & sub panis & vini speciebus velatum exhibere voluit?

Antiqui Patres quatuor potissimum huius rei recensuerunt causas. *Prima causa.*

Ob maius fidei meritum. Si enim in propria conspiceremus eum forma, non tantū esset fidei nostræ meritum, iuxta præclarū illud Gregorij verbum: Fides non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum. *Homil. 26. in Eueng.*

Ad euitandum horrorem & nauseam, quam (vt Theophylactus inquit) perciperemus, si sub specie propria Christum su- *Secunda.*

meremus. Humana enim natura à carne cruda, & sanguine sumendo multum abhorret.

Tertia. Propter humani visus imbecillitatem, nam si Christus nunc propria sub forma, in corpore glorificato appareret, nequaquam eius claritatem splendoremque oculi nostri sustinerent.

Quarta. Ob nostram vilitatem, & indignitatem, quia dum in hac mortali vita peccatis obnoxia viuimus, non meremur eum facie ad faciem, sicuti est videre, sed tantum per speculum in ænigmate.

Manet ne in hoc Sacramento post sacerdotis benedictionem substantia panis & vini?

Homil. 5. de Pascha. Nequaquam. Eusebius Emissenus: Et cum (inquit) docēte Ecclesia fatendum est, ante consecrationem panem esse & vinum, quæ natura formauit, post consecrationem verò carnem Christi & sanguinem, quæ benedictio consecrauit, visibilibus creaturis virtute diuinorū verborū, secreta potestate, & ineffabili operatione, in substantiam inuisibilis corporis & sanguinis filij Dei transformatis, conuersis, transelementatis & trāssubstantiatis, idcirco in Ecclesia Catholica semel sanctificatis, nulla deinceps man⁹ iterum consecrans præsumit accedere. Quamobrem reconsecratio quam pertentant hæretici, execrabilis est & abominanda.

Cyprianus martyr, & doctor inclytus, ait: Pa-

ait: Panis iste communis in carnem & sanguinem mutatus procurat vitam, & incrementum corporibus.

Ambrosius, Panis iste (ait) panis est ante verba sacramentorum, vbi verò accesserit consecratio de pane, fit caro Christi. *Lib. 1. de Sacramentis cap. 4. Tom. 4.*

Idem, Tantum valet sermo Christi, vt substantias immutet elementorum.

Itaque manent in hoc sacrosancto Eucharistiæ Sacramento accidentia solummodo & species panis & vini. Quæ & sine subiecto ibi sunt. Nam substantia ipsa virtuti diuinæ cedit, & mutatur in verum corpus Christi & sanguinem. Hæc naturarum mutatio appellatur Theologis transelementatio aut transsubstantiatio.

Hinc de hoc sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramento Ecclesia concinit. Quod non sapis, quod non vides, animosa præstat fides, præter rerum ordinem. *Ecclesia.*

Quæ est materia seu elementum Eucharistiæ?

Materia seu elementum est panis & vinum aqua mixtum, quorum substantia deinde per consecrationem sacerdotis (prout iam diximus) virtute diuinorũ verborum, secreta potestate & ineffabili operatione, in substantiam transit carnis & sanguinis Christi.

Duæ autem species in hoc Sacramento non faciunt substantiæ diuisionem. Christus enim sub alterutra specie post consecra-

tionem

tionem cum carne & sanguine totus atque integer à fidelibus sumitur. Sed cum Eucharistia non solum præparetur in hoc, vt sumatur, sed etiam vt in ea mortis Dominicæ memoria celebretur, propter significationem in vtraque specie consecratur, vt sanguis Christi pro nobis effusus in passione, & à corpore separatus, per separatas species apertius significetur.

Forma quæ est?

Forma huius Sacramenti verba Christi sunt, quæ Ecclesia sancta Dei à Domino suo Christo per Apostolicam traditionem accepta, sic pronunciat super panem, *Hoc est e-*
Mat. 26. *nim corpus meum.* Super calicem, *Hic est enim calix sanguinis mei, noui & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Hoc verbum cum accedit ad elemẽtum, fit Sacramentum huius verbi virtute. Sacramentum hoc conficitur huius verbi efficacia, panis fit corpus Christi, & vinum aqua mixtum transit in sanguinem Christi. Reliqua omnia quę dicũtur, vel ad vsum Sacramenti pertinent, vel laudes, vel gratiarum actiones sunt, vel certæ obsecrationes, & fidelium petitiones.

Effectus huius Sacramenti quis est?

Est spiritualis ac diuinæ gratiæ refectio, & peccatorum inter confitendum oblitorum remissio, imò (quod multo amplius est)

est) qui non indignè sumunt, Christo incorporantur, omnium Sanctorum societati, quæ est Christi mysticum corpus, adglutinantur, & ad mutuam charitatem alendam & colendam accenduntur: vnus enim panis & vnum corpus multi sumus, qui de vno pane & de vno calice participamus. Hic spiritalis cibus animę substantiam fulcit, vitam spiritualem enutrit, malas cupiditates comprimit, reliquias peccatorum submouet, vulneratam ex peccatis animam sanat & confirmat, mentes dignè sumentium rerum supernarum desiderio accendit, & quasi cœlestes efficit, dilectionem Dei, proximique exsuscitat, & fouet in fide constantiam, in aduersis tolerantiam & plenum omnis gratiæ præstat augmentum. Canit itaque Ecclesia ad Eucharistiæ nomẽ alludens: *O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, memoria passionis eius recolitur, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.* 1.Cor. 10.

Quomodo ad communionem accedendum est?

Hoc docet Paulus Apostolus: *Quotiescũque* (inquiens) *manducabitis panẽ hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Itaq; quicunque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic dè pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim* 1.Cor. 11. 1.Cor. 11.

mandu-

mnaducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.

Basilius Magnus lib. quæstionum sub compẽdio explicatarũ q. 172. Luc. 22. 1. Cor. 13. Rom. 8.

Basilius Magnus primò fidem exigit in communicaturis. Communicaturi (ait ille) fidem in primis habere debent verbis Domini dicẽtis: *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur. Hoc facite in meam cõmemorationem.* Postea timorẽ mox subijciens: & timorem concipere ex verbis Apostoli dicentis: *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, &c.* Deinde considerare magnificentiam glorię filij Dei, & admirari summam eius humilitatẽ, quomodo tantus, ac talis obediens fuerit patri vsq; ad mortem, pro nostra vita, & hinc accendi ad affectum, & dilectionem Dei Patris, qui vnico filio suo nõ pepercerit, sed pro nobis omnibus tradiderit, & eo amplius ad amorem vnigeniti prouocari, quod eum vident, mortem turpissimam pro nostra redemptione tolerasse.

Eusebius Emissen.

Eusebius Emissenus communicaturum sic admonet: Cùm reuerendum altare cibis spiritualibus satiandis ascendis, sacrum Dei tui corpus & sanguinem fide respice, honora, mirare, mente cõtinge, cordis manu suscipe, & maximè haustu interiori assume.

Tract. 25. in Ioan. tõ. 9. 1. Cor. 11.

Qui sacram Eucharistiam indignè sumũt adhuc peccatis obnoxij, nõ inde purgantur, sed grauantur (ait August.) non vitam sibi, sed iudicium sumunt: *Qui manducauerit*

panem

panem & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Qui verò peccandi de cætero voluntatem non habet, communicaturus satisfaciat lachrymis & orationibus, & confidens de Domini miseratione, accedat ad Eucharistiam intrepidus & securus. Sed hic de illo dico, quē mortalia peccata non grauant, quem verò talia grauant, non aliter communione dignum se facit, quàm si errores pristinos relinquat, & pœnitentiam à præsidibus Ecclesiarum petat, vt qui criminum suorum sorde pollutus est, exomologeseos satisfactione mundetur. *Not.1.*

Hilarius: Qui peccare desiit, communicare non cesset. *Hilarius.*

Facessant hæretici, qui homines nefandis vocibus inhortantur, vt quo flagitiosiores se experiūtur esse, eo audacius ad hæc tremenda mysteria irrumpant, sine pœnitentiæ satisfactione & religiosa præparatione per Ieiunium, Eleemosynam, & Orationes.

D. Chrysostomus protestatur se prius sanguinem suum fusurum, quam hæc mysteria tradat indignis. *Chrysost.*

Adfer ex Scriptura sacra testimonia de hoc Eucharistiæ Sacramento.

Cœnantibus eis, accepit Iesus panē, & benedixit fregit, deditq; discipulis suis, dicens: Accipite, & comedite, Hoc est corpus meū. Et accipiens calicē, gratias egit, deditq; illis, dicens: Accipite & bibite ex hoc omnes. Hic *Mat. 26. Mar. 14. Luc. 22.*

est enim

est enim calix sanguinis mei, noui & æterni Testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

1.Cor. 11. *Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit: Accipite & manducate. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicens: Hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine. Hoc facite quotiescunque biberitis in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.*

1.Cor. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nõne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nónne participatio corporis Domini est? quoniam vnus panis & vnum corpus multi sumus.*

Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.*

Ibidem. *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.*

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Quid est sacramentum ordinis?

ORdo, est sacramentũ, quo per manuũ impositionem, Episcopi, & alias

alias ceremonias ſpecialis gratia & poteſtas ad executionem publici muneris in Eccleſia gerendi ritè ordinato confertur.

Eſt ne ordo vel potius ordinatio Sacramentum?

Eſt, quia à Chriſto inſtitutum, cum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 21.
Itē, *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos.* Ioan. 20.
Deinde habet & ſuam promiſſionē: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Ibidem. Præterea habet ſuum ſignum externum, impoſitionem videlicet manuum.

Poſtremò gratiam confert. *Noli negligere gratiam quæ data eſt tibi per Prophetiam cum impoſitione manuum preſbyteri.* 1. Tim. 4.
Admoneo, vt reſuſcites gratiam quæ in te eſt per impoſitionem manuum mearum. 1. Tim. 1.

Quotuplex eſt ordo?

Duplex. Alij dicuntur ordines minores, alij maiores.

Quot ſunt ordines minores?

Quatuor. Oſtiariorum, Exorciſtarum, Lectorum, Acolythorum.

Quare dicuntur minores?

Idcirco, quia circa Miſſam & Sacramentum Euchariſtiæ, aliaq́ue Sacramenta, minorem habent dignitatem, curam & officium, & quòd, qui ijs initiati ſunt, ad nuptia tranſire poſſunt.

Quot ſunt ordines maiores?

Tres.

Tres. Hypodiaconorum, siue Subdiaconorum, Diaconorum, & Presbyterorum.

Quare dicuntur maiores?

Quòd circa Missæ sacrificium, Eucharistiam, aliaque sacramenta, sublimiorem habeant curam & officium, atq; quòd hi, qui ad illos iam promoti sunt, ad matrimonia transire nequeant.

Quod est officium cuiusq; ordinis?

Hug. l. 2. p. 3. c. 5. Ad ostiarium pertinebat dignos ad templum recipere, indignos repellere, ostia & valuas templi obseruare, horis competentibus claudere, & aperire.

Ad Lectorem, Psalmos & lectiones recitare, & cantare.

Ad exorcistam (quod interpretatur adiurans, vel increpans) pertinebat, super inquietos, qui à spiritibus immundis vexabantur, aut dæmoniorum illusionibus & terriculamentis agitabantur, nomen Domini inuocare, adiuratum spiritum eijcere vel compescere.

Acolythus dicitur affectator, comes, ministrans, quia constitutos in maioribus ordinibus proximè comitabatur eius officiũ, olim erat portare funalia & cæreos, in signum lætitiæ: vt animi fidelium incitarentur ad contemplandam Euangelicam lucem, & erigendam mentẽ ad veram lucem, quæ est Christus, sacerdoti celebraturo altare præparare, eique in Missæ officio sacro inseruire.

Hypodiaconi officium est, calicem & panem ad altare portare, vinum ministrare celebranti, corporalia lauare, legere siue canere epistolam. *Subdiaconorum.*

Diaconus significat ministrum, eius officium est Episcopis & Presbyteris ministrare, prædicare Euangelium, ordinandos & baptizandos offerre. *Diaconorum.*

Presbyteri sunt seniores propter dignitatem, doctrinam, & morum grauitatē. Horum officium est, prædicare, soluere, ligare, consecrare, Sacramenta administrare. Episcopus superattendens, vel speculator interpretatur. Hic propriè nō est ordo, si ordo accipiatur pro Sacramēto, quia circa Sacramētum Eucharistiæ non habet maiorem potestatē quàm sacerdos alius. Si aūt ordo accipitur pro gradu dignitatis, Episcopatus est specialis ordo, quia habet specialē potestatē in actionibus Hierarchicis respectu corporis Christi mistici, super sacerdotes. Vnde nota ꝙ idem intelligendū est de Archiepiscopatu, Patriarchatu, & summo Pontificatu. *Presbyterorum.*

Omnes prędicti ordines vnum Sacramentum cōstituunt, respectū finis, quia ordines, etsi diuersi sunt, in vnum tamen finem cōferuntur, id est, ad corpus Christi, verum & mysticum.

Materia vel elementū ordinis sacri ꝙ est.

Est impositio manuum, & variorum instrumentorum traditio, quæ Episcopus ordinandis porrigit, admonens eos quomodo *Materia vel elementum ordinis sacri.*

in susce-

in suscepto ordine ritè & diligenter ministrare debeant.

Quæ est forma Sacramenti ordinis?

Forma ordinis. Forma huius Sacramenti est quæ ab Episcopo sub certis verbis in ordinum collatione profertur (quæ tamen pro graduum & ordinum diuersitate alia atque alia esse solet) qua ordinatus, accipit potestatem faciendi & exequendi officium sibi iniunctum.

Hanc autem formam si quis scire desiderat, pontificalia suffraganeorum consulat.

Quis est effectus, seu quæ est res Sacramenti ordinis?

Effectus Sacramenti ordinis. Est diuinæ gratię collatio, ad ritè exequendum & exercendum officium suum in Ecclesia Dei.

Præcedit omnes ordines tonsura clericalis, quæ iuxta formam Ecclesię datam priuilegium clericorum acquirit ordinato.

Vide Hug. lib. 2. Sacram. p 3. cap. 1. vbi diffusius hæc explicãtur. Tondentur autem clerici, vt hoc signo admoneantur superfluas & inanes cogitationes, carnalia ac turpia desideria ab animis resecare, & negotia secularia à se abdicare, vt ijs quæ Domini sunt, animos intentos habentes, ad ministerium liberi, & expediti accedant.

Vngitur manus sacerdotis in signum sacratioris & excellentioris potestatis, quam eis Dominus ad liganda soluendaque peccata contulit, & vt manus eorum Chrismatis vnctione confirmatæ, & Spiritu sancto confor-

confortatæ, cœleſtia Sacramenta ritè conficiant.

Quibus promiſſionibus Dei & ſcripturis Sacramentum ordinis nititur?

Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Ioan. 20.

Hoc facite in meam commemorationem. Luc. 12.

Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Mat. 28.

Quæcunq; alligaueritis ſuper terram, erũt ligata & in cœlis: & quæcunq; ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis. Tunc ieiunantes & orantes, imponentesq; illis manus, dimiſerunt eos. Matt. 18. Act. 13.

Noli negligere gratiam quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum preſbyteri. Deus erat in Chriſto mundum ſibi reconcilians, & dedit nobis miniſterium reconciliationis: pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquã Deo exhortante per nos. 1. Tim. 4. 2. Cor. 5.

Cùm ſacrificarent Domino, ieiunaſſentq; dixit Spiritus ſanctus: Segregate mihi Barnabam, & Paulum, in opus ad quod adſumſi eos. Tunc imponentes illis manus, dimiſerunt eos. Act. 13.

Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt corrigas, & cõſtituas per ciuitates preſbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi. Tit. 1.

1.Tim.3. *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.*

Ibidem. *Oportet Diaconos similiter pudicos esse, non bilingues, nō vino multo deditos, nullum crimen habentes.*

1.Tim.5. *Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni sunt; maximè qui laborant in verbo & doctrina.*

Ibidem. *Aduersus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.*

Ibidem. *Manus nemini citò imposueris, neq; communicaueris peccatis alienis.*

2.Tim.1. *Admoneo te, vt resuscites gratiā Dei, quæ est in te per impositionem manuū mearum.*

Hebr.5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.*

Psal.109. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.*

Mala.2. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius, quia Angelus Domini Sabaoth est.*

Malac.1. *In omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.*

Osea 4. *Quia tu scientiam repulisti, repellam & ego te, ne sacerdotio mihi fungaris.*

Minister huius Sacramenti Episcopus est, idque non tantùm vniuersalis Ecclesiæ sententia, sed & ex sententia Pauli, is enim ad

Tit.1. Titum Episcopum, sic habet. *Huius rei gratia*

gratia reliqui te Creta, vt ea qua desunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Quid est Sacramentum Matrimonij?

MATRIMONIVM est maris, & fœminæ, ad indiuiduam vitæ consuetudinem inter se mutuò retinendam, legitimus consensus.

Quis est auctor Matrimonij.

Deus auctor est & institutor matrimonij, quando mulierem creauit in adiutoriũ viri, vt cresceret & dilataretur genus humanum, dicens: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*. Postea verò Christus Iesus nuptias in Cana Galileæ, non corporali tantùm præsentia, sed & miraculi exhibitione confirmare, cohonestare & approbare voluit. Coniugiũ itaq; bonum sit, vt cuius auctor sit Deus. Hinc Paulus: *Connubiũ honorabile in omnibus, & thorus immaculatus.* *Auctor matrimonij.* *Gen. 1.* *Ioan. 2.* *Heb. 13.*

Cùm omnia sacramenta post peccatum cœperint: solum matrimonium est institutum ante peccatum, non tamen in remediũ fornicationis, sed in officium tãtum & ministerium educandæ prolis: post peccatum verò Adæ infirmitas incontinentiæ, quę est in carne per peccatum mortua, ne cadat in

ruinam flagitiorum, excipitur honestate nuptiarum.

Aug. lib. 9. super Genesim cap. 7.

Aug. Quod sanis fuit in officium, infirmis factum est in remedium.

Itaque coniugij duplex est institutio, vna ante peccatum ad officium facta in paradiso, vbi esset thorus immaculatus, & nuptiæ honorabiles, ex quibus sine ardore conciperent: altera post peccatum, non ad officium tantum, sed etiam ad remedium fornicationis facta, extra paradisum, propter illicitum motum euitandum. Prima, vt natura & genus humanum multiplicaretur; secunda, vt natura multiplicaretur, & vitium cohiberetur.

Diuortium, vbi, & quando permissum?

Matt. 5.

Christus inquit: *Omnis qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari; & qui dimissam duxerit, adulterat.* Diuortium ergo non nisi vna ex causa permissum est, & quidem quo ad thorum tantum, non quo ad vinculum matrimonij, vt testatur Apostolus: *His qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus vxorem à viro nō discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro reconciliari.* Quem locū Ecclesia semper intellexit de dimissa causa fornicationis tantū.

1. Cor. 7.

Heb. 13.

Virginitas honorabilior coniugio.

Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Honorabilior autem & beatior est virginitas, si tamen mente & corpore seruetur.

Et casta viduitas seu cœlibatus, à soluto primo matrimonio beatior, quàm secundæ nuptiæ. Quæ nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. *1.Cor.7.*

Quæ est materia vel elementum matrimonij.

Materia sacramenti matrimonij sunt personæ legitimæ, hoc est, quæ contrahere possunt, vt in neutra sit aliquod impedimentum, vel est mutuus contrahentium consensus.

Quæ est forma matrimonij?

Forma est, verba contrahentium, quibus mutuus eorum consensus & coniugalis fidei promissio mutua exprimitur, vt; Anna, accipio te in meam legitimam vxorem. Deinde à sponsa respondetur: Petre, accipio te in meum legitimum maritum. Est autem forma illa his testimonijs subnixa. Qui fecit hominem, masculum & fœminam fecit illum, & dixit: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ. *Et erunt duo in carne vna. Itaque non sunt iam duo, sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* *Matt.19.*

Quæ est virtus & effectus matrimonij?

Est indissolubilitas vinculi coniugalis, instar coniunctionis Christi & Ecclesiæ, qua Deus interna operatione copulat marem & fœminam, arctissimo & prorsus indissolubili vinculo; sic vt à se inuicem nulla vn- *Virtus matrimonij.*

quam de causa, nisi alterius morte interueniente, dissolui queant.

Rom. 7. 1. Cor. 7. Quod si propter fornicationem diuortium faciant, quo ad thori tantummodò & vitæ consuetudinem separantur; manet autem inter eos vinculum coniugij, nec possunt secundis nuptiis copulari, donec alterius morte prioris matrimonij vinculum dissoluatur.

Cap. 7. Aug. de bono coniugali. Fœdus illud initum nuptiale cuiusdam sacramenti res est, vt nec ipsa separatione irritum fiat.

Quot sunt bona matrimonij?

Vide Hugonem de S. Victor. lib. 2. q. 11. c. 7. Tria: Fides, Proles, & Sacramentum.

Fides exigit, vt coniuges fidem sibi inuicem semel præstitam in matrimonio seruent inuiolatam, ita vt nec maritus, superstite vxore, cum alia commercium habeat, nec vxor, viuente marito, cum alio viro se contaminet.

2. Proles alterum matrimonij bonum est, quia causa educandæ sobolis institutum est præcipuè matrimonium.

3. Sacramentum verò significat indissolubilitatem vinculi coniugalis, ne vel maritus ab vxore, vel vxor à marito discedat alterutro superstite.

Quæ sunt impedimenta matrimonij?

Impedimenta matrimonij. Ea sunt duplicia, quædam sunt, quæ matrimonium contrahendum impediunt, & contractum dirimunt. Quæ vulgatis hisce versiculis comprehenduntur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cul⁹ disparitas, vis, ordo, ligamẽ, honestas,
Si sis affinis, aut si coire nequibis,
Hæc socianda vetant connubia, iuncta retractant.

Quædam verò impedimenta sunt, quæ matrimonium contrahendum quidem vetant, sed contractum non dirimunt, de quibus est hoc distichon.

Ecclesiæ vetitum, necnon tempus feriarum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Adfer de matrimonio scripturæ testimonia.

Crescite, & multiplicamini, & replete terram. Gen. 1.

Qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos, & dixit: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erũt duo in carne vna. Itaq; iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit homo non separet. Item Paulus: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Matt. 19. Ephes. 5.

Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia, verùm tamen & vos singuli vnusquisque vxorem suam sicut semetipsum diligat, vxor autem timeat virum suum. Ibidem.

His qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non 1. Cor. 7.

discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.

Hebr. 13. *Honorabile coniugium in omnibus, & thorus immaculatus.*

Quomodo differunt sponsalia & nuptiæ?

Sponsalia sunt futurarũ nuptiarum promissio, cum contracturi mutuo sese consensu copulant & coniungunt.

Nuptiæ fieri dicuntur, quando coram facie Ecclesiæ, & populi frequentia, matrimonium solenniter celebratur. Dictæ sunt nuptiæ à nubendo, id est, velando, quòd pudoris gratia puellæ se connuberent.

Quibus anni tẽporibus nuptias celebrare vetitum sit.

Quibus anni temporibus nuptias celebrare vetitum est?

Ecclesia certis de causis nuptias celebrare quibusdam anni temporibus vetuit, de quibus sunt vulgares isti versiculi.

Coniugium Aduentus prohibet, Epiphania relaxat.

Quadragesima vetat, sed Pascha octaua relaxat.

Concil. Triden. Sess. 24. can. 10. Hoc est, ab aduentu Domini vsq; ad diem Epiphaniæ, à prima die Quadragesimæ vsque ad octauas Paschatis inclusiuè. In aliis verò temporibus nuptias celebrari ab Ecclesia permittitur, vt ex reformatione sacrosancti Concil. Trid. apertissimè cognosci potest.

DE SA-

DE SACRAMENTO EXTREMAE VNCTIONIS.

Quid est Sacramentum extremæ Vnctionis?

EST vnctio hominis infirmi iam morituri, pęnitentiam agẽtis de peccatis suis, facta in certis membris corporis à sacerdote, cum oleo ab Episcopo consecrato, efficaciter conferens remissionem venialium peccatorum, ad mentis eleuationem atque corporis sanitatem recuperandam. *Extrema vnctio quid.*

Produc de hoc sacramento scripturæ testimonia.

Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, vt orent super eum, vngentes eum oleo sancto in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmũ, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei. *Iacob. 5.*

Apostoli exeuntes prædicabant, vt agerent pœnitentiam, & dæmonia multa eijciebant, & vngebant oleo multos ægrotos, & sanabantur. *Marc. 6.*

Vngebant oleo multos ægrotos, non dubium quin ex Christi institutione ac mandato, non sua præsumptione. Hæc loca à sanctis Patribus de Sacramẽto extremæ Vnctionis intelliguntur & explicantur.

Quæ est materia seu elementum extremæ Vnctionis? *Materia extremæ Vnctionis.*

Est oleum solenni benedictione ab Episcopo

 scopo *nis.*

ſcopo conſecratum, quod hilaritatem animi & internam confirmationem ſignificat, quàm homo per gratiam Dei virtute huius ſacramenti percipit.

Dic formam extremæ Vnctionis?

Forma huius ſacramenti hæc eſt: Per iſtam ſacram vnctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus noſter IESVS Chriſtus, quicquid deliquiſti per illicitum viſum, auditum, guſtum, olfactum, tactum.

Extrema vnctio quem habet effectum?

Effectus ſeu virtus huius ſacramenti eſt remiſſio peccatorum venialium, & pœnæ mortalibus quo ad culpam per confeſſionē, aut eius votum remiſſis, adhuc debitæ, ſiue culpa, aut non tam grandi, quæ fructum abſolutionis impediat, omiſſis ſeu oblitis. Quamquam etiam fieri interdum arbitrentur quidam nō improbabiliter, vt grandior defectus atque culpa, quæ fructum abſolutionis in confeſſione impediebat, partim virtute huius Sacramenti, partim ex ſuſcipientis deuotione ſuppleatur, abſorbeatur, atque cum peccatis cæteris deleatur ac remittatur; quemadmodum & in Euchariſtiæ quoque ſacramento ac confirmationis contingere poſſe dicunt.

Quid eſt miniſter?

Sacramenti huius miniſter eſt ſacerdos, ita docente Iacobo Apoſtolo, *Infirmatur quis in vobis, inducat preſbyteros Eccleſiæ,*

Iacob 5.

vt orent super ipsum. Sacerdos verò in eiusdem sacramenti administratione, nō suam, sed Christi personam, quemadmodum & in cæteris Sacramentis, gerit ac repræsentat. Nam vt Christus est qui baptizat, qui corpus suum conficit, qui absoluit, sic Christus est qui intrinsecus inungit, sacerdote externum tantum ministerium adhibente.

DE SACRIFICIO MISSAE.

Quid est Missa?

MISSA est consecratio corporis & sanguinis Christi, quæ sacerdos offert Deo Patri, & sumit in memoriam vitæ & passionis ipsius, pro viuis atq; defunctis. Nam ab introitu vsque ad canonem, Christi aduentus, & tota eius vita, vsq; ad passionem exhibetur, à canone vsque ad Complendam passio, à Complenda vsque ad Benedictionem, eius resurrectio exprimitur. *Missæ quid.*

Huiusmodi consecratio cur Missa appellatur?

Missa, vt in antiquo quodam auctore legitur, à quatuor causis nomen accepit, duabus à legatione, & duabus à missione. Dicitur legatio, quia in eius officio nobis legatio Christi repræsentatur, quia pro humano genere patris legatione fungebatur. Secunda, quia in ea sacerdos pro Ecclesia ad

Deum legatione fungitur. A missione Missa dicitur, quia populus qui quasi ad iudicium conuenit, peracta causa à iudice dimittitur. Item à missione dicitur, quia populi cõuentus, qui ad Vesperas, ad Matutinas quasi iure tenetur, celebrato sacrificio dimittitur. Vide librum qui Gemma animæ inscribitur.

Quis instituit Missam?

Auctor Missæ. Christus Deus & Saluator noster, qui in vltima cœna Missam ipsam non tantùm instituit, sed & primam celebrauit, eamque de hoc mundo exiturus Apostolis suis celebrãdam commisit. *Luc.22.* *Hoc* (inquit) *facite in meam commemorationem.*

Raba.1. lib. institut. cler. cap.32. Post Christum verò ideo Petrus eius auctor appellatur, quia ordo Missæ, vel orationum, quibus oblata Deo sacrificia consecrãtur, primùm à B. Petro Apostolo est institutus, vt testatur Isidor. lib.1. cap.15.

Quid est effectus Missæ?

Effectus Missæ. Per missam Deum nobis placatum & propitium reddimus, peccatorum remissionem consequimur, in ea sacrificium, & hostia illa *Malac.1.* mũda, de qua Malachias vaticinatus est, pro viuis & defunctis offertur.

Quot sunt partes Missæ?

Partes Missæ quot. Tres præcipuæ, oblatio, consecratio, & sumptio seu communio. Alij duas tantum constituunt, primam, quæ constat verbis *Epist.59. in responsione ad* Christi, quibus corpus eius & sanguis conficitur. Reliqua omnia dicunt alteram partem, quę (teste August.) nihil aliud sunt quã laudes

laudes & gratiarum actiones, vel certæ obsecrationes, & fidelium petitiones. *S. quæst. Duley, Tom. 4.*

Quotuplex est Missa?

Duplex, Catechumenorum vna, altera Christi fidelium. Catechumeni erant rudes adhuc in Christo, qui ante baptismum imbuebantur fidei Christianæ rudimentis. Ab initio enim primitiuæ Ecclesiæ, quando adulti baptizabantur, primò antequam baptizarentur, in fide Christiana instituebantur, & proinde quilibet baptizandus opus habebat aliquo, qui se articulos fidei doceret, in baptismo respõderet, atq; is susceptor dicebatur, qui nobis est patrinus, aut compater. Cæterùm antequam baptismum susciperent & exorcisarentur, appellabãtur Energumeni; post exorcismum verò cùm ad baptisterium peruenissent, appellabantur Cõpetentes, eò quod baptismum vna peterent, postea Catechumeni, vt qui iam in fide eruditi, nondum essent baptizati: postremò Neophyti dicti sunt, qui iam per Baptismi gratiam Christiani facti fidem perceperant. *Energumeni. Competentes. Catechumeni. Neophyti.*

Iam Catechumeni in fide Christiana instructi admittebantur ad mysteria. Missæ, vsq; ad Canonem maiorem, quæ proinde Missa Catechumenorum dicebatur. Ad reliquam verò partem missæ, in qua sacratiora mysteria tractantur, à principio maioris canonis vsq; ad finẽ, non nisi baptizati & perfecti Christiani admittebantur, quę & Missa Christi fidelium vocabatur. *Missa Catechumenorum. Missa fidelium.*

Proba Missam scripturæ testimonijs.

Deut.16. *Oblationem spontaneam offeres iuxta benedictionem Domini Dei tui.*

Malac.1. *In omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.*

Psal.109. *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.*

Christus enim in morem Melchisedech sub speciebus panis & vini corpus suum & sanguinem in nouissima cœna Deo Patri obtulit, ait Theophylactus.

Luc.22. *Hoc facite in meam commemorationem.*

Hebr.5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in ijs quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.*

Cur quotidie Missa celebratur?

Tribus de causis. Vna est vt in vinea laborantes, quotidie ea reficiantur. Alia, vt hi qui numero fidelium quotidie associantur, per illud Christo incorporentur. Tertia, vt memoria passionis Christi quotidie mentibus fidelium ad incitationẽ inculcetur. Vide librum qui Gemma animæ inscribitur.

Quid significat Introitus?

Introitus expositio. Introitus Missæ significat introitum & aduentum Christi in mundum. Cantus autem, quo Introitum dicimus, significat voces & pronuciationes Prophetarum, quibus prædixerunt futurum Christi aduentum.

Kyrie eleison.

Id eſt, Domine miſerere, ſignificat orationes & ſuſpiria Patrum pro Chriſto.

Gloria in excelſis.

Significat gaudium Angelorum de Chriſto nato. *Luc. 2.*

Collectæ.

Significant orationes, laudes, & vota eorum, quibus Chriſti aduentus primò fuit reuelatus: vel hoc indicant, quòd tota vita Chriſti continua pro nobis & perpes oratio fuit.

Epiſtola.

Officium agit legis & prophetarum, qui ante prædicatum Euangelium floruerunt, & de venturo Meſſia vaticinati ſunt, maximè verò deſignat tempus illud, quo præcurſor Chriſti Ioannes Baptiſta viam venienti Domino ſua prædicatione præparauit.

Graduale.

Lamentum pœnitentiæ, quod Ioannes excitauit, cùm diceret: *Pœnitentiam agite, genimina viperarum, ſecuris ad radicem arboris poſita eſt.* *Matt. 3.*

Alleluia.

Alleluia canticum eſt lætitiæ, ea vox in Eccleſia planè vſitata eſt. Alleluia perinde ac ſi dicas, laudate Deum. Iam Alleluia in Miſſa conſolationem ſignificat, quam præcurſor addidit oſtendendo Chriſtum: *Ecce* (inquit) *agnus Dei qui tollit peccata mundi.* Vel gaudium ſempiternæ fœlicitatis, poſt luctum. *Ioan. 1.*

luctum pœnitentiæ, & peregrinationem huius vitæ.

Prosa. Post Alleluia sequitur prosa, quæ & ipsa cantio est lætitiæ, ad significandam geminam stolam, glorificationem scilicet corporum & animarum.

Tractus significat tædium, molestiam, & laborem præsentis incolatus, & vitæ.

Euangelium?

Significat prædicationem Christi & Apostolorum. Lumen accensum Christum ipsum significat, qui de se ait: *Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumẽ vitæ. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Ioan. 8. *Ioan. 1.*

Credo vel Symbolum?

Matt. 16. Fidem Apostolorum, & confessionem Petri: *Tu es Christus filius Dei viui.*

Offertorium?

Significat quòd post prædicationem Euangelij non tantũ sequi debet fides in corde, sed etiam laus in ore, & fructus in opere, vt scilicet tam nos quàm nostra Deo offeramus, qui tanta nobis dat & promittit per Euangelium.

Præfatio?

Quia altè canitur post aliquantulum silentium, significat reditum Christi in Iudæam, postquam aliquandiu latuerat, propter insidias Iudæorũ. Tunc enim instante

passione, manifestè rediit in Iudæam, ac primò insignem illam cœnam Bethaniæ celebrauit. Ideò præfatio altè cantatur.

Sanctus?

Sanctus significat acclamationem turbæ in die Palmarum. Item concentum Angelorum canentium continuè, Sanctus, Sanctus, Sanctus, vt D. Amalarius.

Canon maior quid?

Prima pars Canonis ante verba consecrationis, significat tres dies illos inter diem Palmarum & cœnam Domini.

Verba consecrationis?

Admonent nos vltimæ cœnæ & institutionis sacramenti Eucharistiæ.

Eleuatio hostiæ & extensio manuum?

Significat extensionem & eleuationem Christi in ara crucis.

Pars canonis quæ sequitur, & secretè legitur?

Significat silentium Christi in cruce.

Pater noster vel oratio Dominica?

Significat orationem Christi: *Pater dimitte illis. Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Et alia verba quæ in cruce protulit. Et ideò altè quoque cantatur. *Luc. 23. Ibid.*

Fractio hostiæ?

Significat mortem Christi.

Immissio particulæ hostiæ in calicem?

Significat Christi sepulturam.

Pax Domini?

Significat fructum passionis Christi, qua pacifi-

pacificauit nos cum Deo in sanguine suo. Vel pax Domini significat resurrectionem Christi, in qua Apostolis annunciauit pacem.

Agnus Dei?

Luc. 23. Significat vocem Centurionis. *Verè*, inquientis, *hic homo iustus erat*: & pœnitudinem populi, qui percutientes pectora sua reuertebantur. Vel significat testimonium Ioannis Baptistæ, de Christo prolatum esse

Ioan. 1. verum, cùm diceret: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*

Communio?

Significat gratiarum actionem Ecclesiæ, pro beneficio redemptionis.

Vel significat gaudium Apostolorum, de Christi resurrectione.

Vltima Collecta?

Significat orationem Christi, qua pro nobis iugiter interpellat ad patrem.

Ite Missa est?

Dimittitur populus ad propria, quasi dicat sacerdos, Ite, Missa finita est. Vel potius, Ite, missa est hostia ad Patrem.

Benedictio?

Luc. 24. Significat benedictionem Christi ascendentis.

Sequuntur versiculi, quibus mysteria indumentorum, quibus sacerdos in Missa facienda vtitur, explicantur.

Tu quicunque voles Missam celebrare Sacerdos,
Et quicunque voles tantis adsistere sacris,

Sis memor, & tota deuotus mente reuoluas,
Qualia sit Christus pro te certamina passus,
Velatum capite, & derisum figurat amictus,
Linea vestis item, quòd sit despectus in alba.
Vincula significat fera, totaq; zona manipli.
Est stola imago crucis, quam humeris gestauit Iesus.
Cernis amictu, atque inde quater tu cernis in alba (qúe.
Signa terebrati capitis, manuumq; pedum-
Purpurea, spectãs casulã, vestis memor esto,
Vt rubeo fuerit perfusus sanguine Christus.
Cumq; Sacerdotem ad aram cernis properantem,
Tunc voluas animo memori, vt conscenderit vltro
Caluariæ montẽ, moriturus de cruce pro te.
Omnia dicta piè memorando pectora tunde.

DE HORIS CANONICIS.

Quæ est ratio & causa institutionis horarum Canonicarum?

VT perpetuam passionis & mortis Christi memoriam celebremus, eamque quotidie nobis ob oculos versari faciamus. *Hora Canonica.*

Quot sunt horæ Canonicæ?

Septem, quãuis enim duodecim sint ho-

ræ diei

ræ diei, tamen ſeptem Chriſtus clariſſimis miſericordiæ ſuæ radiis illuſtrauit. Horà matutina pro nobis captus ligatusque fuit, à diſcipulis relictus & negatus, ab impiis falsò accuſatus & illuſus: vnde Eccleſia illa hora ſic orat.

Patris ſapientia, Veritas diuina,
Chriſtus homo capt⁹ eſt, hora matutina.
A ſuis diſcipulis, & notis derelictus,
A Iudæis venditus, traditus & afflictus.

Prima. Prima hora laudes canimus Chriſto, quòd pro nobis ſummo mane illuſus, conſputus, & vinctus Pilato traditus fuit.

Hora prima Dominum ducunt ad Pilatum,
Falſis teſtimonijs multum accuſatum,
In collum percutiunt manibus ligatum,
Conſpuentes faciẽ, vt eſt prophetatum.

Tertia. Tertia, quòd flagellatus & ſpinis coronatus fuit.

Crucifige clamitant hora tertiarum,
Illuſus induitur veſte purpurarum,
Caput eius pungitur corona ſpinarum,
Trabẽ geſtat humeris ad locũ penarum.

Sexta. Sexta, quòd crucifixus eſt.

Ieſus hora ſexta eſt cruci conclauatus,
Præ tormentis ſitiens felle ſaturatus,
Pendens cum latronibus, cum eis deputatus:
Siniſter eum reprobat latro ſceleratus.

Nona. Nona Chriſto gratias agimus, quòd capite inclinato patri tradidit ſpiritum.

Hora nona Dominus Ieſus expirauit?
Heli clamans animã patri cõmendauit:

Latus

Latus eius lancea miles perforauit:
Tunc terra cõtremuit, & Sol obscurauit.

Vespera, quòd de cruce depositus est. *Vespera.*

De cruce deponitur hora vespertina,
Fortitudo latuit in mente diuina.
Talem mortem subijt vitæ medicina,
Heu corona gloriæ iacuit supina.

Hora completorij, quòd in monte Oliuarum pauere & tædere cœpit, & sanguinem sudauit. Vel iuxta alios, quòd sepultus fuit. *Completorium.*

Hora completorij datur sepulturæ
Corpus Christi nobile, spes vitæ futuræ:
Conditur aromate; complentur scripturæ,
Iugi sit memoria mors hæc mihi curæ.

Affer scripturas de horis Canonicis.

Venite exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro. *Psal. 54.*

Præoccupemus faciem eius in confessione, & in Psalmis iubilemus ei. *Ibidem.*

Petrus & Ioannes ascenderunt in templum, ad horam orationis nonam. *Act. 3.*

Impleamini Spiritusancto, loquentes vobismetipsis in Psalmis, hymnis, & canticis spiritalibus; canentes & psallentes in cordibus vestris Domino, & gratias agentes semper de omnibus, in nomine Domini nostri Iesu Christi. *Ephes. 5.*

DE OR-

DE ORDINE HIERARCHICO.

Hierarchia quid?

SACER principatus, vel sacrum regimen.

Ecclesiastica Hierarchia quid?

Dionysi' Areopagita in lib. de Eccles. Hierarchia.

Est ordinata potestas maiorum & minorum prælatorum in Ecclesia: quorum interest (ait Dionysius Areopagita) purgare per correctionē, illuminare per doctrinam, & perficere per sacramentorum administrationem. Porrò vt Ecclesiæ vnitas, & disciplina conseruetur, Hierarchia seu sacer ordo constitutus est, vt superiores inspiciant, & cùm res postulat, corrigant inferiores. Multis presbyteris vnus Episcopus in schismatis remedium præpositus est, Episcopis cuiusuis prouincię Archiepiscopus, qui & Metropolitanus dicitur. Metropolitanis verò pluribus vnus primas: inter quos omnes Pont. Rom. veluti tenens legitima successione cathedram S. Petri Apostolorum principis, quem Christus singulariter ouili suo præfecit, & cui confirmationem fratrum imposuit, summus est, amplitudinę iurisdictionis, & solicitudine omnium Ecclesiarum.

Ioan. 21. Luc. 22.

Quotuplex est Ecclesiastica Hierarchia?

Hierarchia quotuplex.

Duplex. Non enim sunt nisi duo status Hierarchici in Ecclesia, maiorum scilicet & mino-

minorum Prælatorum: ſicut Chriſtus non habuit niſi Apoſtolos, quibus Epiſcopi, & maiores prælati; & diſcipulos ſeptuaginta duos, quibus ſacerdotes, & minores in Eccleſia prælati ſucceſſerunt. Maiorum nomine intelliguntur, Romanus Pontifex, Cardinales, Metropolitani, Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi: Minorum, reliquus totus cœtus inferiorum ſacerdotum.

Proba ordinem illum Hierarchicum ſcripturæ authoritate.

Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris in terris, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque ſolueris in terris, erit ſolutum & in cœlis. *Hierarchici ordinis probatio.* *Matt.16.*

Et ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem paſtores & doctores, ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti. *Epheſ. 4.*

Quoſdam poſuit Deus in Eccleſia, primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationẽ, gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum. *1.Cor.2.*

DE PRIMATV PETRI ET SEDIS APOSTOLICÆ.

ROm. Pont. D. Petri Apoſtoli ſucceſſor, Eccleſiæ per totum orbem diffuſæ *Petri primatus.*

paſtor

pastor ac rector à Christo constitutus est: id quod multis scripturæ locis probari poterit.

Matt.19. Post confessionem Petri dicit ei Iesus: *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Ego dico tibi, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* Item Do-

Ioan. 21. minus dixit Simoni Petro: *Simon Ioannis diligis me plus his?* Dicit ei Petrus: *Etiam Domine, tu scis quia amo te.* Dicit ei Iesus: *Pasce oues meas.* Hunc locum expli-

D.Chrysost.tõ.3. cans D.Chrysostomus: Ecclesiæ (inquit) primatum gubernationemq; Petro per vniuersum mũdum tradidit Dominus, quodque est omnium sublimius, ostẽdit eum ad Dominum maiorem habuisse charitatem, quàm cæteri Apostoli omnes.

Luc.22. *Simon ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.*

Marc.16. *Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis.*

Ibidem. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non præualebunt aduersus eam.*

Duode-

Duodecim Apostolorum nomina hæc sunt: Primus Simon qui dicitur Petrus. In quem locum D. Epiphanius ait: Deus qui nouit cogitationes cordium, scit quoque, qui dignus sit primo loco collocari: elegit Petrum, vt dux esset suorum discipulorum. *Matt.10. D.Epiph. in Ancoratu.*

D. Augustinus de Petri successore ait: Sedenti in cathedra Romanæ Ecclesiæ, totus orbis Christianus subiectus est. *D.Aug. cõt. epist. Parmeniani.l.1. c.2. tõ.7.*

Item Aug. alibi: In Romana Ecclesia semper Apostolicæ cathedræ viguit principatus.

Item alio loco: Numerate (inquit) sacerdotes ab ipsa Petri sede, & quis patrum cui successit videte. Ipse enim est petra, quàm non vincunt superbæ inferorum portæ. *Aug. ep. 162. tom. 2. in Psal. cont. partem Donat.*

Ambrosius: Roma (inquit) habet Apostolici sacerdotij principatum. *D. Amb. de vocat. gentium l.2.ca.6. Tom.2.*

DE CLAVIBVS ECCLESIAE.

Quæ est potestas clauium?

APERIRE, & claudere, hoc est, remittere peccata pœnitentibus, & retinere eadem impœnitentibus. Item, ligare criminosos, & absoluere pœnitentes. *Clauium potestas. Mat. 18.*

Quot sunt claues Ecclesiæ?

Duæ, ordinis, & iurisdictionis. *Ecclesiæ claues quæ.*

Quid est clauis ordinis?

Est potestas quæ per canonicam ordinationem ad sacra ministeria prouectis, pro-

motiſque tribuitur, ſingulis pro modo concrediti muneris ac officij. Hæc complectitur poteſtatem prædicandi Euangelium, cōſecrandi corpus Chriſti, remittendi & retinendi peccata, & adminiſtrandi ſacramenta.

Proba hanc clauem ſcripturæ teſtimonio.

Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.*

Matt. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quicquid ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.*

Quid eſt clauis iuriſdictionis?

Eſt poteſtas conſtituendæ & retinendæ in Eccleſia diſciplinæ, qua ius dicitur ſecundùm leges Euangelicas & Apoſtolicas, & coercentur inobedientes ad Eccleſiæ ædificationem.

Proba hanc clauem ſcripturæ teſtimonijs.

Matt. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eũ inter te & ipſum ſolũ: ſi audierit te, lucratus eris fratrem tuũ. Si autem te nō audierit, adhibe tecum adhuc vnũ, vel duos, vt in ore duorum vel trium ſtet omne verbum: quòd ſi eos non audierit, dic Eccleſiæ; ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus*, Huc ſpectat illud

2 Cor. 10. Apoſtoli: *In promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam.* Et paulò pòſt: *Nam &*

Ibidem. *ſi amplius aliquid gloriatus fuero de poteſtate*

ſtat, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem, non erubeſcam. Vtramq; clauem, tam ordinis, quàm iuriſdictionis, moderatur clauis ſcientiæ, & diſcretionis inter ligandos & ſoluendos: cuius meminit D. Ambroſius ſermone de natali ſanctorum Petri & Pauli. *D. Ambroſius.*

Loquitur Chriſtus de claue ſcientiæ: *Væ vobis legiſperitis, qui tuliſtis clauem ſcientiæ, ipſi non introiſtis, & eos qui introibant, prohibuiſtis.* *Luc. 12.*

DE DISCIPLINA ECCLESIASTICA.

Quid eſt diſciplina Eccleſiaſtica?

DISCIPLINA Eccleſiaſtica, quæ claue iuriſdictionis exercetur, & regitur, eſt iuris Eccleſiaſtici dicendi poteſtas, ſecundùm diuinarum ſcripturarum, & ſacrorum canonum auctoritatem præſcripta, quæ redditur in rebelles & criminoſos, ad Eccleſiæ ædificationem & vtilitatem. *Diſciplina Eccleſiaſtica quid.*

Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta. *Pſal. 2.*

Peccatori autem dixit Dominus: *Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu verò odiſti diſciplinam, & proieciſti ſermones meos retrorſum.* Huius nomine debent ſubditi Eccleſiarũ præſidibus obedientiam & ſubie- *Pſal. 49.*

ctionem, tanquam à Deo præpositis. Item victum necessarium, reuerentiam seu debitum honorem.

Proba ista scripturæ testimonijs.

Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo, quæ autem à Deo sunt, ordinata sunt Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem in illa.*

Hebr. 13. *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*

1. Tim. 5. *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina.*

De victu præstando ministris Ecclesiæ.

Deu. 25. *Non alligabis os boui trituranti.*

Matt. 10. *Dignus est operarius cibo suo.*

Item,

Luc. 10. *Dignus est operarius mercede sua.*

Galat. 6. *Communicet autem is, qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat in omnibus bonis.*

1. Cor. 9. *Quis militat proprijs stipendijs vnquam? quis plantat vineam, & fructu eius nō edit?*

1. Cor. 9. Ibidem. *Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est, si carnalia vestra metamus? Nescitis quoniam qui in sacrario operātur, quæ de sacrario sunt, edunt: & qui altari inseruiunt,*

uiunt, cum altari participant? Ita enim Dominus ordinauit ijs, qui Euãgelium annunciant, de Euangelio viuere.

Nam si spiritalium eorum participes effecti sunt gentiles, debent & in carnalibus ministrare ijs. Rom. 15.

Quæ complectitur iurisdictio Ecclesiastica?

1. Multa: Synodorum, & generalium conciliorum indictionem, & celebrationem.
2. Visitationem Ecclesiarum & sacerdotum.
3. Examinationem ordinandorum, & instituendorum ad ministeria.
4. Examinatorum ordinationem, & institutionem.
5. Eorundẽ ex iusta causa destitutionem.
6. Causarum Ecclesiasticarum cognitionem, & determinationem.
7. Criminum, quibus Ecclesia læditur & deformatur, coërtionem.
8. Pœnitentiarum publicarum iniunctionem.
9. Pœnitentium reconciliationem post peractam pœnitentiam.
10. Censurarum Ecclesiasticarum impositionem contra rebelles, & relaxationem pro reconciliatis, & si quæ sunt similia.

Produc de his singulis scripturæ testimonia.

De Synodis.

Et quidam descendentes de Iudæa, docebant

Synodorum testimonia. Act.15. *bant fratres, quia nisi circuncidamini secundùm morem Moysi, nõ potestis saluari: facta ergo disceptatione nõ modica, statuerunt vt ascenderent Paulus & Barnabas ad presbyteros in Hierusalem, super hac quæstione.*

De visitatione.

Visitatio Act.15. *Reuerentes, visitemus fratres nostros per vniuersas ciuitates, in quibus prædicauimus verbum Domini, quomodo se habeant.* Et *Act.15.* paulò pòst: *Perambulabat Paulus Syriam* *Act.16.* *& Ciliciam confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum & Seniorum. Cùm autem pertransirent ciuitates, tradebant eis seruare decreta quæ erant ordinata ab Apostolis, & presbyteris, qui erant Hierosolymis.*

De examinatione, ordinatione & institutione clericorum ad ministeria.

Non admittendi sunt ad ministeriũ Ecclesiasticum, nisi qui per suos Episcopos aut Archidiaconos prius explorati, & deinde authoritate Episcopali ordinati fuerint.

1. Tim.3. *Hi probentur primum, & sic ministrent, nullum crimen habentes.*

1. Tim.5. *Manus citò nemini imposueris, neq; communicaueris peccatis alienis.*

Tit.1. *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut ego disposui tibi.*

De de-

De destitutione malorum ministrorum causa cognita.

Vos estis sal terræ, quod si sal euanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. *Matt. 5.*

Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. *Osea 4.*

Ob hanc intermissam, Heli summus sacerdos, cum tota posteritate, quàm grauissimè punitur. *3. Reg. 2. & 4. 1. Reg. 2.*

DE CENSVRIS ECCLESIASTICIS.

Quot sunt censuræ Ecclesiasticæ?

QVINQVE.

Ecclesiasticæ censuræ.

1. Anathema seu excommunicatio.
2. Irregularitas.
3. Suspensio à sacris.
4. Interdictio publica vsus sacrorum.
5. Degradatio.

Quid est excommunicatio?

Excommunicatio est Ecclesiastica censura, quæ ab Episcopis infligitur Christianis, ob graue aliquod & enorme crimen, propter quod à Sacramentis & communione Ecclesiæ, & à Christianorum consortio arcentur, separanturque. *Excommunicatio quid.*

Est autem excommunicatio duplex, maior & minor. *Excommunicatio duplex.*

Maior est, quæ ob graue aliquod flagitium infligitur, ita vt à societate fidelium quis separetur, & à communione & Sacramentis Ecclesiæ segregetur, à qua solus Episcopus potestatem absoluendi habet, vel ipsius vicem gerens, vt pœnitentiarius, siue alius quispiam confessarius ab Episcopo eam potestatem, ac priuilegium specialiter habens. In agone verò mortis, quilibet sacerdos à maiori excommunicatione, & etiam ab aliis censuris Ecclesiasticis absoluere potest.

In agone mortis quilibet sacerdos potest soluere ab omni excommunicatione & censuris Ecclesiasticis.

Minor est, quæ ob quodlibet peccatum mortale, fideles à Sacramentis secludit. Et ab hac excommunicatione quilibet sacerdos absoluere potest.

Excommunicatio in veteri lege præsignata fuit per eiectionē è synagoga. Et quod in sæculari magistratu seu foro ciuili est relegatio, vel missio in exilium, & bannus Imperialis, hoc in Ecclesiastico foro est excommunicatio maior.

Huius plura extant scripturæ testimonia.

Matt.18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.*

Rom.9. *Optabam ego anathema esse, pro fratribus meis.*

Exod.32. *Dimitte illis noxam hanc, aut dele me de libro, quem scripsisti,* id est, de libro vitæ.

Quid

Quid est irregularitas?

Est impedimentum exequendi diuinum officium, & administrandi Sacramenta Ecclesiæ. Hæc facit, vt aliquis non possit promoueri ad sacros ordines, vel si promotus est, vt non possit exercere officium suum, & tollitur per dispensationem summi pontificis. *Irregularitas quid.*

Quid est suspensio?

Est censura Ecclesiastica, qua interdicitur officium aliquod vel exercitium, quod personæ Ecclesiasticæ competit, aliquando à iure, aliquando à iudice prolata. *Suspensio quid.*

Quid est interdictum?

Est Ecclesiastica censura, qua alicui ob certas causas interdicitur administratio aliquorum Sacramentorum, & celebratio diuinorum, vel executio aliquorum spiritualium. *Interdictum quid.*

Quid est degradatio?

Est quoque censura Ecclesiastica, quando clericus indutus vestib. sacerdotalibus perinde ac si esset in officio constitutus: exuitur ijs, & despoliatur, certis verbis adhibitis, atque deinceps iudici seculari traditur, idque in capitalibus tantum clericorum delictis fieri solet. De his censuris vide latiùs sacros canones. *Degradatio quid.*

DE CASIBVS RESERVATIS.

Quot sunt casus reseruati Episcopo ordinario?

TRES PRÆCIPVI.

Casus reseruati Episcopo ordinario quot.

1. Homicidium.
2. Excommunicatio maior.
3. Hæresis.

Isti præcipui sunt, potest tamen & quāplurimos alios sibi reseruare.

Quot sunt casus reseruati summo Pontifici, qui & ob id Papales dicuntur?

Casus reseruati summo Pontifici quot.

Sunt multi: 1. Enormis clerici mutilatio.

2. Simonia, quæ committitur quando Ecclesiastica bona turpi lucro distrahuntur, & tāquam res seculares venduntur aut emuntur.

3. Templorum combustio.

4. Instrumentorum Apostolicorum falsificatio.

5. Sacrum Missæ officium tempore maioris excommunicationis celebratum.

6. Sacrilegium.

7. Constupratio sanctimonialium.

8. Incœstus, id est, fornicatio cum consanguineis, intra quartum gradum consanguinitatis vel affinitatis.

9. Peccatum contra naturam, quod Sodomiticum appellant.

10. Fornicatio cum ea quam è fonte sacri lauacri susceperis.

11. Pro-

11. Procuratio ſterilitatis.
12. Sacrorum locorum prophanatio.
13. Eccleſiaſticam impedire libertatem.
14. Prophanus abuſus ſacrarum rerum, veluti Euchariſtiæ, Chriſmatis, ſacri Olei.
15. Contractus matrimonij clandeſtinus.
16. Luxuriari in templo conſecrato.
17. Rem ſacram ſeu Miſſam in altari aut loco non conſecrato peragere.
18. Excommunicatos ſepelire in locis ſacris.
19. Ordinari ab alieno Epiſcopo, ſine literis dimiſſoriis, vt vocant.
20. Promoueri per ſaltum ad ſacros ordines.
21. Oppreſſio infantum.
22. Vſura manifeſta.
23. Conſpiratio aduerſus proprium prælatum.
24. Vxori aut marito mortem machinari.

Sunt adhuc nonnulli alij caſus Pontifici Maximo reſeruati, qui paſſim in ſacris canonibus reperiuntur, à quibus tamen ex ſingulari priuilegio alij Epiſcopi & Prælati abſoluendi poteſtatem habent. *Vide Concil. Trid. 4. Seſſ. c. 7.*

Vt in c. peruenit, de ſenten. excommunic.

DE ECCLESIA.

Quid est Ecclesia?

Ecclesia quid. ECCLESIA est cœtus fidelium, vbiuis locorum existentium, qui in baptismo Christo nomen dederunt, vno verbo & eisdem Sacramentis concorditer vtens. Hęc duos parietes habet, laicos videlicet & clericos.

Quotuplex est Ecclesia?

Duplex. Militans & Triumphans.

Quid est Ecclesia militans?

Ecclesia militans est, quæ adhuc militat, pugnat, & peregrinatur in terris, habens adhuc inter se commixtos bonos & malos, triticum & paleas, bonum semen & zizania. *2. Tim. 2.* De qua Apostolus: *In magna domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea, & fictilia, quædam in honorem, quædam autem in contumeliam.*

Quid est Ecclesia triumphans?

Ecclesia triumphans quid. Est cœtus ille beatarum animarum cum Christo regnantium, qui iam de mundo & diabolo triumphat, & regnat cum Christo securus in æternum, de quo Apostolus ad *Ephes. 5.* Ephesios: *Christus caput est Ecclesiæ: & ipse Saluator corporis eius.*

Ecclesia cur dicitur Christiana?

Quia vni Christo ceu capiti suo innititur, & ab ipso nomen habet.

Cur dicitur sancta?

Quia Christi sanguine emundata, & spiritu Dei sanctificata est. Apostolus: *Christus dilexit Ecclesiã, & tradidit semetipsum pro ea, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Item, quia habet, docet, & agit, quæ sancta sunt. Cæterum sancti & iusti, qui in gratia Dei sunt, dicuntur esse de Ecclesia, numero & merito: peccatores verò dicuntur de Ecclesia, numero tantum, non merito.

Ephes. 5.
Iusti sunt de Ecclesia numero & merito, sed impij tantum numero.

Cur Orthodoxa?

Quia rectè sentit, & credit, non errat. Sequitur enim vocem pastoris sui, & habet Spiritum sanctum doctorem, ductorem, & rectorem. Ideò dicitur columna & firmamentum veritatis. Orthodoxa rectè sentiens dicitur.

Ioan. 10.
Ioan. 4.
Esai. 6.
D. Aug. epist. 118. Tom. 2.
1. Tim. 3.

Cur dicitur Catholica?

Quia vniuersalis est, non alligata vni loco, neque vni tempori, sed se diffundit in quæuis loca, & tempora.

Cur Apostolica?

Quia illa quæ per vniuersam custodiuntur Ecclesiam (ait Augustinus) ab ipsis Apostolis tradita, & commemorata creduntur, quamuis in eorum dictis vel consiliis non reperiantur. Hinc & sedes beati Petri, quæ nobis mater est, & magistra rationis, quæ etiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam recessit peculiariter Apostolica nominatur.

Potest ne Ecclesia errare?

1. Tim. 3. Minimè. Est enim columna & firmamentum veritatis. *Cùm venerit paraclitus qui à patre procedit, quem pater mittet in nomine meo, ille docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia.*

Ioan. 15. & 16. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò.*

Ibidem. *Cùm autem venerit paraclitus, Spiritus ille veritatis, docebit vos omnē veritatem.*

Mat. 28. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.*

Ecclesia quid differt à synagoga?

Differentia inter Ecclesiã & Synagogam. Synagoga etiam est congregatio. Quod autem synagoga expectauit, hoc Ecclesia habet, & possidet. Synagoga habuit vmbrã & figuras; Ecclesia habet lucem & veritatem. Illi Moyses præerat, huic filius Dei. Illa circuncisis, hæc baptizatis: illa lege, hæc fide delectatur.

DE LIBERO ARBITRIO.

Quid est liberum arbitrium?

EST libera rationis & voluntatis electio, qua bonum eligitur gratia assistente, & malum gratia deficiente, seu desistente.

Proba liberum arbitrium sacra scriptura testimonijs.

Eccl. 15. *Dominus ab initio constituit hominem, & reli-*

reliquit eũ in manu consilij sui, adiecit mandata, & praecepta. Si volueris mandata seruare, conseruabunt te: apposuit tibi ignem & aquã, ad quod volueris porrige manum. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei dabitur illi.

Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illi. *Gene. 4.*

Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. *Matt. 19.*

Quoties volui cõgregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti. *Mat. 23.*

Beatus homo qui potuit transgredi, & non est transgressus. *Eccl. 13.*

Si volueritis & audieritis me, & bona terra comedetis. Quod si nolueritis, & ad iracundiam me prouocaueritis, gladius deuorabit vos. *Esai. 1.* Auguſt. Peccatum adeò est voluntarium, quòd si non voluntarium, nullum est peccatum.

DE IVSTIFICATIONE.

Iustificatio quid est?

EST hominis à Deo per peccatum auersi vera ad Deum conuersio, qua gratuita Dei misericordia ex impio & iniusto, remissis ex merito Christi peccatis, iustus fit & pius. *Iustificatio quid.*

Vel iustificatio est mors veteris hominis *Ephes. 4.* in no-

in nobis, & excitatio noui, qui secundùm Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis. Item, Iustificatio est translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius Adæ, in statum gratiæ & filiorum Dei per secũdum Adam Iesum Christum.

Concil. Trid. Sess. 6. in 4.

Item iustificari est absolui à peccatis, piumque & iustum effici. Vel exui veteri homine, & indui nouo.

Coloss. 3.

Quot rebus constat iustificatio?

Duabus, remissione peccatorum, quàm is, quem veteris vitæ pœnitet, gratia Christi, & meritis passionis eius accepit per fidem, & innouatione interioris hominis per charitatem: qua demum imbuti, in vitæ nouitate ambulamus.

Quò illud Apostoli spectat: *In Christo Iesu neque circuncisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.*

Galat. 5.

Errant proinde qui sola fiducia, seu potius præsumptione remissionis peccatorum propter Christum, non etiam innouatione interioris hominis, iustificationem constare affirmant. Ioannes ait: *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres: Qui non diligit, manet in morte.* Et Paulus ad Romanos. *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.*

1. Ioan. 3.

Rom. 2.

Vide-

Videtis (inquit) *quòd ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum.* Iacob 2.

Quotuplex est iustificatio?

Triplicem passim assignant doctores iustificationem.

Prima vel primaria, quæ nobis contingit in Sacramento baptismi, vbi regeneramur in filios DEI, & familiæ Christi adscribimur: de hac multa extant scripturæ testimonia. *Prima.*

Hæc quidē fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & spiritu Dei nostri. 1. Cor. 6.

Christus dilexit Ecclesiam suam, & semetipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ, in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem rugam, aut maculam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata. Ephe. 5.

Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Marc. 16.

Nihil nunc damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundùm carnem ambulant. Rom. 8.

Quicunque spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba pater. Ibid.

Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui Ibid.

rituinostro, quod sumus filij Dei, si autem filij, & hæredes. Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.

Iustitia hæc non est imputatiua, vt Hæretici falsò nugantur, & interpretantur illi Apostoli locum: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiã*. Sed est proprij nominis iustitia, inhærens re ipsa baptizato, id quod prædicta testimonia satis declarant.

Rom.4.

Secundaria.

Secundaria iustificatio est, qua homo post baptismum lapsus in peccata, denuò iustificatur, & ex peccatore iustus, ex inimico Dei amicus constituitur, idque fit præcipuè per Sacramentum pœnitentiæ, quæ secundùm Tertullianum & D. Hieronymum, secunda tabula post naufragium dicitur.

Tertull. lib. de Lapsis.

Tertia est iustificationis species impropria, quæ in leuioribus, hoc est, venialibus peccatis locum habet.

Vniuscuiusque iustificationis causa formalis est ipsa charitas, vel gratia, vt sine qua nulla iustificatio fieri queat, prout supra est declaratum. Efficiens est Deus: finalis, gloria Dei & Christi, ac vita æterna. Meritoria Christus, instrumentalis Sacramentum Baptismi, quod est Sacramentum fidei. Concilium Trid. Sess. 6. c. 7.

DE CONCVPI-SCENTIA.

Quid est concupiscentia?

EST procliuitas ad malum, in membris nostris ex peccato Adæ relicta, quæ in carne nostra dominatur, ipsamque inficit & irritat, rationi resistit, dum eam ad omne opus bonum tardam efficit, & ignauam, pronam verò & præcipitem ad peccata. Hic iste languor est, qui facit quòd omnis hominum sensus & cogitatio ab adolescentia sua prona sit ad malum. Hic morbus & animi & corporis vires debilitat & grauat. Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam. De quo Apostolus: *Video aliam legem in membris meis repugnantē legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* En tibi Paulum, quò concupiscentia illa vertat, & inclinet, apertè docentem, & quæ non inhabitet tantùm, sed & regnet in membris nostris. Vnde & legem membrorum vocat, quæ etiam aliàs lex carnis, tyrannus, vitium naturæ & languor, fomes peccati, vetus homo, vetus Adam dicitur.

Gene. 8. *Sapi. 9.* *Rom. 7.* *Concupiscentia quibus nominibus nuncupetur.*

Proba omnes penè homines peccatis, & maximè originali ante baptismum esse obnoxios.

Multis scripturæ testimoniis probari potest, omnes homines, qui non ex singulari

Dei

Dei gratia & prerogatiua præseruati fuerint, in peccato originali concipi, & nasci.

Psal. 50. Siquidem Dauid: *Ecce* (inquit) *in iniquitatibus cõceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.*

Ephes. 2. *Omnes nascimur filij iræ, sicut & cæteri.*

Rom. 3. Et alibi ait Apostolus: *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.*

Rom. 5. Et apertiùs paulò infrà: *Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.*

Manifesta sunt Apostoli verba, quibus probat ipse omnes nos natura esse filios iræ, & æternæ morti obnoxios.

Iob. 25. Vnde: *Nemo mundus à sorde, neque infans, cuius est vnius diei vita super terram.* Iam ex peccato illo originali prouenit, & relinquitur in nobis concupiscentia illa mala, peccati fomes, & malorum omnium semi-

Gene. 8. narium quodammodo, ita vt sensus, & cogitatio hominis, ab adolescentia ipsa prona sit ad malum.

Porrò ea concupiscentia aliter consideratur ante baptismum, aliter in baptizatis. Ante baptismum reos nos facit, & obnoxios ęternæ damnationi, filios iræ, filios perditionis, & tales quidem manemus, donec regeneremur per aquam, & Spiritum sanctum, quandò videlicet per baptismi Sacramentum reatus simul, & culpa huius peccati

tolli-

tollitur, remanente adhuc concupiſceutia, inclinante quidem ad malum, ſed non conſtituente aliquem à baptiſmo reum, niſi qui ei per delectationem & conſenſum rurſum adhæſerit. Eò facit, quod Auguſtinus ait: Concupiſcentiam in baptiſmo dimitti, non vt non ſit, ſed vt non imputetur. Itaque in baptizatis non eſt proprij nominis peccatum, ſed quædam procliuitas, vel pronitas, & inclinatio ad peccandum, aſſiduè nos ad peccandum ſollicitans, & propellens. Ex qua perpetua illa pugna carnis, & ſpiritus naſcitur, de qua Apoſtolus: Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, vt non quæcunque vultis faciatis. *Aug. li. 1. de pecca. meritis & remiſ. cap. 38. Tom. 8.* *Gal. 3.*

Alia ſcripturæ affer teſtimonia, quibus iſtam probes concupiſcentiam, ſimul & omnes propemodum eſſe peccatis irretitos.

Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus, deinde concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum, peccatum verò cùm conſummatum fuerit, generat mortem. *Iacob 2.*

Animalis homo non percipit ea quæ Dei ſunt. *1. Cor. 2.*

Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam. *Sapi. 9.*

Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. *Matt. 16.*

Vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt *Rom. 6.*

destruatur corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato.

Psal.142. *Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.*

Psal. 13. *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.*

3.Reg.8. *Non est homo qui non peccet.*

Eccle.7. *Non est iustus in terra qui faciat bonum & non peccauit.*

1. Ioan.1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.*

Iacob 3. *In multis offendimus omnes.*

Prou.4. *Septies in die cadit iustus, & iterũ surgit.*

Psal.18. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo.*

Psal.129. *Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit?*

Rom.3. *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.*

Relinquitur in nobis concupiscentia post baptismum, in exercitium virtutum; atque maius habemus meritum, si fortiter restiterimus, nec consensum prębuerimus prouocanti ei, & titillanti ad peccandum.

Nec est in baptizatis (vt iam diximus) proprij nominis peccatum, tametsi Paulus peccatum vocet.

Rom. 7. *Iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Peccatum appellat, non quòd

quòd in ſe amplius peccatum ſit, ſed quia à peccato eſt, ipſumq́; ad peccatum prouocat, & cum conceperit nil niſi peccatum parit: nō ſecus quàm ſi quis characteres ornatos, & concinnos pingat, is manum dicatur habere agilem, manumq́; illam eſſe ſuam: vbi nomine manus, ſcriptura venit intelligēda, authore Auguſtino: eodem modo & concupiſcentia ab Apoſtolo peccatum vocatur, eo quòd peccato ſit relicta.

De nuptijs & concupiſcentia li. 1. cap. 22. Tom. 7.

DE PECCATO.

Quid eſt peccatum?

PECCATVM eſt dictum, factum, aut concupitum contra legem Dei. Vel authore Ambroſio: Peccatum eſt diuinę legis præuaricatio, & mandatorum Dei inobedientia.

Aug. lib. 22. cont. Fauſtum cap. 27. Tom. 6.

Peccatum (vt Diuus Ioannes docet) eſt iniquitas, hoc eſt, obliquitas, deuiatio ſeu deflexio à regula legis æternæ, ſeu diuinæ voluntatis.

Ambroſ. libr. de Paradiſo cap. 8.

I. Ioan. 3.

Quot modis contingit nos peccare?

Tribus: infirmitate, ignorantia, & mera malitia. Item ſuggeſtione, delectatione, & conſenſu.

Quotuplex eſt peccatum?

Duplex: Originale & Actuale.

Quid eſt peccatum originale?

Peccatum originale eſt carentia originalis iuſtitiæ, cum vitioſa concupiſcentia. Vel, quod contrahimus à parentibus.

Dictum

Dictum originale, vel quòd à vitiosa nostra origine illud trahamus: Vel quòd sit originalis iustitiæ priuatio, qua Deus Adamum primum nostrum parentem ornauit, cùm illum rectum & sine vitio ad imaginem & similitudinem suã condidit. Verùm Adam per inobedientiam & præuaricationẽ præcepti à Deo accepti auersus à Deo, hoc præclarum iustitiæ originalis donum amisit, & hanc carentiã amissi doni, cum mala illa & vitiosa concupiscentia, de qua superiori titulo plura diximus, in totam posteritatem suã deriuauit, in quo vitio peccati originalis cõcipimur, & nascimur omnes, vnico excepto, Christo vero Deo & homine, vt qui non ex viri cõmixtione, sed spiritus S. virtute conceptus sit, & eius immaculata matre MARIA Virgine, quæ singulari Dei munere & beneficio ab hoc peccato præseruata fuit. De qua illud rectè spiritus S. dixisse credendus est: *Tota pulchra es amica mea, & macula nõ est in te.* Et D. August. ait: Cùm de peccato mentionem facio, semper beatissimam Virginem Matrem excipio.

Gene. 1. — *Cant. 4.* — *Aug. de natura & gratia c. 36.*

De hoc peccato originali, in quo omnes homines concipiuntur, & nascuntur, multa paulò antè attulimus scripturæ testimonia, inter quæ sunt hæc præcipua,

Rom. 5. *Sicut per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors, ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.*

De om-

De omni ligno paradisi comedes, de ligno scientiæ boni & mali non comedes. *Genes. 2.*

In quacunq; hora comederis, morte morieris, & non viues. *Ibidem.*

Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. *Psal. 50.*

Nemo est mundus à sorde, neq; infans, cuius est vnius diei vita super terram. *Iob. 15.*

Quid est peccatum actuale?

Peccatum actuale est quod opere vel omissione perpetratur. Vel aliter, Quod per illicitam delectationem & consensum, vel voluntatem, aut cogitatione, aut locutione, aut operatione committitur. Quidam ex recentioribus personale appellant, de quo propriè intelligitur hoc vulgatum dictum D. Augustini, Peccatum adeò voluntarium est, vt si non esset voluntarium, peccatum non esset. *Aug. de vera religione c. 14. eadē vide & de duab. animabus c. 11.*

Origo omnis peccati actualis est concupiscentia illa vitiosa, remanens in nobis etiam post Baptismum, quæ à triplici obiecto triplicia sortitur nomina. Cùm enim homo concupiscentiam effręnam liberè vagari dimittit, continuò regnat in corpore aut libido, aut auaritia, aut etiam vitæ superbia. Hæc enim sunt quæ in vitiosis hominibus (quos D. Ioannes mundi nomine appellauit) regnant & dominantur: *Omne* (inquiens) *quod est in mundo, aut est* *1. Ioan. 3.*

1. Concupiscentia carnis,

2. *Concupiscentia oculorum,*

3. *Aut superbia vitæ, quæ non est ex patre, sed ex mundo, & mundus transit, & concupiscentia eius. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.*

Iacob. 1. Item, *Nemo cùm tentatur, dicat quoniam à Deo tentetur. Deus enim intentator malorum est. Ipse enim neminem tentat, vnusquisq; verò tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus, deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum, peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.*

Ioan. 8. *Qui facit peccatum, seruus est peccati.*

Quotuplex est peccatum actuale?

Duplex: Mortale & Veniale.

Quid est mortale?

Mortale dicitur, quo quis reus fit æternæ mortis, quorum multa enumerat Paulus. Ait enim, talia peccata, quæ illic enumerat, perpetrantes, dignos esse morte, & proinde non consecuturos, nec possessuros regnum Dei. Peccatum tunc mortale dicitur, cùm ex contemptu fit, & ex superbia: veniale verò quod ex fragilitate, aut ignorantia.

Rom. 1. 1. Cor. 6. Gal. 5.

Quid est veniale?

Quod licet pœna dignum sit, non tamen ad æternam mortem obligat: poterunt autem hæc sic discerni, vt peccatum mortale sit, quo expellitur charitas Dei & proximi in nobis, quæ est principium vitæ spiritualis, iuxta illud Ioannis: *Qui non diligit, manet*

1. Ioan. 3.

net in morte. Veniale verò, quo remittitur quidem ac minuitur feruor charitatis, sed non expellitur: qualia sunt, immoderatus risus, ociosum verbum, subita ira, sed statim restincta, ac citò transiens, & eius generis similia, de quibus illud accipitur: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me Domine.* Et illud: *Septies in die cadit iustus, & resurgit.* Horum peccatorum differentia facilè haberi potest in Euangelio. Nam peccatum mortale trabi comparatur, veniale verò festucæ, Matth. 7. Psal. 8. Prou. 24.

Vtrumque rursus duplex.

Commissionis & Omissionis.

Iustitia enim duabus partibus constat; quæ sunt, declinare à malo, & facere bonum, sicut scriptum est: *Declina à malo, & fac bonum.* Qui deflectit ad malum, peccat commissione; qui verò omittit facere bonum, & præsertim qui non præstat munia & officia vocationis & ministerij sui, peccat omissione. Psal. 36.

Effectus peccati quid est?

Mors, iuxta illud Apostoli: *Stipendium peccati mors. Gratia autem Dei est vita æterna, in Christo Iesu Domino nostro.* Rom. 6.

Quot in quolibet peccato consideranda?

Duo: Culpa & Pœna siue reatus culpæ & pœnæ. Culpa remittitur contritione, confessione, & sacerdotis absolutione in Sacramento pœnitentiæ. Pœna verò æterna mu-

tatur in temporariam, quæ deinde satisfactione expiatur, prout supra de Sacramento pœnitentiæ copiosius dictum est.

Quot sunt peccata mortalia?

Ad agnoscenda & discernenda peccata communiter numerantur septem peccata mortalia, quæ & vitia capitalia appellantur, quæ sunt veluti septem fontes, & scaturigines omnium peccatorum actualium. Horũ memorialis est dictio, SALIGIA. S. Superbiæ. A. Auaritiæ. L. Luxuriæ seu Libidinis. I. Inuidæ. G. Gulæ. I. Iræ. A. Accediæ nos admonens.

Quid est Superbia?

Filiæ superbiæ. *Eccl.10.* 1. Superbia est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ: filias habet, inobedientiã, iactantiam, hypocrisim, contentionem, pertinaciam, discordiam. Superbia odibilis est Deo & hominibus, de qua est illud Iacobi *Iacob.4.* verbum: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

2. Auaritia est nimius & inordinatus habendi appetitus: filias gignit, proditionem, fraudem, fallaciam, periurium, immiseri- *1.Tim.6.* cordiam. De hac Paulus: *Radix omnium* *Ephes.5.* *malorum est cupiditas.* Item, *Auaritia est* *& Col.3.* *idolorum seruitus.* Christus ait: *Non pote-* *Luc.16.* *stis seruire Deo & Mammonæ.*

3. Luxuria vel libido est inordinatus appetitus rei venereæ. Ea filias procreat, mẽtis cœcitatem, inconstantiam, amorem suiipsius, odium Dei, desperationem. De hac scribit Pau-

bit Paulus: *Omne peccatum quodcunque fecerit homo extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* 1.Cor.6.

4. Inuidia, est tristitia seu mœror de alterius prosperitate, & gaudium seu lætitia de aliena aduersitate. Eius filiæ sunt, odium proximi, obtrectatio, susurratio, afflictio in prosperis, exultatio in aduersis proximi. De qua Sapiens: *Inuidia diaboli introiuit mors in orbem terrarum.*

5. Gula, est immoderatus appetitus cibi & potus: parturit quasi filias suas, ineptam lætitiam, stultiloquium, scurrilitatē, immunditiam, sensus hebetudinē, & obliuionem. De qua Christus apud Lucam: *Attendite vobis, ne forte grauentur corda vestra crapula & ebrietate.* Luc.21.

6. Ira, est inordinata cupiditas vlciscendi se de proximo. Ira suscitat rixas, contumelias, clamorem, indignationem, blasphemiam. De hac Iacobus Apostolus: *Ira viri iustitiam Dei non operatur.* Iacob.1.

7. Accedia, est languor animi immoderatus, & nimia desidia ad bene operandum. Filiæ sunt, malitia, desidia, pusillanimitas, desperatio, mētis inquietudo, vagatio mentis circa illicita. De qua Christus: *Omnis arbor (inquit) quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* E diuerso numerantur septem virtutes capitales, quæ ijs vitiis opponuntur, atque septem vitia capitalia cum sobole sua expugnant, & sunt, Matt.3.

Humilitas, Liberalitas, Caſtitas, Charitas, Abſtinentia, Patientia, Pietas, ſeu Deuotio.

Humilitas	opponitur	Superbiæ.
Liberalitas		Auaritiæ.
Caſtitas		Libidini ſeu Luxuriæ.
Charitas		Inuidiæ.
Abſtinentia		Crapulæ ſeu Gulæ.
Patientia		Iræ.
Pietas, vel Deuotio		Accidiæ.

DE PECCATIS ALIENIS.

Quot modis communicamus peccatis alienis?

NOVEM.

1. Conſilio.
2. Iuſſione.
3. Conſenſu.
4. Adulatione.
5. Irritatione.
6. Participatione.
7. Reticentia.
8. Conniuentia.
9. Defenſione.

Dicuntur peccata aliena, ea quòd cùm ab aliis committuntur, nobis quoque imputentur, & eorum culpa in nos quoque deriuetur.

Conſi-

Consilio, Principes sacerdotum & seniores populi occiderunt Christum.

Iussione, Dauid occidit Vriam. 2.*Reg*.11.

Consensu, Paulus reus factus est necis Diui Stephani. *Act*.7.

Adulatione, qui laudant peccatorem in desideriis animæ suæ: Quo vitio maximè laborant Pseudoprophetæ, & Hæretici. *Psal*.9.

Irritatione, sic peccauit Abimelech, filius Hieroboal, qui recepit inopes, & vagos ad malefaciendum paratos. Huius vitij rei sunt lenones, & eius generis caupones. *Iudic*.9.

Participatione, qui de furto vel rapina participant. *Principes tui infideles socij furum, omnium diligunt munera, sequuntur retributiones.* *Esai*.1.

Silendo peccāt, qui possent verbo aliquem reuocare à delicto, nec faciunt. *Ezec*.33.

Defensione, vel obsistendo, qui cùm possent obuiare & perturbare peruersos, id ipsum facere negligunt, sed & defendunt malefacientes. 1.*Reg*.2.

Conniuentia, vel non manifestando, qui dissimulando crimen, quo proximo damnum infertur, non indicant. Vbi non manifestans comparatur participanti furi. *Ezec*.13.

Hæ peccatorum species diligenter animaduertendæ sunt, quòd plerique vix se alienorum criminum reos esse putent, cùm tamen perinde rei teneantur, atq; ipsi authores. *Consentiens* enim & faciens (ait Apostolus) *eadem pœna plectendi sunt.* *Prou*.19. *Rom*.1.

Quot sunt peccata clamantia in cœlum?

QVATVOR.

1. Homicidium voluntarium.
2. Peccatum Sodomiticum.
3. Oppreſſio pauperum.
4. Merces operariorum fraudata.

De homicidio de induſtria commiſſi habetur: *Dixit Dominus ad Cain: Quid feciſti? En vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Gen. 4.

Peccatum Sodomiticum ob horrendam fœditatem eius apud pueros ſilentio prętereundum eſt, ne caſtis auribus iniuria inferatur. De hoc ſcribitur: *Clamor* (inquit Dominus) *Sodomorum & Gomorrheorum multiplicatus eſt, & peccatum eorũ aggrauatum eſt nimis. Deſcendam, & videbo, vtrum clamorem qui venit ad me opere compleuerint.* Gen. 18.

De impia pauperum oppreſſione ſcribitur. *Aduenam* (dicit Dominus) *non contriſtabis, neque affliges; aduenæ enim & ipſi fuiſtis in terra Ægypti. Viduæ & pupillo non nocebitis: ſi læſeritis eos, vociferabuntur ad me, & exaudiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus.* Exo. 22.

De mercede operariorum fraudata, vel iuſtæ mercedis detentione: *Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.* Iacob. 5.

DE

DE PECCATO IN SPIRITVM SANCTVM.

OMNE peccatum (inquit Christus) & blasphemia remittitur hominibus: Spiritus autem blasphemiæ non remittitur. Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei. Qui autem dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro. *Matt. 12.*

Quid est peccatum in Spiritum sanctum?

Quod ex mera malitia committitur. Cuius species sex enumerantur.

1. Præsumptio de misericordia.
2. Desperatio veniæ.
3. Impugnatio agnitæ veritatis.
4. Inuidentia, & odium fraternæ gratiæ.
5. Obstinatio.
6. Impœnitentia finalis.

Præsumptio est, qua homo peccatis inuolutus tantummodo misericordię Dei rationem habet, deque ea nimium præsumit & confidit, ijs spretis, quæ de Dei iustitia & pęnis irrogandis sacræ literæ tradunt. *Præsumptio quid*

Desperatio veniæ, qua infœlix Cain se perpetua morte addixit, cùm ait: *Maior est iniquitas mea quàm vt veniam merear.* *Genes. 4.*

Mat. 27. Et Iudas proditor, qui de Dei misericordia desperans, recurrens ad laqueum, se suspendit.

Matt. 12. *Impugnatio agnitæ veritatis*, qua immanissimè peccauerunt Iudæi, quando opera Spiritus sancti in Christo, contra agnitam veritatem, non Deo, sed principi Dęmoniorum ex mera inuidia & malitia attribuebant.

1. Reg. 12. & 19. *Inuidentia*, seu odiũ fraternæ gratiæ. Hoc scelere se Saul contaminauit, quando virtutum profectibus, quos Dominus sciẽte Saul operabatur in Dauid, tam inuidebat, vt statueret de occidendo illo.

Ioan. 15. *Obstinatio.* Hac se perdiderunt Iudæi, de quibus Christus dicit: *Si non venissem, & eis locutus non fuissem, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo. si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum nõ haberent; nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & patrem meum.*

Impœnitentia finalis est, qua se perdunt in æternum, qui diuitias bonitatis Dei, & patientiæ, & longanimitatis contẽnunt perseuerantes in peccatis vsque ad mortem. De quo peccato propriè Ioannes dixisse vide-
1. Ioan. 5. tur, *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis.*

Dicitur autem peccatum in Spiritum sanctum irremissibile, nõ quòd in hac vita non possit remitti, dum enim in hac vita sumus, pœni-

pœnitere possumus, & gratiam Dei consequi: vt paganus est hodie, Iudæus, infidelis est hodie, hæreticus est hodie, schismaticus est hodie, quid si cras amplectatur Catholicam fidem, & sequatur eius veritatem? Non ergo irremissibile dicitur, quòd aliquando non remittatur, sed quia vix & raro ac difficulter dimittitur: sola tamen desperatio & impœnitentia finalis nunquam dimittitur, quæ propriè (Augustino teste) peccatum in Spiritum S. nuncupatur. Vide expos. incho. Epist. ad Rom. Tom. 4. *Nota.*

Quot sunt sensus exteriores?

QVINQVE.

1. Visus.
2. Auditus.
3. Gustus.
4. Tactus.
5. Olfactus siue Odoratus.

Hos quàm diligentissimè custodire oportet, ne à lege Dei deflectant; per illos enim tanquam per fenestras quasdam peccatum, & per peccatum mors in animam ingreditur. *Hier. 91.*

DE VIRTVTIBVS.

Quot sunt virtutes Theologicæ?

TRES: Sic vocatæ, quòd circa illas tota Theologia versetur, quibus diuinitus infusis hæc doctrina mentibus inscribitur.

Fides, Spes, Charitas, maxima harum est Charitas.

1. *Fides* (definitore Apostolo) *est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.* Substantia (inquam) rerum sperandarũ, id est, quasi certa possessio quædam earum rerum quas speramus, eo quòd mentis nostræ oculis eas sic repræsentet ac sistat, vt eis iam quodammodo frui videamur: & argumentum non apparentium, id est, perspicua ostensio, & certa demonstratio rerũ non venientium in conspectum nostrum, vt de eis ita persuasi simus, ac si oculis corporalibus peruiderentur. *Hebr. 11.*

2. Spes est expectatio futurorum bonorũ, quæ non pudefit in electis. *Spes enim confundit*, ait Apostolus. *Rom. 5.*

3. Charitas est dilectio, qua diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum, vel in Deo, quæ inter hæc tria, maxima est, & supremum tenens locum.

DE VIRTVTIBVS CARDINALIBVS.

Quot sunt virtutes Cardinales?

QVATVOR.

1. Prudentia.
2. Iustitia.
3. Fortitudo.
4. Temperantia.

Vocan-

Vocantur Cardinales, quia in his quatuor quasi angulis (vt D. Gregorius ait) solidum mentis nostræ ædificium consistit, & sustinetur, boniq; operis tota structura consurgit. *Virtutes Cardinales.*

Vocantur etiam virtutes officiales, quòd ex his omnia vitæ communis officia secundum cuiusque vocationem deriuentur.

Quemadmodum igitur tribus illis virtutibus Theologicis, quibus propriè cũ Deo agimus, Dei cultus, qui Græcè θεοσέβεια vocatur, constat; ita his quatuor virtutibus officialibus omnes actiones & officia, totamque vitam nostrã, dum in hoc mortali corpore sumus, regi oportet.

1. Prudentia in veri & iusti cognitione & perspicientia agendorum consistit, qua Ethnici huius seculi sapientes caruerunt, quia dicentes se sapientes esse, stulti facti sunt. Ea præscribit secundùm rectam rationẽ, quid expetendum, quid sit fugiendum, de qua Christus: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* *Prudentia quid.* *Rom. 1.* *Mat. 10.*

2. Iustitia in societate humani generis colenda, tuendaque, tribuendo vnicuiq; quod suum est, versatur: quam & Ethnici nequaquam præstabant, præsertim erga Deum, quamuis essent eius opinione turgidi, de qua Paulus: *Reddite omnibus debita, cui vectigal vectigal, cui honorem honorem.* Similiter Christus: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* *Rom. 13.* *Mat. 22* *Mar. 12*

Fortitudo, (quàm Ethnici tantum iactabant) virtus est, qua fortiter pericula perferuntur pro nomine Christi, proximi, & nostra salute. Vnde Paulus: *Fratres* (inquit) *cõfortamini in Domino, & in potentia virtutis eius, induite vos armaturam Dei, sic vt possitis stare aduersus insidias diaboli.* *Ephes. 6.*

Temperantia quid. Temperantia appetitum ratione cohibet, vt omnia fiant ordine, & modo. Ea carnales voluptates moderatur, de qua Paulus: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* *Ephes. 5.*

DE DONIS SPIRITVS SANCTI.

Quot sunt dona Spiritus sancti?

Esai. 11. Dona Spiritus sancti sunt septem, iuxta Esaiam.

Spiritus sancti dona.

1. Spiritus Sapientiæ.
2. Intellectus.
3. Consilij.
4. Fortitudinis.
5. Scientiæ.
6. Pietatis, &
7. Timoris Domini.

Rom. 5. De his ait Paulus: *Diffusa est charitas Dei in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* A timore Domini gradatim ascenditur ad sapientiam.

1. *Timor Domini*, donũ est Spiritus sancti, quo excitati Dominum Deum nostrum, vt piissimum

piiſſimum patrem, filiali affectu reueremur, & anxiè metuimus, ne quoquo modo eum offendamus, neve ab eius charitate, qua nos diligit, vlla ex parte excidamus. *Aug. in Pſal. 5. Tom. 8.*

2. *Pietas*, eſt donum Spiritus ſancti, quo imbuimur ardenti & placido affectu ritè & ſincerè colendi Deum, & benefaciendi proximo, etiam de nobis malè merito, propter Deum.

3. *Scientia*, eſt donum Spiritus ſancti, quo hoc conſequimur, vt ſciamus quomodo in hoc maligno ſæculo prudenter & ſine offendiculo vitam noſtram tranſigamus.

4. *Fortitudo*, eſt donũ Spiritus ſancti, quo accenſi roboramur, vt vel illecebris, vel aduerſitatibus huius mundi à pietate abduci nos nullo modo patiamur.

5. *Conſilium*, eſt donum Spiritus ſancti, quo docemur benè conſulta & deliberata ratione expeditè eligere, præſertim in rebus difficilioribus, id quod nõ ſolùm nobis, ſed & proximo ad perpetuam ſalutem in primis commodat, Deiq; gloriam quàm maximè illuſtrat.

6. *Intellectus*, eſt donum Spiritus ſancti, quo illuſtrante rectam, verã & Catholicam intelligentiam diuinorum eloquiorum & myſteriorum aſſequimur.

7. *Sapientia*, eſt donum Spiritus ſancti, quo animum à terrenis & temporalibus rebus ſubducimus, & Dei contemplationi vacamus.

Quot.

Quot sunt beatitudines?

Beatitudines. Octo, perficientes hominem, quæ dona ista Spiritus sancti in nobis efficiunt.

Matt. 5. 1. *Beati pauperes spiritu, quoniã ipsorum est regnum cœlorum.*

2. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.*

3. *Beati qui lugent, quoniam consolabuntur.*

4. *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.*

5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

6. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

7. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.*

8. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*

Hęc octaua beatitudo tanquam ad caput redit, & circulum absoluit, quia cõsummatum, perfectumque hominem, quatenus in hoc seculo ad perfectionem peruenire potest, ostendit: Sic ait Christus. *Ioan. 15.* *Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animã suam ponat quis pro amicis suis.*

Quot sunt opera misericordiæ?

Opera misericordiæ. Septem, & sunt duplicia, quædam corporalia, quædam spiritualia. Corporalia, quæ ad corporalem proximi miseriã, subleuandam spectant, videlicet.

1. Pasce-

1. Paſcere eſurientem.
2. Potare ſitientem.
3. Hoſpitari peregrinos.
4. Operire nudum.
5. Viſitare infirmum.
6. Redimere ſeu ſolari captiuum.
7. Sepelire defunctum.

Chriſtus hæc pietatis opera in ſua mem-bra, qui Deum patrem humili ſpiritu inuo-cant, religiosè collata perinde æſtimat, ac ſi in ſeipſum collata fuiſſent. Secundùm quæ etiam, cùm ad iudicandum redierit, ſe iudi-caturũ coram ſe ſiſtendos perhibuit: *Quod-cunq; vni ex his fratribus meis minimis fe-ciſtis, mihi feciſtis. Et iniuſtis, qui à ſiniſtris erunt: Amen dico vobis, quandiu non feci-ſtis vni de minoribus his, nec mihi feciſtis. Et ibunt hi in ſupplicium æternum: iuſti autem in vitam æternam.* *Matt. 25.*

Septem opera miſericordiæ ſpiritualia vo-cantur, quòd ad ſpiritualem proximi ege-ſtatem releuandam referantur.

1. Corripere peccantes.
2. Docere ignorantes.
3. Benè & rectè conſulere dubitantibus.
4. Orare pro ſalute proximi.
5. Mœſtos conſolari.
6. Iniurias illatas æquo animo ferre.
7. Offenſam remittere delinquentibus.

1. Corripere peccantem priuatim priuatè: publicè verò publicè. Chriſtus ait enim, *Si*

pecca-

peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum, si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.

1. Tim. 5. *Peccantes coram omnibus argue.*

Psal. 140. *Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.*

2. Docere ignorantem, seu errantem instruere.

Dan. 14. *Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

Gal. 6. *Et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.*

Iacob. 5. *Fratres mei, si quis ex vobis errauit à veritate, & conuerterit quis eum, scire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.*

3. Consilio iuuare dubitantem, & animo perplexum expedire.

Eccl. 5. *Si tibi est intellectus, responde proximo.*

Prou. 27. *Vnguento & varijs odoribus delectatur cor, & bonis amici cõsilijs anima dulcoratur.*

4. Orare pro persequentibus, & calumniantibus.

Matt. 5. *Diligite* (ait Christus) *inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos,*

& pluit

& pluit super iustos & iniustos.

5. Consolari afflictum, tristem, pusillanimem.

Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, vt possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem qua exhortamur & ipsi à Deo. 1. Thes. 5. & 2. Corint. 1.

Consolamini pusillanimos. 1. Thes. 5.

6. Iniurias illatas ęquo animo ferre, seu patiēter ferre infirmitatē fratris. *Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmiorum sustinere, & nobis placere.* Rom. 15.

Supportantes inuicem. Coloss. 3.

Patientes estote ad omnes. 1. Thes. 5.

7. Offensam remittere delinquentibus, ad quod tenetur offensus.

Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater cœlestis delicta vestra: Si autem non dimiseritis, nec pater cœlestis vester dimittet vobis peccata vestra. Matt. 6.

Cum stabitis ad orandū, dimittite si quid habetis aduersus aliquē, vt pater vester qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra. Quod si vos non dimiseritis, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. Marc. 11.

Iam verò, vt offensus tenetur remittere offensam delinquenti, ita & offensor tenetur reconciliare fratrem quem offendit.

Si offers munus tuū ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum

ante

ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.

DE ANGELIS.

Quot sunt chori vel ordines Angelorum?

NOVEM.

1. Cherubin.
2. Seraphin.
3. Throni.
4. Dominationes.
5. Potestates.
6. Virtutes.
7. Principatus
8. Archangeli.
9. Angeli.

D. Dionysius de cœlesti Hierarchia.

1. Porrò D. Dionysius tres ordines Angelorum esse tradit, ternos in singulis ponens. Sunt enim tres superiores, tres inferiores, tres medij. Superiores, Seraphin, Cherubin, Throni.

D. Greg. hom. 24. in Euãg.

2. Medij. Dominationes, Principatus, & Potestates.

3. Inferiores. Virtutes, Archangeli, Angeli.

Homil. 34. super 15. Lucæ.

1. Seraphin (ait B. Gregor.) dicuntur, qui præ charitate ardent: Seraphin enim interpretatur ardens vel succendens.

2. Cherubin, qui præ alijs in scientia emi-

nent:

nent: Cherubin enim interpretatur plenitudo ſcientiæ.
3. Thronus dicitur ſedes. Throni autem vocantur, qui tanta diuinitatis gratia replẽtur, vt in eis ſedeat Deus, & per eos iudicia decernat atque informet.
4. Dominationes verò vocantur, qui Principatus & Poteſtates ſuperant.
5. Principatus dicuntur, qui ſibi ſubiectis, quæ ſunt agenda, diſponunt, eiſque ad explenda diuina myſteria anteponuntur.
6. Poteſtates nominantur hi, qui hoc cęteris potentius in ſuo ordine acceperunt, vt virtutes aduerſæ eis ſubiectę, eorũ refrenentur poteſtate, ne homines tantum tentare valeant, quantum deſiderant.
7. Virtutes vocantur illæ, per quas ſigna & miracula frequenter fiunt.
8. Archangeli, qui maiora nunciant.
9. Angeli qui minora annunciant.

Angelorum officium quale?

Reſpondeo, quia omnes Angeli admini- *Paulus Hebr. 1.* ſtratorij ſpiritus ſunt, ſecundũ Apoſtolum, neceſſe eſt vt inſeruiãt maieſtati excelſi, ante cuius conſpectum iugiter adſtant.

Poſt Deum, Angelica ſublimitate nihil eminentius.

Quin & illud ſui officij eſt, vt cœlitus miſſi mortalium quoq; ſalutem procurent, horumque preces ad excelſum deferant.

Quod

Quod Græci ἄγγελον, non nuntium dicimus, & ἀρχάγγελον principem, seu primarium nuncium.

Illud quoque sciendum est, quod Angeli boni deputati sunt ad custodiam hominum, ita vt vnusquisque electorum habeat Angelum, ad sui profectum atq; custodiam specialiter delegatum.

Vnde in Euangelio veritas à pusillorum scandalo prohibens ait: *Angeli eorum semper vident faciem patris mei, qui est in cœlis.* *Matt. 18.*

D. Hierō. in c. 18. Matth. tom. 9. D. Hieron. Magna dignitas animarum est, vt vnaquæq; habeat ab ortu natiuitatis suæ, in custodiam sui, Angelum delegatum.

Vide Magist. senten. 2. Sen. d. 11. Gregor. dicit, quod quisque bonum Angelum sibi ad custodiam deputatū, & vnum malum ad exercitium habeat. Ita legitur de Angelo Tobiæ, & Angelo Petri in Actis Apostolorum.

Etsi omnes Angeli mali desiderant malum hominum, magis tamē ad malum incitat hominem, & ad nocendum instat ille, qui ad exercitium eius deputatus est. Sicut inter bonos Angelos, licet omnes saluti omnium studeant, ille tamen magis adhortatur ad bonum, qui deputatus est alicui ad custodiam.

DE DIABOLO.

Diaboli natura quæ?

EX ſeipſa bona, & eadem eſt cum natura Angelorum, nempè ſubſtantia rationalis, incorporea, quæ & ipſius beatitudinis capax fuiſſet, & eſſet, niſi ipſe peccatum, & obſtinationē addidiſſet. Iam verò poſt lapſum factus eſt malus, idque nulla neceſſitate, ſed propria ipſius voluntate. Etenim cùm libera eſſet omnibus Angelis poteſtas, aut Deũ ſequendi aut à bono diſcedendi, Gabriel (ait Baſilius) Angelus à Deo iugiter ſtetit: Sathã item & ipſe Angelus ex ordine ſuo prorſus cecidit, & illum propria voluntas in cœlo retinuit; hunc verò voluntatis libertas è cęlo deiecit. Poterat enim & ille à Deo deficere, & iſte non excidere: ſed illum inſatiabilis dilectio Dei ſeruauit, hunc à Deo relictũ eſſe, oſtendit per peccatum alienatio. Itaque Angeli, & Dœmones inter ſe diſtant, non ſubſtantia, ſed propoſito & voluntate: iſti in bono confirmati, hi in malo obſtinati, vt ſint nocendi cupidiſſimi, à iuſtitia penitus alieni, ſuperbia tumidi, inuidentia liuidi, fallacia callidi: qui in hoc quidem aëre habitant, quia de cœli ſuperioris ſublimitate deiecti, merito irregreſſibilis tranſgreſſionis, in hoc ſibi congruo aëre, veluti carcere prædamnati ſunt.

In conciõe quod Deus non eſt author malorum.

Angelicè dœmones quomodo diſtent.

Aug. de ciuit. Dei lib. 12. c. 1. & 9.

Ioan. 5.

Cæterum quæ iam ſit eius natura & conditio,

Matt. 4.

ditio, patet ex nominibus quibus appellatur in scriptura. Dicitur enim Sathanas, id est, aduersarius, qui semper aduersatur Deo & hominibus. Dicitur Leo, propter apertam impugnationem piorum, circumiens & quærens quem deuoret. Dicitur Draco, propter occultas insidias. Dicitur Serpens, propter calliditatem, & varietatem fraudum.

2.Cor.2. *1.Pet.5.* *Psa.190.* *Gene.3.*

Diaboli nomen vnde?

A Græca dictione διαβολὴ, id est, calumnia: Diabolus enim Græcis idem est, quod Latinis calumniator. Hebræis verò Sathan, quod nobis aduersarius.

Nihil enim aliud serpens ille antiquus agit, nisi vt exitium humano generi moliatur, nec aliud perinde satagit, quàm vt impediat negotium Christi, supremus hostis rerum diuinarum. Calumniatur & accusat nedum peccata, sed etiam bona nostra, vt patet de Iob: *Nunquid Iob frustra timet Deum.*

Iob.2.

Diabolus in quibus tyrannidem suam exercet?

In filiis diffidentiæ, hoc est, in omnibus impiis: hi enim ad regnum eius pertinent. Reprobi corpus constituunt, cuius caput est diabolus. Et existit ciuitas diaboli, sicut etiam ciuitas Dei. Princeps etiã huius mundi, id est filiorum sæculi huius, & impiorum, quòd in eos imperium habeat, dicitur.

Ioan.11.

In pijs autem nihil iuris habet, nisi quantum Deus permittit. *Ioan. 22.*

Quomodo tyrannidem suam exercet?

Vel externè affligendo, vt in Dęmoniacis, vel spiritualiter & internè, in peccata & errores inducendo. *Egrediar, & ero spiritus mendax, in ore omnium prophetarum.* *3. Reg. 21.*

DE CONSILIIS EVANGELICIS.

Quot sunt consilia Euangelica?

TRIA.

1. Paupertas.
2. Castitas.
3. Obedientia.

1. Paupertas est rerum videlicet, & bonorum secularium proprietatem relinquere, & se vitæ communi, vel solitariæ, quò liberius seruiat Deo, addicere. *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* *Euangelica consilia.* *Act. 4.*

Christus ad adolescentem, qui se omnia pręcepta Decalogi à iuuentute custodisse respondit, & quid sibi adhuc desit, quærit: *Si vis* (inquit) *perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me.* *Matt. 19.*

Item Petrus dicebat Christo: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* *Matt. 19.*

Matt.10. Christus, *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam; Dignus est enim operarius cibo suo.*

1.Cor.9. *Dominus ordinauit ijs qui Euãgelium annunciant, de Euangelio quoq; viuere; ego aũt nullo horum vsus sum.* Et paulò pòst: *Quæ autem merces mea? vt Euangelium prædicans, sine sumptu ponam Euangelium.* Ibidem.

Luc.16. *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*

2. Et præcellens Euangelij consilium est castitas, hoc est, perpetuam virginitatẽ corpore & mente seruare.

Matt.19. *Sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat.*

Capere potest, qui petit gratiam.

D.Cyprianus. Capere potest (D. Cypriano teste) qui non cogente necessitate, sed deliberato consilio, propter Deum eligit cælibatum. Huic si postea obuiauerint tentamẽta, & liberam mẽtem ad carnales reuocauerint appetitus, non confidat in brachio carnis suæ, sed in Deo, qui in se confidentibus foris adest, qui vicit mundum, & victoriam suis promittit martyribus: & qui victores sunt sui, cœlo vim inferunt, sicut scriptum est: Nota.

Matt.11. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

Bonum

Bonum est homini mulierē non tangere. De virginibus præceptum Domini non habeo, cōsilium autem do tanquam misericordiam à Deo consecutus, vt sim fidelis; existimo enim hoc bonum esse, &c. 1. Cor. 7.

Et paulò pòst: *Porrò hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis inijciā, sed ad id* (subaudi hortor) *quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Deum obseruandi.*

Ibidem: *Qui statuit in corde suō firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo seruare virginem suam, bene facit.*

Huic consilio affine & vicinum est, post primas nuptias absolutas, in casta viduitate permanere, eandem videlicet ob causam, vt eò liberius seruiatur Christo.

Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit: quod si dormierit vir eius, liberata est à lege: cui autem vult nubat tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit secundum consilium meum. Puto autem quod & spiritum Dei habeat. 1. Cor. 7.

3. Tertium consilium est obedientia, hoc est, propriam prorsum abnegare volūtatem, addicereque se voto in obediētiam alicuius spiritalis præsidis peruigilantis, quasi rationem pro eius anima reddituri. Quod consilium qui arripiunt, imitari Christum student, qui nō venit facere voluntatem suam, nec ministrari, sed ministrare. Heb. 13. Ioan. 6. Matt. 20

Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.

Hactenus præcipuas noui Testamenti virtutes, nō humanitus, sed diuinitus comparandas, compendio quasi in tabula quadam indicauimus. Item pari breuitate de peccatorum discrimine, fontibus, generibus, & propagine pauca disseruimus, quò discamus non modò quæ vitanda sint, sed & si commissa (quod absit) fuerint, dolenter agnoscenda, deflenda, & salutari confessione eluenda, & expurganda. Nunc eodem cōpendio ea quę restant adhuc subiiciemus.

Quot sunt hominis nouissima semper memoranda?

QVATVOR.

Hominis nouissima. 1. Dies obitus, vel Mors cuiusque.
2. Dies extremi iudicij.
3. Infernus vel damnatio æterni supplicij.
4. Regnum cœlorum, vel beatitudo regni futuri.

Eccl. 7. *In operibus omnibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.*

Horat. Mors, est animæ à corpore separatio. Poëta: Mors est vltima linea rerum.

Matt. 25. Iudicium, sententia Christi est, qua iusti vocabuntur ad gaudium, iniusti ad pœnas ignis æterni: & est duplex; particulare, quod fit in ipsa hora mortis; generale, quod fiet in fine mundi.

Infer-

Infernus, locus eſt vbi impij æternis cruciatibus affliguntur.

Regnum cœlorum vel vita æterna eſt, quæ conſiſtit in clara Dei viſione, & fruitione, ſecundùm Ioannem: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Ioan. 7.

DE PVRGATORIO.

Eſtne Purgatorium?

RESpondeo, Eccleſia definiuit ex ſcripturis eſſe purgatorium ignem poſt mortem. Paulus: *Vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit; dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit. Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* 1. Cor. 3.

Hunc locum omnes Catholici Patres de igne purgatorio intelligunt, quo expiantur, poſt mortem corporis, animæ, quæ non ſatis defæcatæ ſiue purgatæ, ex hac vita in pœnitentia, & fide deceſſerunt. *Præſertim D. Aug. Enchir. ad Lau. c. 68. & 69. Et ſuper Pſal. 37. & de fid. & oper. cap. 15.*

Alia ſcripturæ teſtimonia de purgatorio affer.

Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur. 2. Mach. 12.

Nil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum. Apoc. 2.

Qui dicit blaſphemiam in Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro. Matt. 1[illegible]

Apoc.14. *Hic patientia Sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei, & fidem Iesu. Et audiui vocem de cœlo dicentem mihi, scribe: Beati mortui qui in Domino moriuntur; à modo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis: opera enim eorum sequuntur illos.*

1.Cor.21. *Si nos ipsos iudicaremus, à Domino non iudicaremur.*

Matt.5. *Esto consentiens aduersario tuo citò, dum es in via cum illo, ne forte tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exibis inde, donec reddas nouissimum quadrantem.*

Luc.12. *Cùm vadis cum aduersario ad principem, in via da operā liberari ab illo, ne forte trahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem. Dico tibi, non exies, donec etiam nouissimum minutum reddas.*

Vide Gregor. Niss. in serm. de non lugē-dis mortuis.

Hæc scripturæ loca à sanctis patribus de igne purgatorio intelliguntur, & explicantur.

Quid est ergo purgatorium?

Est locus, in quo fideliū animæ, non plenè in hac vita à peccatis expurgatæ, post mortem corporis, à reliquis peccatorum, & superfluis sordibus mundātur, & expiantur.

Purgatorium vbi est?

De lege communi (vt doctores asserunt) est in terræ visceribus, loco qui vicinus est contiguusque damnatorum inferno. Ait

enim

enim D. Greg. eodē igne & damnatos cruciari, & electos purgari. Vnde & ab Ecclesia porta inferni appellatur. Ex dispensatione tamen diuina, (quemadmodum ex Sanctorum scriptis, multisque reuelationibus colligi potest) diuersis diuersa assignari purgationis loca nō ambigimus. Aliquibus enim vmbra, quibusdam species, aliis verò ebulliens aqua, & aliquid huiusmodi. Nec quidem immeritò, sed quadruplici de caussa. Nam vel ad eorum leuiorem punitionem, vel ad celeriorem liberationem, vel propter culpæ in loco perpetrationem, vel ob alicuius scilicet viri orationem. Ex quibus apertissimè constare potest, friuolas omnino vanasque esse eorum sententias, qui illud vel in sphæra igni, vel in Ætna Siciliæ monte reperiri asseruerunt.

4. dial. c. 43.

Vide D. Tho. 4. sen. d. 21. q. 1. ar. D. Antonini Archiepisc. Florent. p. 4. tit. 14. ca. 10. §. 7. suæ Summæ. Amplius Bernardum de Lutzenburgo, libello proprio, qui est de Purgatorio. §. 4. Item Hug. de sancto Victor. lib. 2. de Sacram. p. 16. cap. 4.

Iob. 7.

Quomodo differt ignis purgatorius à pœna inferni?

Hac ratione, quia in inferno pœna est perpetua in omne æuum duratura, iuxta illud: In inferno nulla est redemptio. In purgatorio autem pœna est temporaria, & suo tempore finienda. Ecclesia proinde rectè pro fidelibus defunctis sacrificia offert, eleemo-

Qui tamen gr[auior est] omnib[us] pœnis quæ in hac v[ita] pati p[ossunt].

ſynas largitur,& orat, vt eo citius Dei miſericordiam impetrent, & à pœna illa purgatorij ignis liberentur.

Quia hi qui cum pietate dormitionem acceperūt,optimam habent repoſitam gratiam.

2.Mach. 12. *Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur.*

DE INVOCATIONE SANCTORVM.

Suntne Sancti inuocandi?

Eccleſia Catholica definit,& ſcripturis ſacris confirmat,ſanctos Dei debito honore colendos & inuocandos eſſe. Idque triplici de cauſa.

Pſal. vlt. 1. Vt mirabilia Dei in ſanctis exhibita collaudet,ipſumque Deum in ſanctis ſuis celebret.

Eccleſ.4. *Sapientiam Sanctorū narrent populi mei, & laudem eorum nunciet omnis Eccleſia.*

Luc.1. *Beatam me dicent omnes generationes quia fecit mihi magna qui potens eſt.*

2. Vt ſe ad imitationem huiuſmodi operum,& ſanctorum exemplorum accendat.

Hebr. 13. *Mementote præpoſitorum veſtrorū, qui vobis locuti ſunt verbum Dei,quorum intuentes exitum conuerſationis,imitamini fidem.*

3. Vt communione meritorum, & interceſſionis apud Deum adiuuetur. 3.Reg.15. *Propter Dauid dedit Abia Dominus Deus ſuus lucernam*

cernam in Hierusalem, vt suscitaret filium eius post eum, & staret in Hierusalem, eo quòd fecisset Dauid rectum in conspectu Domini, & nõ declinasset ab omnibus quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ, excepto sermone Vriæ Hethæi.

Item: *Protegam vrbem hanc, & saluabo eam propter me, & propter Dauid seruum meum.* 4.Re.19. & Esai. 37.

Scribitur de Hieremia Propheta: *Hic est fratrum amator, & populi Israel. Hic est qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate, Hieremias Propheta Dei.* 2.Mach. 15.

Has tres causas commemorat D. Aug. Populus Christianus (inquiens) memorias martyrum religiosa solennitate cõcelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, & orationibus adiuuetur. *D.Aug. c.21.lib. 20.cont. Faustum Tom.6.*

Synodi OEcumenicæ Constantinopolitanæ VI. decretum.

Singulis diebus, qui amplius non potest, saltem duabus vicibus oret, mane, & vespere, dicens symbolum, siue orationẽ Dominicam, siue *Qui plasmasti me, miserere mei:* vel etiam: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Et Deo gratias agẽs pro quotidianæ vitæ commeatibus: & quia ad imaginem suam se creare dignatus sit, & à peccatoribus segregare. His actis, & solo Deo suo adorato, inuocet sanctos, vt pro se intercedere dignentur. *Luc. 18.*

Aliā scripturæ testimonia de veneratione & inuocatione Sanctorum in medium producito.

Psal. 150. *Laudate Dominum in Sanctis eius.*

Psal. 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.*

Tob. 12. *Cùm orabas cum lacrymis, obtulit preces tuas Domino,* inquit Angelus ad Tobiam.

Rom. 1. *Testis est mihi Deus, cui seruio in Spiritu sancto, in Euangelio filij eius, quòd sine intermissione memoriam vestri facio.*

Hebr. 1. *Nónne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capient salutis?*

Matt. 10. *Qui vos recipit, me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui me misit.*

Ibidem. *Quicunq; potum dederit vni ex minimis meis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, nō perdet mercedem suam.*

Luc. 15. *Ita dico vobis, gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, magis quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.*

Act. 7. *Domine ne statas illis hoc peccatum, quia nesciunt quid faciunt.*

Matt. 15. *Accedentes discipuli, rogabant eum dicentes: Domine dimitte eam, quia clamat post nos.*

Luc. 16. *Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.*

D. Hieronymus aduersus Vigilantium: Si Apo-

Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro ceteris, quando pro se adhuc debēt esse soliciti, quanto magis post victorias, coronas, & triumphos?

Item August. Iniuria est pro martyre orare, cuius nos orationibus commendare debemus, serm. 27. de ver. Apost. Tom. 10.

DE CAEREMONIIS.

Qvibus Ecclesia vtitur in cultu, & officiis diuinis, de eis copiosè diximus suprà, vbi de traditionibus Ecclesiasticis egimus: & præterea quæ ibi dicta sunt, extant adhuc alia scripturæ testimonia cærimonias Ecclesiasticas confirmantia.

Omnia decenter & secundùm ordinem fiant in vobis. 1. Cor. 14.

Cætera cùm venero disponam. 1. Cor. 11.

Plurima turba strauerunt vestimenta sua in via; alij cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via. Matt. 21.

Hoc cùm dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit oculos eius, & dixit ei: Vade, laua in natatoria Siloe, quod interpretatur missus. Abijt, & lauit, & venit videns. Ioan. 9.

Apprehensa manu cæci, deduxit eum extra vicum, & expuens in oculos eius, impositis manibus suis, interrogauit eū, si quid videret; & aspiciens ait: video homines velut arbores ambulare. Marc. 8.

Quid sunt cærimoniæ?

Sunt nil aliud quàm externa signa quædam, & indicia internæ pietatis ad maiorem hominum piorum deuotionem excitãdam ab Ecclesia instituta & ordinata; prout cernere est in Sacramentorum administratione, in sacræ Liturgiæ siue Missæ officiis, & similibus.

DE INDVLGENTIIS.

Indulgẽtia quid. INdulgentia est clemens ac mollis remissio, quæ seueritati opponitur: & indulgere est idem quod parcere, & remittere.

Iam in quolibet peccato duo sunt, culpa & pœna. Remissio culpæ, ac etiam remissio pœnæ, rectè indulgentia nominari potest. Sed Ecclesia accipit indulgentiã (prout proposito nostro deseruit) pro remissione per quã pœnæ relaxantur & remittuntur. Culpa siquidem per absolutionem sacerdotis remittitur, & pœna æterna commutatur in pœnam temporalem, quæ satisfactione vel indulgentiis concessis adhuc sit mittiganda, eleuandaque.

Porrò tempore Apostolorum indulgentiæ dicebantur donationes abundantiæ spiritualis; vnde Apostolus donationes tales se *2.Cor.2.* fecisse commemorat, dicens: *Cui autem aliquid cõdonastis, & ego. Nam & ego quod donaui, si quid propter vos donaui, in persona Christi videlicet donaui.* Vbi glossa dixit; hoc

hoc est, tantum prodest vobis, ac si Christus donasset.

Et Apostolus pro remissione pœnæ fornicarij pro peccato excommunicati, cui Corinthij remiserunt, & D. Paulus propter eos, aperto Ecclesiæ thesauro applicauit opera supererogationis Christi, & Sanctorũ, & sic vsus est donatione siue indulgentia. Quod ergò Apostolus vocat donationes, Ecclesia innixa auctoritati à Christo traditæ vocauit remissiones, vel indulgentias. Dicitur enim: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Non solùm enim Christus dedit potestatem remittendi culpam, sed etiam pęnā; & non solùm æternam, sed etiam temporalem, quod fit per indulgentias. *1. Cor. 5.* *Ioan. 20.*

Hinc perspicuum est, quòd potestas conferendi indulgentias fundatur in ijs Christi verbis dicentis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Si enim dedit potestatem remittendi culpam; à fortiori quoque pœnam temporalem.

Ex quo fundamento procedunt indulgentiæ?

Respondeo, nemo nisi infidelis negare poterit, Christum multa opera supererogationis fecisse, multosque labores, & ærumnas supererogasse. Ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris, non autem nostris tantũ, sed pro peccatis totius mundi, imò pro infinitis mundis, si essent, cùm minima gutta sanguinis eius, & minimus dolor sit infini- *Indulgẽtiæ vnde originem sumant.* *1. Ioan.*

 tæ satis-

tæ satisfactionis & valoris, & ideo non potest exhauriri. Iam ergo in thesauro Ecclesię reponitur cumulus operum supererogationis Christi ac Sanctorum. Certum siquidem est D. Virginem Domini matrem multos labores & angustias sustinuisse in profectione in Bethlehem, in fuga in Ægyptum, & in passione Christi filij sui, cùm staret iuxta crucem eius, quando nimirum impletum erat illud Simeonis vaticinium:
Luc. 2. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius:* & demum per duodecim integros annos à Christi ascensione in cœlos: & tamen pro huiusmodi angustiis & ærumnis in seipsa non fuit remunerata, cùm non haberet reatum peccati alicuius, aut pœnæ. Et quamuis mortua sit, & alias passiones naturales perpessa, non tamen erant in ea pœnæ peccati alicuius, sed conditiones tantum, & passiones naturæ. Præterea, sancti Apostoli, & martyres multa sustinuerunt tormenta, quæ longè grauiora erant, & excedebant pœnas peccatorum suorum, & multa bona opera supererogationis, ad quæ non tenebantur, fecerunt. Vnde & Iob protestaba-
[Io]b. 6. tur, dicens: *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quã patior, in statera, quasi arena maris hæc*
[C]oloss. 1. *grauior esset.* Et Apostolus ait: *Nunc gaudeo in passionibus meis pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passioni Christi in carne mea, pro corpore eius quod est Ecclesia.* Vbi

mani-

manifeſtè aſſerit Apoſtolus, ſe paſſum in carne ſua pro Eccleſia. Et, *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Christi.* Gal. 6. Itaque his verbis Apoſtolus ſignificat ærumnas, quas cæteri ſancti pertulerunt in carne ſua, tanquam reliquias quaſdam adiungendas paſſionibus Chriſti, ad communem totius Eccleſiæ theſaurum, & vtilitatem. Cùm autem ſancti pro ijs paſſionibus, tormentis, & anguſtiis non fuerint remunerati in ſeipſis, & nullum bonum maneat irremuneratum, ſequitur nimirum, quod exceſſus ille, & ſupererogatio repoſita ſit in gazophylacio, hoc eſt theſauro Eccleſiæ. Et cùm ipſi particulariter non alicui applicauerint, & pro ſeipſis nō indiguerint, cùm propter coniunctionem charitatis pro omnibus Eccleſiæ membris fecerint; reliquerunt profectò diſtributionem, & applicationem, Chriſti vicario ſummo Pōtifici, theſauri Eccleſiæ claues ſiue poteſtatem habenti, vt ea Chriſti fidelibus diſpēſet, dicente Apoſtolo: *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti,* 1. Cor. 4.
& diſpenſatores miniſteriorum eius. Iterum 1. Cor. 9.
ait: *Diſpenſatio mihi credita eſt.* Iterum: *Cui* 2. Cor. 2.
condonaſtis aliquid, & ego.

Ad hunc itaque theſauri Eccleſiæ cumulum reponuntur non ſolùm Chriſti, cuius tanta fuit ſanguinis profuſio; tantique dolores, ac cruciatus, vt à planta pedis vſque ad verticem capitis ſanitas non inueniretur in eo, ſed & beatæ eius matris Virginis

MARIÆ,& omnium electorum, à primo iusto Abel vsque ad vltimum, merita. Vt enim non superuacanea, inanis aut superflua redderetur sanguinis effusio, & dolorũ cruciatuumque magnitudo, Christus Ecclesiæ suæ militanti thesaurum acquisiuit, volens suis thesaurizare, filiis pius pater, vt sic esset infinitus thesaurus hominibus, quo qui rectè vterentur, participes fierent amicitiæ Dei, &c.

Quòd si obiiciatur de Sanctis, quod nulla eorũ merita relicta sint irremunerata, cũ Apostolus dicat: *Non sunt condignæ passiones huius seculi ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Respõdeo, quod si opera Sanctorum cõsiderentur vt meritoria, sunt ea quidem remunerata, etiam vltra meritũ: Deus enim semper remunerat vltra meritum, & punit infra commeritam pœnam.

Rom. 8.

Si verò considerentur vt satisfactoria, nõn sunt remunerata in ipsis, sed per indulgentias remunerantur in aliis, ijs nimirum quibus per Petri successorem mysteriorum Christi dispensatorem fuerint applicata & distributa.

Bona opera duobus modis considerãtur.

Duplicem siquidem bona opera fidelium habent rationem, duobusque modis considerantur, nimirum, quatenus sunt meritoria, & satisfactoria.

Si quæris scripturæ testimonia de indulgentijs:

Respondeo, quod sacræ literæ expressè parum

parum loquantur de indulgentiis: Ecclesia tamen Catholica, quæ errare, & à recto deuiare non potest, vt quæ habeat Spiritum sanctum doctorem, rectorem, gubernatorem ac ducem, & iuxta Paulum, columna sit, & firmamentum veritatis, indulgentias proponit, concedit, & iniungit, prout hactenus ostendimus. Tametsi aliqua etiam scripturæ loca non obscurè de ipsis loqui videantur. *Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia, cuius factus sum minister secundum dispensationem Dei, quæ data est mihi in vobis.* 1.Tim.3. Coloss.1.

Nam & ego quod donaui vobis, si quid donaui propter vos, in persona Christi donaui, vt non circumueniamini à Sathana. 2.Cor.2.

Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Galat.6.

Item D. Gregorius Romæ septennem indulgentiam fidelibus concessisse legitur, ante 700. annos, atque deinde complures alij Pontifices indulgentias largiti sunt. Item Concil. Lateranense moderatur excessum prælatorum in conferendis indulgentiis. D.Greg.

Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque solueris super terram erit solutum & in cœlis. Matt.16.

Postremò probantur indulgentiæ & ex symbolo Apostolico, articulo nono, vbi dicimus,

cimus, & confitemur: *Credo Sanctorum communionem*. Ad hæc sacri Canones indulgentias probant, docent, & efficaces esse ostendunt, & confirmant.

DE EXTREMO IVDICIO.

Quotuplex est mortuorum iudicium?

DVplex, particulare, & vniuersale.

Particulare, quod in vniuscuiusq; hominis morte fertur.

Vniuersale, quod in fine mundi, & consummatione, à Christo Domino super omnes homines, tam bonos quàm malos pronunciabitur, quando ipse Dominus noster Christus Iesus venturus est cum magna gloria & maiestate, iudicaturus viuos & mortuos.

Quod autem Christus quemlibet hominem in morte sua iudicet, sicut in die nouissimo omnes iudicaturus est, scripturę palàm testantur.

Hebr. 9. Apostolus ad Hebręos ait: *Omnibus hominibus statutum est semel mori: post hoc autem iudicium.* Vnde satis perspicuum est, iudicium omnium hominum morti statim succedere.

Ioan. 5. Christus dixit: *Pater omne iudicium dedit filio suo.* Nota voculam, omne, quia non vnum tantum, extremum scilicet illud, sed omne iudicium dedit filio.

Recita de extremo iudicio scripturæ testimonia.

Cùm venerit filius hominis in maiestate suæ, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem; sicut pastor segregat oues ab hœdis, & statuet oues quidem à dextris, hœdos autem à sinistris. Tunc dicet Rex his qui à dextris eius erunt: Venite benedicti patris mei, possidete vobis paratum regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare; sitiui, & dedistis mihi bibere, &c. Tunc dicet his qui erunt à sinistris: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius. Esuriui enim, & nõ dedistis mihi manducare; sitiui, & non dedistis mihi bibere. Tunc dicent illi: Quando vidimus te esurientem, sitientem aut nudum? Et dicet illis: Amen dico vobis, quandiu non fecistis vni ex minimis meis, nec mihi fecistis. Et abibunt in supplicium æternum; iusti verò in vitam æternam.

Scripturæ testimonia de extremo iudicio.

Mat. 25.

Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cùm filius hominis sederit in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes, iudicantes duodecim tribus Israël. Matt. 19.

Iudicium sine misericordia illi qui non facit misericordiam. Iacob 2.

Omnes vos manifestari oportet ante tribu- 2. Cor. 5.

nal.

nal Christi, vt auferat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum siue malum.

Rom. 14. *Omnes stabimus ante tribunal Christi.*

Symbolũ Apostolorum. *Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.*

De generali mortuorum resurrectione.

Aug. lib. de fide ad Petrum cap. 29. tom. 3. August. Resurrecturam carnem omnium quicunq; nati sunt, atque nascẽtur, & mortui sunt atque morientur, nullatenùs ambigere debet Christianus. Hoc enim apertis scripturæ testimoniis edocetur.

Esai. 36. *Resurgent mortui, & resurgent qui erunt in sepulchris.*

1. The. 4. *Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non cõtristemini sicut & cæteri, qui spem non habent. Si enim credimus quod Iesus mortuus est, & resurrexit, ita & Deus eos qui dormierũt per Iesum, adducet & cum eo.*

Ibidem. *Quoniam ipse Dominus in iussu & voce Archangeli in tuba Dei descendet de cœlo, & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi.*

Iob. 19. *Scio quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra resurrecturus sum, & carne mea videbo Deum Saluatorem meum.*

1. Cor. 25. *Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum.*

Ibidem. *Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.*

Ibidem. *Ecce mysterium dico vobis, omnes quidem resur-*

resurgemus, sed non omnes immutabimur in momento, in ictu oculi in nouissima tuba. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.

Nolite mirari hoc, quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij. *Ioan.5.*

Credo resurrectionem mortuorum. *Symbol. Apost.*

Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. *Ioan.12.*

Media nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obuiam ei. *Matt.25.*

Porrò in locis scripturæ citatis clamor tubæ, vox Archangeli, vox filij Dei, signum & indiciũ euidens erit resurrectionis mortuorum, quod in aduentu iudicis ab omnibus audietur, & cuius virtute excitabũtur mortui, & de monumentis resurgent. Vnde Propheta: *Dabit voci suæ vocem virtutis*, id est, effectum resuscitandi mortuos. *Psal.67.*

Si quæritur, cuius vel qualis erit vox illa? Apostolus dicit, quod erit Archangeli, id est, ipsius Christi, qui est princeps Angelorum. Vel erit vnius, aut plurium Angelorum. Eademque dicitur tuba, quia erit manifesta.

Nouissi-

Epist.120 ad Honorat.c.34. & de gratia noui Testam.ca. 34. eadē habet.

Nouiſſima autē,quia poſt eam non erit alia. Hæc tuba (ait Aug.) eſt clamor,de quo dicitur in Euangelio: *Media nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit, exite obuiā ei.*

Quod vox Archangeli, & tuba Dei ab Apoſtolo dicitur,in Euangelio vox filij Dei, & clamor appellatur: quod ſignum mortui audient,& reſurgent.

Idem Auguſt. ibidem.

Media autem nocte dicitur venturus (vt Auguſtinus ait) non pro hora temporis, ſed quia tunc veniet, cùm non ſperatur: Dies enim Domini ſicut fur in nocte, ita veniet.

Plura de hac re vide apud Magiſtrum ſententiarum lib. 4.diſt.43.

DE HAERESI, ET HAERETICO.

Quid eſt hæreſis, & quæ eius nominis Etymologia?

Hæreſis quid.

HÆreſis, iuxta nominis ſignificationē, electio dicitur, quòd videlicet vnuſquiſq; eam ſibi eligat doctrinam, quam putat eſſe meliorem. Hæreſis itaque,nomine generaliter ſumpto,eſt ſententia, quam ſuo arbitrio ſibi quiſque elegit. Deſcendit à Græco verbo αἱροῦμαι, quod Latinis ſignificat eligo. Inde philoſophorum ſectæ & opiniones hæreſes appellatæ ſunt. In quo propoſito autem, Hæreſis eſt dogma falſum, fidei orthodoxæ & Catholicæ repugnans.

Quis

Quis hæreticus censendus?

Qui contra scripturæ sacræ authoritatem, & eius sanum, & approbatum intellectum, contra vniuersalem Catholicę Ecclesiæ sententiam, contra orthodoxorum Patrum, & Conciliorum explanationem peculiaria sibi in fide dogmata eligit, sectatur, mordicusque defendit. *Quis hæreticus censendus.*

D. Augustinus definiens quid sit hæreticus, ait: Hæreticus est, qui alicuius temporalis commodi, & maximè vanæ glorię, principatusq; sui gratia, falsas ac nouas opiniones gignit vel sequitur. *D. Aug. lib. de vtilitate credendi, tom. 6.*

Hæreticorum officium quod?

Iuxta D. Paulum, indies in peius proficere, à veritate excidere, auditumque à veritate auertere, errare, & in errorem mittere. *2. Tim. 4*

Sacra affer testimonia de Hæreticis, eorumque officijs.

Hæreticum hominē post vnā aut alteram correptionē deuita. Subuersus enim est eiusmodi, & proprio iudicio condemnatus. *ad Tit. 3.*

Habe fidem, & bonam conscientiā, quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt, ex quibus est Hymenæus & Alexander, quos tradidi Sathanæ, vt discant non blasphemare. *1. Tim. 1.*

Seruum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati; nequando det illis Deus pœnitentiam, ad cognoscendam veritatem, & *2. Tim. 2*

resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem.

2.Tim. 3. *Mali homines, & seductores proficient in peius, errantes, & in errorem mittentes.*

Ezec. 13. *Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident.*

Matt.7. *Attendite à falsis Prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ouium; intrinsecus autem sunt lupi rapaces.*

Act.20. *Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces, non parcentes gregi, & ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa.*

2.Cor.12 *Primùm quidem conuenientibus vobis in Ecclesiam, audio schisma inter vos esse, & ex parte credo. Nam oportet hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.*

2.Tim.2 *Prophana, & vaniloquia deuita: multum enim proficiunt ad impietatem. Et sermo eorum vt cancer serpit ex quibus est Hymenæus, & Philetus, qui à veritate exciderunt dicentes resurrectionem iam esse factam, & subuerterunt quorundam fidem.*

1.Tim.4. *Spiritus manifestè dicit: Quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum, in hypocrisi loquentes mendacium, & cauteriatam habentes suam conscientiam.*

1.Ioan.2. *Filioli mei, nouissima hora est, & sicut audistis, quia Antichristus venit, & nunc Antichristi multi sunt facti, vnde scimus, quia nouissi-*

nouissima hora est. Ex nobis prodierunt; sed non erant ex nobis. nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum; sed vt manifesti sint, quoniam non omnes sunt ex nobis.

Multi Pseudoprophetæ surgent, & seducent multos: & quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum, qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. *Mat.24.*

Tunc si quis dixerit: Ecce, hic est Christus, aut illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, ita vt in errorem inducantur (si fieri posset) etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis; Ecce, in deserto est, nolite exire; Ecce, in penetralibus est, nolite credere. *Ibidem.*

Doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci: optimum est enim gratia stabilire cor; non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. *Heb.13.*

Erit tempus cùm sanam doctrinam non sustinebunt: sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. *2.Tim.4*

Hilarius de Hæreticis: Exierunt plures, qui cęlestium verborum simplicitatem pro veritatis suæ sensu, non pro veritatis ipsius absolutione susceperunt, aliter interpretantes quàm dictorum virtus postularet. De intelli- *In princ. lib.2.de Trinit.*

 telli-

telligentia enim hæresis est, non de scriptura; & sensus, non sermo fit crimen.

Scriptura multis alijs nominibus hæreticos passim appellat, vt, homines malos, seductores, viros loquẽtes peruersa, magistros prurientes auribus, doctores doctrinæ Dæmoniorũ, falsos Prophetas, Pseudoprophetas, Prophetas insipientes, Pseudochristos, Antichristos, lupos rapaces, & similibus.

Act. 20. 2. Tim. 4 1. Tim. 4.

DE MESSIA AC MEDIATORE NOSTRO IESV CHRISTO.

De Messia quid sentiendum?

Quid sentiendum de Messia.

FIDES de Messia mediatore nostro, & humani generis redemptore, omni tempore necessaria fuit ad salutem, tam sub lege naturę, & scripta, quàm in Testamento nouo, & lege gratiæ. In lege veteri expectabant venturum; in nouo exhibitus est. Vnde D. Augustinus: Nemo hominum sine fide mediatoris saluari potest, aut exhibendi, vt olim in lege Mosaica, aut exhibiti, vt iam in lege Euangelica.

D. Aug.

Extant autem quàm plurima scripturæ testimonia de Messia.

Gene. 3. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, inter semen tuum, & semen mulieris.*

Gen. 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de fe-*

de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.

Obſecro Domine, mitte quem miſſurus es. Exod.4.

Prophetam de gente tua, & de fratribus Deut.18.
tuis ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audite.

Prophetam ſuſcitabo ſimilem tui, & po- Deut.18.
nam verba mea in ore eius, loqueturq́; ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor exiſtam.

Oſtende faciem tuam, & ſalui erimus. Pſal.79.

Emitte agnum Domine dominatorem Eſai.16.
terræ.

Vtinã dirumperes cœlos, & deſcenderes. Eſai. 62.

Vnus eſt Deus, & mediator Dei & homi- 1.Tim.2.
num homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro nobis.

Ideò noui Teſtamenti mediator eſt, vt Hebr.9.
morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant ſub priori Teſtamento, repromiſſionem accipiant qui vocati ſunt æternæ hæreditatis.

Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iu- Eſai.45.
ſtum; aperiatur terra, & germinet Saluatorem.

Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam Mich.5.
minima es in principibus Iuda, ex te enim exiet Dux qui regat populum meũ Iſraël.

Sic Deus dilexit mundum, vt filiũ ſuum Ioan.3.
vnigenitũ daret, vt omnis qui credit in eũ, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

1.Ioan.4. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium vnigenitum misit in mundum, vt viuamus per eum.*

2.Ioan.2. *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christũ, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non tantum nostris, sed & pro peccatis totius mundi.*

CONDITIONES IN ORDINANDIS NECESSARIO

requisitæ, & proinde diligenter, priusquam examinentur, & admittantur, inuestigandæ.

Sunt præcipuè numero decem.

Conditio prima. Conditio prima, & Sacramento Ordinis maximè conueniens, vt ordinandus Sacramentũ Confirmationis susceperit. quòd si nondum fuerit confirmatus ab Episcopo, priusquam ad ordinem ad aliquem promoueatur, confirmetur.

Secunda. Secunda, vt antea quàm ad sacros ordines aliquis promoueatur, sit clericali tonsura insignitus, quæ vulgo prima tonsura vocatur, quæ quidem ordo non est, sed solummodo dispositio quædam & præparatio ad sacros ordines suscipiendos. Hæc tonsura ex homine laico efficit clericum, facitque bonorum, & beneficiorum Ecclesiasticorum participem. Nullus autem iusto titulo, & rectè fruitur bonis Ecclesiæ, nisi clericali tonsura insignitus.

Tertia

Tertia conditio eſt, vt ſacris initiandus iuſtam & legitimam habeat ætatẽ, nimirum iuxta ordinis aſſumẽdi rationem. Reijciendi ſunt penitus qui iuſtam ætatem nondum compleuerint, niſi ſingulari Pontificis ſummi diſpenſatione ſint admittendi. *Tertia. Subdiaconi ſint 22. Diaconi 23. Preſbyteri 24. Concil. Trident.*

Quarta conditio, vt in ordinando nullus ſit natalium (vt dici ſolet) defectus; id eſt, vt ex honeſtis parentibus, & legitimo matrimonio ſit procreatus, non illegitimè natus, non ſpurius, non nothus, non ſacerdotis filius, & breuiter, non ex illicito & inhoneſto toro natus. Nam eiuſmodi omnes ab ordinibus ſacris arcendi ſunt, niſi legitimationis (vt appellant) literas, id eſt, diſpenſationem à ſummo Pontifice habeant. *Quarta.*

Quinta, vt ordinandus ſit liber natus, hoc eſt, ex liberis parentibus, non ſeruis. Qui enim ſeruos habent parentes, ordines ſacros ſuſcipere nequeunt, niſi antea literas habeãt manumiſſionis à ſuo Domino, & in libertatem aſſerti fuerint. *Quinta.*

Sexta, vt is qui ſacris initiari velit, corpore ſit integro, ſano, & perfecto, ac etiam bene compos mentis. Nam qui vel ratione destituti fuerint, vel corpora & mẽbra habuerint mutilata, trunca, vel nimium læſa, vt ſunt claudi, gibboſi, monophthalmi, id eſt, monoculi, manus habentes vel digitos amputatos, elingues, item nimium blæſi, titubantes ſermone, aut aliquo membro carentes, ſimiliter phrenetici, inſani, lunatici, *Sexta.*

morbo comitiali laborantes, & alij huiuſcemodi, qui inſigni aliquo corporis aut mẽtis vitio laborauerint, ad ſacros ordines admitti non poſſunt, neque debent.

Septima. Non decet ab alieno Epiſcopo ordinari.

Septima conditio, vt is qui ad ſacros ordines promoueri velit, non ad alium quàm Diœceſeos Epiſcopum ſeſe conferat. Neque enim licet aliquem extra ſuam Diœceſin ab alieno Epiſcopo ordinari, niſi literas habeat, quas vocãt dimiſſorias, à ſuo ordinario cõceſſas, aut diſpenſationem à Pontifice, vt alibi ordinari poſſit.

Octaua.

Octaua conditio eſt, vt ordinandus ab omni coniugij vinculo ſit planè liber, & ſolutus. Quoniã mariti à ſacris ordinibus arcentur. Cõiuges tamẽ poſt primas nuptias, defuncta vxore, ſi eã virginẽ duxerint, aut ſaltẽ non viduam, & ipſi antea vxorem non habuerint, ad ſacros ordines admitti poſſunt.

Item maritus, vxore etiam ſuperſtite & conſentiente ordinari poteſt. Ita tamen vt poſtea non cohabitent, nec quicquam commercij coniugalis inuicem habeant.

Nona.

Nona, vt ordinandus non ſit infamis, ſed publicum vitæ ſuæ, & honeſtatis teſtimonium habeat, ſcriptum vel à prælato, vel à magiſtratu, vel à parocho ſuo.

Poſtrema conditio.

Decima conditio, vt promouendus non ſit excõmunicatus, nec minori, nec maiori excommunicatione, neque irregularis aut ſuſpenſus, aut quauis alia cenſura Eccleſiaſtica detentus.

Præ-

Præter has conditiones reperiuntur adhuc & alia quædam in ſacris Canonibus, quæ faciunt quo minus aliquis ſacris initiari poſſit, aut debeat. Iſtæ autem ſunt præcipuæ maximè viſitatæ & communes. Has conditiones prædictas debent omnes (exceptis religioſis ſeu Monachis, qui à ſuis prælatis ſcriptum teſtimonium, ſeu, vt vocant præſentationem afferūt) ſtatim vbi ad examen accedunt, ſcriptis literis, publico ſigillo munitis, teſtatas facere, aut alioqui viris grauibus, fide dignis coram examinatoribus probare, videlicet quod ſint legitimè nati, iuſtæ ætatis, liberi ab omni ſeruitutis iugo, non mariti, honeſtæ vitæ & conuerſationis. Hactenus etenim reipſa comperimus plures oblitos omnis honeſtatis, aliter depoſuiſſe, ac affirmaſſe, cùm de huiuſmodi conditionibus in examine rogarentur, quàm res ipſa ſeſe habuerit.

De ordinandorū conditionibus vide apud Hug. de S. Victore lib. 2. p. 3. c. 22.

QVOD OFFICIVM CVIVSQVE ORDINIS, ET quæ cenſura à ſingulorum ordinum canditatis exigenda.

Officium eorum qui prima tonſura initiati ſunt.

ILLIS incumbit ex officio, vt quotidie, & diligenter orent Pſalmum illum pœnitentialem quinquageſimum, Miſerere mei

Deus, &c. Nam propterea participes ſunt bonorum Eccleſiaſticorum. Item qui hoc gradu donandus eſt, requiritur vt ad minimum ſex annos habeat, vtq; prompte ſciat recitare orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, ſymbolum Apoſtolicum, & pręcepta decalogi, vtque rectè & diſtinctè legere norit.

Officium, & cenſura Acolythorum.

Acolythorum officium. Acolythi, vt ſuprà quoque meminimus, inter alias officij partes ſemper aderant Epiſcopis & Presbyteris, vnde nomen quoque ſortiti ſunt à verbo Græco ἀκολουθεῖν, quod eſt ſequi & ſeruire; vt dicantur Acolythi, quaſi imitatores, aſſeclæ, ſerui, & miniſtri presbyterorum.

Latinè Acolythi, à ferendis ſeu deportandis cereis, quod præcipuum eorum eſt officium, ceroferarij nominantur.

Iam itaq; qui hoc ordine initiari velit, in primis neceſſum eſt vt teſtimonium exhibeat, quo ſe probet primã habere tonſuram.

Officium Acolythi eſt, vt iam diximus, cereos ſeu luminaria, in Eccleſię miniſteriis, & officijs accendere, ac deferre, vinum & aquam ad Euchariſtiam miniſtrare Sacerdotibus, Diaconis, & Subdiaconis in ſacro Miſſæ officio inſeruire.

Acolythus obligatus eſt, vt quotidie Pſalmos ſeptem pœnitentiales diligenter & deuotè oret. Item in eo requiritur, vt expeditè ſciat, quæ & quot ſint petitiones orationis

Domi-

Dominicæ. Articuli fidei, traditiones seu præcepta Ecclesiæ, præcepta Dei, tam primę, quàm secundæ tabulæ.

Item, quæ & quot sunt Sacramenta Ecclesiæ, peccata mortalia, peccata aliena, peccata in Spiritum sanctum, peccata clamantia in cœlum pro vindicta.

Item, quæ sint virtutes Theologicæ, quæ cardinales, quæ peccata ijs contraria.

Quæ sint dona Spiritus sancti, opera misericordiæ, tam spiritualia, quàm corporalia. Quæ & quot beatitudines Euangelicæ.

Acolythandus itaq; de ijs omnibus, atq; aliis consimilibus interrogatus, sciat promptè & expeditè cum intellectu respondere. *Ætas Acolythorum.*

Duodecim quoque annos habere oportet, qui ad hunc ordinem promoueri cupit. Atque vt eo dignius promoueatur, pietas, & religio suadet, vt cōfessione sese ad huius gradus sanctitatem præparet, veste chorali indutus, mediocri corona in capite tonsus, cereū in manibus gestans, ad suscipiendum hunc gradum accedat.

Officium Hypodiaconi siue Subdiaconi.

Principio testimonia priorum ordinum susceptorū (quæ vulgo formata appellant) vna cum titulo exhibeat. Ante omnia enim curari debet, vt futuri Hypodiaconi, Diaconi, & Presbyteri testimonia sua de prioribus ordinibus habeant & examinatoribus exhibeant, sine quibus sanè nemo ad vlteriores gradus admitti neque potest, neq; debet. *Hypodiaconi officium.*

Est autem Hypodiaconi officiũ, vt Presbyteris in sacro Missę officio ministret, Epistolam canat: Calicem cum patena ad altare deferat. Incumbit illi, & in ordinatione eidem ab Episcopo iniũgitur, vt quotidiè horas canonicas diligenter dicat, quod si aut ex desidia, aut causa non iusta facere neglexerit, grauiter delinquit.

Ad hæc cum primis futuro Hypodiacono, id est, Subdiacono incumbit, vt cœlebs viuat, castitatem inuiolatam seruet. Siquidem votum, & fidē Deo semel datam violare, & temerè infringere grande nefas est. Non enim sine causa scriptura pronunciat;

Psal. 75. *Vouete & reddite.* Clerici itaque qui semel Hypodiaconatus ordinem assumpserunt, & ob id ad castitatem perpetuam, & inuiolatam conseruãdam sese astrinxerunt, in concubinatu viuẽtes grauiter delinquunt, quia sponsa vxoreque propria, & legitima, puta Ecclesia, per fidem abiecta, & veluti repudiata, ad aliam, nempè concubinam se conferunt, & illi maximo cum scandalo, summaque cum turpitudine adhærent. Qui enim hoc ordine sacro initiatus est, & Deo sese iã dedicauit; non potest ad negotia secularia, quæ abiurauit, redire, neque matrimonium contrahere, fidemque Deo, & eius Ecclesiæ semel datam irritam facere.

Censura futurorum Hypodiaconorum.

[F]uturo[rum] hypo- In primis ordinandi in Hypodiaconos non negligenter examinandi sunt, & nullo

modò

modo admittendi imperiti, & ignari, præsertim cùm ab hoc ordine nō liceat amplius redire, vt diximus, ad secularem statum. *diaconorum censura.*

Quare diligens cēsura de ijs sumenda est, & nemo admittendus, nisi sciat, & perfectè cognoscat, quæcunq; in eo requiruntur qui animarum curam administraturus est.

Non rarò enim accidere videmus, eos, qui cùm semel inepti, & prorsus omniū rerum imperiti, ad ordinē istum promoti fuerint, vel ex fauore & gratia, vel ad aliquorū, præcipuè autem magnatum intercessionem, & deinde cum bona cōscientia ad aliquos ordines posteriores non possint promoueri ob ruditatem & imperitiam, neque illis amplius sit integrum ab hoc gradu ad negotia secularia redire, pfidos fieri apostatas. Quod vt in posterum caueatur, consultissimum sanè fuerit, neminem ad hunc ordinem admitti, nisi & is idem ad Diaconorum & Presbyterorum, imò ad regendām curam animarum idoneus, & dignus iudicetur. Porrò quod ad ætatē attinet, nemo in hunc ordinem assumendus, nisi annū decimum octauum, imò (vt nunc in Tridentino est statutum Concilio) vigesimum secundum compleuerit, & sequentē iam attigerit. Prætereà nullus ad huius ordinis susceptionem cogendus est. Est enim hoc Sacramentum non necessitatis; sed liberæ voluntatis & electionis. Quare & ordines isti omnes suscipi debent, nō priuati commodi, vtilitatis, *Ætas subdiaconorū. Seſſ. 23. cap. 12.*

emolumenti, aut etiam pigritiæ, & turpis otij gratia, nec propter cõmodiorem, & faciliorem sui suorumque viuendi rationem. Non porrò propter Christi patrimonium, id est propter splendida, opima, & pinguia beneficia Ecclesiastica, ac præbendas. Non deniq; ob mundanam & inanem gloriam, id quod qui faciunt, grauissimè sanè delinquunt, horrenda à Deo supplicia haud dubiè expectaturi.

Hæ etenim res, proh dolor, Catholicam Dei Ecclesiam, hac nostra tempestate, fædè conspurcant, miserabiliter turbant, turpiter dissipant, crudeliter laniant, abusus denique in ea quàm plurimos, inexcusabiles, intolerabiles, & scãdalorum plenissimos pariunt, ac proinde errorum, omnisq; generis schismatum, & hæresum maxima, & propemodum potissima causa existunt.

Itaque qui in hunc ordinem cooptari cupit, zelo domus Dei, diuini cultus amplificandi, Ecclesiæ Christi iam miserè laboranti, & vehementer afflictæ succurrendi, atque *Philip. 2.* adeò Deo optimo maximo totum sese offerendi causa, & pietate ducatur oportet: in primisq; quærat non quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi.

Eruditio proinde in futuris Hypodiaconis non vulgaris requiritur. Examinentur diligẽter in disciplinis, & artibus liberalibus, quæ in publicis & Scolis, & Academiis prælegũtur, vt in Grammatica, Dialectica, Rhetorica,

torica, Poësi, Historiis, sumatur experimentum, quid Terentius, quid Virgilius, quid Cicero, & alij boni authores scribant, doceāt tractent. Ex quibus vbi aptè, & appositè ad interrogationes responderint, exactius debent examinari in quæstionibus Theologicis, quas potissimum ipsos scire oportet.

Quantum autem ad eas quęstiones Theologicas attinet, de quibus in primis censura sumenda est, vt sciant futuri Hypodiaconi, quæ potissimum illæ sint, & quomodo sese ad futurum examen præparare, & quid maximè memoriæ commendare debeant, paucis hoc loco, ne imparati accedant, indicandum duximus. Principio itaq; ordinandus, & assumendus in ordinem Hypodiaconorum, diligentem det operam, vt bona fundamenta Grammatices iaceat, eaq; omnia quæ legit, bene intelligat iuxta canones Grammaticos, exponere sciat, hoc est, ex tēpore Latina vernaculè, & vernacula Latinè reddere, Latinè loqui, & respondere, vbi necessum fuerit, Latinè, & congruè scribere, literas componere, & eius generis alia Grammatica præcepta teneat, & accommodare sciat.

Consultum videretur, vt illi in examine argumentum aliquod vernaculum proponeretur, quod Latinum faceret, ex hac re facilè cognosci posset, & elucesceret, qua doctrina præditus esset, & dignus ne, qui ad hunc gradum promoueretur.

Deinde curetur diligenter, vt futurus Hypodiaconus Breuiarium, librum Obſequiorum, ſeu Agendam (vt vocant) habeat, & inde experimentum ſumatur, an Rubricas intelligat, quas & interpretetur, & ſenſum earum explicet.

Quæratur etiam, quo pacto horæ canonicæ ſint dicendæ, & abſoluendæ. Qui ritus, quæ cærimoniæ, quis modus deniq; & ordo in Sacramentis adminiſtrandis ſit obſeruandus.

Poſt hæc quæratur, quod ſit diſcrimen inter veteris & nouæ legis Sacramenta, quæ virtus, quis effectus cuiuſlibet Sacramenti, quæ itē materia, quæ forma, quæ partes, diuiſiones, & diſtinctiones ſint Sacramentorum, quę in ſingulis Sacramentis ſint conſideranda, quomodo populo adminiſtranda.

Cura ſit examinatoribus, vt Hypodiaconus ſciat, qui ſint caſus reſeruati ſummo Pontifici, qui Epiſcopo ſuo ordinario, quæ ſint peccatorū diſcrimina, quo pacto peccatum originale differat ab actuali, mortale à veniali. Exactè ſciat conditiones bonæ confeſſionis, quæ ſint munia, & officia confeſſarij, quæ confeſſuri. Diligenter etiam memoriæ commendanda, quæ de Eccleſia, de purgatorio, de fide, ſpe, & charitate cognoſcenda ſunt ſacerdoti, & vtili Eccleſiæ miniſtro. Quæ omnia ſuprà locis ſuis diligenter à nobis annotata ſunt.

Quia autem neceſſarium quoque eſt, vt

Hypo-

Hypodiaconi, Diaconi, & Presbyteri, ac alij ministri Ecclesiæ cantent in Ecclesiæ ministeriis, quęstio etiam habenda de cantu, maximè chorali seu Gregoriano.

Postremò in hunc ordinē cooptatus, ante omnia curet necesse est, vt alium hominem induat, veteri exuto, relictis pueritiæ nucibus, omnem lasciuiam, mores ineptos, & incompositos abiiciat, virilem personā gerat, grauitatem assumat, vitæ honestati studeat, seria tractet, ea videlicet, quæ ad salutem suam & proximi ędificationem spectare videbuntur, ita vt omnibus modis dignū sese prębeat, qui ad sequentes & maiores ordines rectè promoueri possit.

Omnino è re & salute fuerit futuri Hypodiaconi, Diaconi, & Presbyteri, vt antequam ordines illos sacratissimos suscipiant, confessione Sacramentali peccata sua eluant, & deinde suscepto ordine communicent, vt eò dignius, & maiori cum fructu, Ecclesiæ Dei inseruire, & in vinea Domini laborare possint.

Officium & censura Diaconorum.

Diaconum in primis cognoscere oportet, quæcunq; & Acolythus, & Hypodiaconus scire tenetur. Ad hæc quod sit Diaconorum officium nunc in Ecclesia, & quod fuerit olim. Item quid appellatione Diaconorū significetur, quę sit vox illa, & vnde deriuetur. *Diaconorum officium & censura.*

Sciat memoriter respondere ad grauiores quæstiones, quæ circa fidem Catholicam versan-

versantur, & præcipuè infœlici hoc seculo in controuersiam veniunt.

Det operam, vt nihil nisi quod pium, orthodoxum, & Catholicum sit, sentiat, dicat, doceat, profiteatur.

Sciat exactè modum, & ordinem dicendi horas canonicas, ideoque in ea re non postrema cura sit examinatoribus. Ad extremum Diaconum excessisse oportet annum vigesimum, vel potius vigesimum tertium, nam ætas illa Diaconis in Concilio Triden. præscripta est.

Sess. 23. cap. 12.

Officium & censura Presbyterorum.

Qui ad ordinem sacerdotalem, vel Presbyteri assumendus est, exactè scire debet, quęcunq; in Acolythis, in Hypodiaconis, & in Diaconis requiruntur.

Ad hæc quod sit officium Presbyterorũ, quid nomen ipsum significet, & vnde descendat. Item perfectè sciat cærimonias, & ritus, in Sacramẽtorum administratione, & pręcipuè in Missę celebratione, & quo pacto in ea sit procedendum, quid ante, quid post Missam orandum, hoc est, quis sit accessus, quis recessus altaris, & quomodo sacerdos præparare se debeat, vt dignè sacrificet. Denique sciat, quid illæ sacræ vestes, quibus sacerdos sacrificaturus induitur, mysticè significent.

Item, quid quælibet pars Missæ significet. Qui sint defectus, qui in Missa contingere possunt: Et quo pacto si (quod Deus auertat)

tat) contingerent, ijs sit succurrendũ. Cæterum maior pars eorum defectuum, qui celebranti euenire possunt, indicantur in plerisque Missalibus, & in eo libello, cui titulus; Tractatus de administratione Sacramenti Eucharistiæ, & Missæ celebratione. Postremò qui in hunc ordinem adoptandus est, necessum est, vt annum 25. iam attigerit, aut potius omnino compleuerit, vt Tridentinum habet decretum, nam ante tempus illud nemo ad sacerdotium promoueri debet, nisi singulari Pontificis dispensatione fuerit id impetratum.

Sess. 23. cap. 12.

Quapropter quilibet ordinandus in Presbyterum, interrogatus de iusta ætate, sine vllo fuco & mendacio, sub pœna excõmunicationis & irregularitatis, veritatem ipsam dicat, & ætatis suæ annos veraciter indicet, eam testimonio publico, scripto, vel alijs testibus fide dignis comprobet. Sacerdos iam factus, diligenter officij sui partes animo secum reputet, nimirum, vt strenuum Christi militem agat, in vinea Domini Sabaoth impiger sit operarius.

In sacris concionibus sese exerceat, fidem Catholicam modis omnib⁹ propagare studeat, contra aduersarios tueri, propugnare murum æneum, pro domo Dei se opponere, Sacramenta Ecclesiæ Christi fidelibus rectè & ordinatè dispenset. Et breuiter in ea re sit totus, vt Ecclesiæ Catholicæ ministeria, officiumque suum pastorale, rectè, dignè, &

cum

cum subditorum fructu, & animarum salute administrare valeat.

Sacerdos omnibus modis turpe fugiat otium, ac desidiam, concubinatum, publicas tabernas, malorum commercia, & cõsuetudinẽ, rixas, contentiones, vaniloquia, & colloquia praua, quæ bonos corrumpunt mores. *1. Cor. 15.* Contrà verò semper honestum aliquod exercitium habeat, ne diabolus eum inueniat otiosum. Itaque assiduè aut oret, aut legat, aut studeat, aut scribat, aut doceat, ita vt semper hoc conetur, quod ad Ecclesię incrementum, proximi ædificationem, & animę suæ salutem sit vtile futurum.

Officia, & examen eorum, qui ad Parochiam & curam animarum regendam assumuntur.

Parochorum officium. Prudenter admodum, & vtiliter in statutis Synodalibus cauit reuerendissimus, & amplissimus Princeps, ac Dominus, Dominus Ottho Cardinalis, & Præsul Augustanus, vt nullus sacerdos ad curam animarum gerendam admittatur, nisi diligenti & bona fide prius fuerit examinatus in ijs omnibus, quæ cura pastoralis necessariò requirere solet, & ita dignus fuerit iudicatus, cui ea cura & administratio concredatur.

Et quamuis antea etiã per aliquot annos curam animarum rexerit, Parochiumq; egerit, & certis fortè dè causis priorẽ Parochiam resignauerit, & ad aliam promoueri cupiat, non tamen prius assumatur, quàm denuò sese-

ſeſe examini iuſto ſubmittat, ſi non ob aliã cauſam, vel ideò maximè, vt ex eo intelligatur, quonam pacto priorem Parochiam rexerit, & eam, cui iam præficiẽdus ſit, in poſterum regere & adminiſtrare poſſit. Itaque præ omnibus Parocho, & Eccleſiæ paſtori ſedulò curandum eſt, ne ſubditis ſuis vllum præbeat offendiculum; neve malũ aliquod edat exemplum, quod ſumere poſſent vel ex doctrina, vel ex vita.

Non ſit hæreticus, aut vllo modo de hæreſi aliqua ſuſpectus, nec quicquam contra Eccleſiæ Catholicæ doctrinam docere præſumat.

Paſtor Eccleſiaſticus omnem fugiat concubinatus ſuſpicionẽ. Scandali enim plena eſt, & turpiſſima res, Sacerdotem Dei, & populi paſtorem domi ſuę fouere concubinas, ſcorta, nothos, & ſpurios alere, atque in eos Eccleſiæ prouẽtus, & Chriſti patrimonium profundere, & turpiter decoquere.

Iam verò quantum ſpectat ad eruditionem Parochi, omnino neceſſarium iudicamus, vt ad vnguem teneat, quæcunque ſuprà diximus de Acolythis, Hypodiaconis, Diaconis & Presbyteris.

1. Itaq; oportet vt perfectè ſciat Sacramentorum adminiſtrationem, cumprimis Baptiſmo, Pœnitentiæ, Euchariſtiæ Matrimonij, & extremæ Vnctionis.

2. Sedulò det operam, ne propter ſuam negligentiam infantes moriantur ſine Baptiſmo, ne

mo, ne decumbentes, & ægroti ex hac vitâ decedant ſine pœnitentia, confeſſione, & viatico ſacræ Euchariſtiæ, ac extrema Vnctione. Id quod in pagis fieri plerumq; compertum habemus, ex mera parochorum negligentia, & imperitia, imò aliquando, quod omnium fœdiſſimum eſt, ex temulentia, crapula, & ebrietate.

3. Deinde verò parochis ſeuerè iniungendum eſt, ne libris hæreticorum vtantur, vel in ſacris concionibus vel alias.

4. Inſuper in adminiſtrandis Sacramentis, ſemper ſubſtãtiam eorum, id eſt materiam, & formam, vna cum cærimonijs Catholicę Eccleſiæ, & maximè ſuæ diœceſis, ſtudioſè obſeruẽt, ne ſcandalũ apud ſubditos oriatur.

5. Adhæc aſſiduò illis aduigilandum eſt, vt populus ſuæ fidei, & cuſtodiæ commiſſus peccata ſua, præſertim grauiora, in confeſſionibus in ſpecies enumerare aſſueſcat, indicando etiam, quoad eius fieri poteſt, circumſtantias loci, tẽporis, numeri, perſonæ, & ſimilium, quæ ferè ſemper, peccata vel leuiora, vel grauiora reddunt. Etenim in genere ſolum factę confeſſiones in Sacramento pœnitentiæ minimè ſufficiunt, & veræ cõfeſſiones non ſunt. Quamobrem ita confitentes, bona conſcientia abſolui non poſſunt, nec debent. Vbi enim non eſt confeſſio, ibi nec abſolutio eſſe poteſt.

Parochi debent

6. Conſultiſſimum eſſet, & Eccleſiæ valdè neceſſariũ, vt Parochi diebus maximè Domini-

minicis & festis, peculiarem quandam concionem instituerent à meridie, maximè pro pueris, & rudioribus adultis, Catechismumque aliquem pium & Catholicū in manus sumerent, quem pro concione illis proponerent. Prima fidei nostræ, & Christianæ religionis rudimenta docerent, vtpotè orationem Dominicam, salutationē Angelicam, symbolum Apostolicum, præcepta Decalogi, Constitutiones, & præcepta Ecclesiæ, Sacramenta, peccata mortalia, modum confitendi peccata in specie, & eius generis alia fidei nostræ elementa explicarent, vt quæ quilibet Christianus ex professione sua scire teneatur. Ita fieret nimirum, vt pueri vnà cum lacte materno quasi fidei & religionis Catholicæ principia imbiberent quodammodo, atque iuxta ea vitam suam formarent, & instituerent. Qua in re videmus, non citra grauem animi dolorem, nos ab Ecclesiæ Catholicæ aduersarijs longè superari, nō sine magna nostra ignominia, & Ecclesiæ Christi detrimento.

singulis diebus festiuis pueros rudesque instruere circa fidei rudimenta.

Quare valde quoque meo iudicio expediret, vt quilibet Parochus scholam quandam, priuatam saltem, si non publicam aperiret, & institueret, vt ijs maximè horis, quibus à grauioribus negotiis, & Ecclesiæ ministerijs vacaret, & nil serij haberet quod aliàs faceret, teneram iuuentutem, ibi vbi parochum agit, informaret, in primis videlicet literarum elementis, in Grammaticæ

rudimentis in pingendis literis, in cantu, in Latino aliquo authore, potissimum autem Catechismum aliquē Catholicum proponeret, vnde prima nostræ religionis fundamenta pueri perdiscerent.

Ego enim non paucos in Belgio nostro viros, doctrina, & pietate insignes noui, qui hoc suis in Parochijs, summa cū laude, nec minori cum fructu & vtilitate puerorum, parentum, & Ecclesiæ, præstant. Hoc etiam profectò mea sentētia multò melius & prȩstantius foret, Parochique officio conueniret magis, quàm se inutili otio dare, alijsque rebus inhonestis vacare.

Postremò sciant promouendi ad Parochias, vt literas testimoniales (quas formata vocant) secum adferant, vt ex illis constet, legitiméne ordinati sint ab aliquo Episcopo Catholico, iuxta sacrorum canonū decreta. Non rarò siquidem contingit, quod aliqui & præsunt parochijs, & diuina peragunt, & Sacramenta administrant, etiam in Catholicorum locis, qui neque ritè ordinati sunt, neque more Catholicorum Sacramenta ipsa administrant, vtpotè sæpenumerò meri laici, id quod ne in posterum fiat, aut nullo modo contingere queat, summa cura, & diligentia adhibeatur.

ORDINANDORVM EXAMINATIO, QVID AD INTERROGATA CENSVRAE MOguntinenſis, de re Eccleſiaſtica:

AB IIS QVI SACRIS initiandi ſunt, quàm breuiſſimè reſponderi poſſit.

AVCTORE GEORGIO VVICELIO.

RESPONSIVNCVLAE AD INTERROGATIONES CENSVRAE Moguntinensis, DE RE ECCLESIASTICA.

Vnde homini Dei cognitio?

Rom.5. RESPONDEO, Ab ipso Deo. Is enim semet quotidie docet in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, iuxta Propheticam
Esai.54. scripturarum: *Erunt o-*
Hier.31. *mnes Theodidacti.* Eam ad rem vtitur Spi-
Ioan.6. ritus sanctus adminiculo litterę Biblicæ, quę & ipsa diuinæ veritati testimoniũ perhibet. Rude genus cognoscendi Dei est è contemplatione rerum in principio conditarum. De hoc Apostolus Paulus: Absoluta Dei cognitio consistit in hoc, vt noris Deum esse bonum in iuuando, & iustum in vlciscen-
Psal.114. do. *Misericors Dominus & iustus,* legitur in libro Psalmorum.

Vnde homini religio?

Respondeo, Ab eodem Deo. Nam is, vt se nobis cognitum fecit, ita suggessit se cognitum coli velle. Atque hic quoque vsus est exteriore suorum quorundam hominum famulatu, per quos monstrauit, qua religione coli velit.

Reli-

Religio quid?

Respondeo, Totum istud, quo Deum viuum ac vnicum colimus in vnigenito suo Christo, per operationem Spiritus sancti, coadunati vna Fide, vno Baptismo, vno Euangelio. Neque enim ad nos quid vel priscæ gentes, vel Iudæi nostrates religionem dixerint. *Aug. lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 4. Tom. 5.*

Quæ vera religio?

Respondeo, Christiana tantum. Et ea nullo fermento vel pharisaicæ doctrinæ, vel hypocriseos, vel superstitionis vitiata, imò nec vlla sorde hæreseos coinquinata. Hucque refert omnia, vt Christo saluatori seruiatur ex totis viribus, idque *in iustitia, & sanctitate coram ipso*, sicut Zacharias inquit. *Luc. 1.* Atque hic locum habet definitio religionis apud Iacobum. *Iacob. 1.*

Vnde religio dicta?

Respondeo, Auctores Latini de huius nominis origine variant. Ego sequor qui affirmant deductum à religãdi verbo. Cultores enim Dei Opt. Max. addicti, & veluti religati Christianæ pietati ex animo sunt.

Idololatria vnde?

Respondeo, Ab ipso Sathana. Hostis enim ille Dominicæ religionis alienus (vt est efficax in seducendo) inducere in populum Dei solet, per quæ ab vno veroque Deo desciscentes homines, se Sathanam in visibilibus ignorantes adorent colantve.

Idolatria quid, & vnde dicta?

Respondeo, Est cultus simulachrorum contra primum præceptum Decalogi. Qui seruit craſſis flagitiis, eque idolatra est, quàm is qui deos alienos colit. Porrò Græca vox est Idolatria, Latinè efferas licet Imaginum seruitus, & complectitur quicquid extra Deum vnum religiosè fit. Opponitur abo-
Ioan. 4. minandæ rei Theolatria, quæ est Dei seruitus, consistens in spiritu & veritate, in timore & tremore.

De Deo quomodo est sentiendum?

Respondeo, Optimè, cùm sit omnium optimus in cęlo & in terra, nec habeat cum quo conferri vllo pacto possit, solus opifex vniuersæ creaturæ, ac eiusdem vnus tàm altor, quàm rector. Existimatio Dei huius nostri apud nos tanta semper est, vt amplior atque angustior esse inter exteros, atq; à nostra religione abhorrentes, minimè omnium queat.

Dei nomen quot modis accipitur in scriptura?

Respondeo, Apud Hebræos compluſculis nominibus appellatur Deus. Quæ ipsa quoque vocabulorum varietas in decus cedit, & gloriam diuinæ maiestatis, delectatur passim tot nominibus: Dei sapiẽtia, potentia, bonitas, iustitia, fortitudo, munificentia, magnitudo, perpetuitas, &c. Immensa pleraque sunt.

Deus

Deus quid est?

Respondeo, Supremus vniuersitatis apex, Ens entium, Spiritus incomprehensibilis, omnia adimplens, omnia viuificans, benedictus in sæcula, Fiat.

Dei nomen proprium quod?

Respondeo, Adonai, quod tetragrammaton, seu quatriliterum Essentiam Dei propriè sonat. Alia Dei nomina, iam Angelis, iam hominibus attribui cōstat. hoc vnū ad neminem omnium transit, quandoquidem nemo omnium Deus est præter hunc Adonai solum, orbis Dominus.

Dei vocabulum vnde?

Respondeo, Videtur à Græcis ad nos promanasse. Nam quod illis Theos, nobis Deus est. Et forsan ad mutationem primæ literæ attulit nonnihil momenti Dios, à Ioue dictum; atque hoc quidem apud gentilitatem vetustissimam, cui primum in vsu fuit Latina Dei appellatio.

Deus in quibus & quomodo rerum summa præsidet?

Respondeo, Præsidet ex æquo cunctis creatis, & rerum summa penes ipsum est. Hanc Monarchiā diuisam cum nemine habet. In electis verò ceu in peculio suo, operari gaudet. Hic inhabitat, hic regnat multa cum voluptate, tum virtute.

Spiritus quid est?

Respondeo, Virtus Dei magna. Huius vi efficit omnia in omnibus idem Deus. *Ioan. 4.*

Commutatis vocabulis vocatur Deus Spiritus. quemadmodum etiam Spiritus Deus dicitur. Huic bono ſpiritui opponitur ſpiritus nequam, qui quia malus eſt, mala operatur omnia in omnibus, quos ad ſuam voluntatem captos tenet.

Angelorum officium quale?

Reſpondeo, Quia Angeli adminiſtratorij ſpiritus ſunt, ſecundùm Apoſtolum, neceſſe eſt, vt inſeruiant Maieſtati excelſi, ante cuius conſpectum iugiter aſtant. Poſt Deum, Angelica ſublimitate nihil eminẽtius. Quin & illud ſui officij eſt, vt cœlitus miſſi mortalium quoq; ſalutem procurent, horumque preces ad excelſum deferant. Quod Græci Angelum, nos nunciũ dicimus, & Archangelum, principem ſeu primarium nũcium, præcipuorum nomina abundè nota ſunt, Michael, Gabriel, Raphael, Vriel. Huius poſtremi multa mentio fit in Eſdræ libris vltimis.

Hebr. 1.

4. Eſdræ cap. 5.

Diaboli natura quæ?

Reſpondeo, Simpliciter mala. Hocque vnum vigilat, ac agit, vt malè faciat plaſmati Dei, & vt ad ſecundam vſque mortem noceat filiis gehennæ. A malo nomen habet, quoties Græcè vocatur cacodæmon. Summum malum eſt, ſicuti contra ſummum bonum Deus. Tam malus iſte factus eſt ex bono angelo. Eo profecit ſuperbia, eo apoſtaſia.

Dia-

Diaboli nomen vnde?

Reſpondeo, Quod ad etymologiam attinet, idem Græcis diabolus eſt, quod Latinis calumniator; Hebręis verò, Sathā, quòd nobis aduerſarius. Quid enim ille ſerpens antiquus niſi exitium molitur humano generi? nec aliud perinde ſatagit, quàm vt impediat negocium Chriſti ſupremus hoſtis rerum diuinarum.

Diabolus in quibus & quomodo tyrannidem ſuam exercet?

Reſpondeo, In ijs in quos illi poteſtas à Deo conceditur. Reprobi corpus conſtituūt, cuius caput diabolus. Et exiſtit ciuitas diaboli, ſicut etiam ciuitas Dei. Princeps mundi huius dicitur, & eſt. Sentit eius tyrannidem maior orbis pars, tàm animo, quàm corpore. *In me autem* (ait Dominus) *non habet quicquam*. In hoc ipſo nos victores eſſe poſſumus.

1. Cor. 5. *Ioan. 12.* *Ioan. 14.* *Luc. 11.*

Eccleſia quid eſt, & quotuplex?

Reſpondeo, eſt cōuocatio ſeu conuentus Chriſtianorum, vel in publico, vel in priuato, & vt ad anagogen aſcendam, eſt corpus Chriſti Ieſu viua Nauis, Domus, & templū Dei. Huius corporis caput ipſe Dominus, à quo in membra vegetata vis influit, vnde queant quod debent, & facere, & ferre. Nec ea niſi vna eſt, ſicut vnū eſt Chriſti corpus, huiuſque vnum caput. Eccleſię enim nomine nos haud quaquam dignamur conuenticula Paganorum & Hæreticorum. Verùm

hæc Ecclesiæ vnitas comprehendit etiam sanctorum Christianorum turbas, quæ ex hac imperfecta vita nunc cum Christo in paradiso viuunt, de quibus nos Catholici melius sentimus, atque Hagimachi.

Ecclesia vocabulum quale?

Respondeo, Græcum omnino est, Latinè interpretamur Ecclesiam, euocationem nimirum ad cœtum. Euocantur vndiquaque homines per Euangelicam tubam, vt accedant ad regnũ Christi, & fiat è multis vnus populus, adeoq; vnum cor, & anima. Hæc panegyris eorum est ciuium, qui posthac erunt sicut Angeli.

Ecclesia quare dicitur Christiana, Sancta, Orthodoxa, Catholica?

Respondeo, Quia Christi est, iure Christiana nũcupatur, nec ibi agitur, nisi Christi res. Sancta, ob sanctificatorem Spiritum, & quòd in ea societate sacrosanctum est, quicquid aut audis, aut cernis. Orthodoxa verò dicitur, rectæ opinionis gratia: tale enim sibi vult id Græcanici nominis. Nusquam certè rectitudo fidei atque doctrinæ est, nisi in Ecclesia Dei. Alieni prauè sentiunt, quantumlibet sua scita mangonizent. Catholica denique Ecclesia cognominatur ab vniuersitate omniũ æquè fidelium, quibuscunque tandem in locis tam vasti orbis degant. Catholicæ opponitur schismatica, quæ dissentit à priore vt pars à toto, degener populus à matre, quæ primùm regenuit ingratos. Ni-

mirum verè dictum est. *Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.*

Ecclesia quid differt à Synagoga?

Respondeo, Plurimum sanè. Nam Ecclesia Christianorum est, & Sanctorum cõmunio, Synagoga verò cõgregatio Iudæorum. Hæc necessariò abolita est, illa principatum passim tenet. Huic præerat Moses, illi filius Dei præsidet. Hæc circuncisis, illa baptizatis, hæc lege, illa fide delectatur.

Ecclesiastica Hierarchia quid?

Respondeo, Quam Christus Ecclesiæ caput seu suã agnoscit. Ipse Hierarcha Hierarchiæ suæ curam gerit assiduã, & habet idem in terris, quibus velut cooperariis ad parandum ac tuendum regnum, officia pascendi distribuit. Sacer hic principatus (sic enim potes interpretari Græcum vocabulum) administratio est omnium suprema, in nostra religione, spectans in hunc finem, vt omnia ritè ac secundum ordinem fiant, vtque innumeræ animæ apponantur, quæ saluæ fiant.

Ordo quid & quotuplex?

Respondeo, Culmen est in Ecclesia Christianorum, & hoc sublato pastoratũ à grege sublatum videris. Cæterùm talis ordo quadruplex est, tametsi septuplicem aliqui esse autumẽt. Discrimen personarũ est in Ecclesiæ regimine, sicut olim suo in ordine Moses, in suo Aaron, in suo Itamar aut Eleazar, in suo, septuaginta, super his Greg. Nazian. *Gregor. Nazian. Orat. 21*

Quod vnicuiq; ordini nomen est?

Respondeo, Primus gradus sacri huius ac sublimioris per Ecclesiam ordinis Acolythia dicitur. Secundus Hypodiaconia est, ita enim Græca Ecclesia vocauit, quam Romana subministerium, & inde Hypodiaconos, id est, subministros. Tertius est Diaconia seu ministerium, inde Diaconus, Minister. Quartus gradus Presbyterion est, ab hac dignitate scanditur ad fastigium Episcopale. Hoc gradu superior nullus alius extiterit.

Quod item cuiusque officium?

Respondeo, Acolythus, iuxta nominis interpretationem, sequitur incedentẽ præsulem nõ tam honoris, quàm custodiæ gratia. Idem ianitor est, incensor est, & lector est, & cantor. Huic infima quæque munera delegabantur olim. Sed is perstans in officio merebatur ad Hypodiaconiam promoueri. Factus igitur Hypodiaconus, admittitur ad obsequium Altaris, & conceduntur illius fidei maiuscula. Hinc ad Diaconiã gradum facit. Atque istic quidem licet baptizare, licet Euangelizare, licet præesse alendis Ecclesiæ pauperibus. Iam ad Presbyterion aspiranti (nisi tali celsitudine parum dignus est) omnia sacra patent. Episcopus ex eo ordine assumptus clauum Ecclesiæ regendæ tenet, homo dignus ob augustissimum munus, quod obit, nullo non honore. Cæterùm *Hierony.* qui è scripto quodam B. Hieronymi septem

Ordi-

Ordines ponunt, ea illos serie cõnumerant. Primus ordo Fossariorum, hoc est, qui exemplo S. Tobiæ mortuis sepeliendis studēt. Secundus Ostiariorum. Tertius Lectorum. Quartus Hypodiaconorum, hos vocant ex Esdra Nathineos. Quintus Diaconorum seu Leuitarum. Sextus Presbyterorum, & septimus Episcoporum. Iam verò Episcopi, tàm dignitatis, quàm officij nomen est, id quod è libro Sent. liquet. *1. Esd. 2. 7. 8.* *Lib. 4. dist. 42.*

Ministerium verbi quale?

Respondeo, Prorsus diuinum. Quandoquidem ministri Christi, œconomi seu dispensatores ministeriorum Dei, & eiusdem synergi, id est, adiutores sunt, teste B. Paulo. Huius ministerij, sicut & Euãgelij, nec Diaconum, nec Presbyterum, nec Episcopum pudet. *Væ mihi* (inquit Apostolus) *nisi Euangelizauero.* Episcopus si non concionator, saltem visitator ouilis sui sit oportet, nisi velit à patrefamilias domum reuerso grauiter redargui. Porrò verbum Dei prædicatur in Ecclesia, quemadmodum prædicatũ est ab Apostolis, Euangelistis, Martyribus, & probatissimis tàm orientalis, quàm occidentalis Ecclesiæ doctoribus; sin secus, præstiterit cathedras mutas esse. *1. Cor. 4.* *1. Cor. 9.*

Scripturæ canonicæ nomine quid continetur?

Respondeo, Vtrunque instrumentum, quod est verbum Dei in membranis exactè scriptum. Vocamus literã quidem, sed citra

hanc parum bene consultum foret Christianismo, maximè hæreticorum tempestate. Dicitur autem Græcè Canonica, pro quo Latinè regularis dixerimus, quòd hæc omnium scripturarum sola meretur Regula appellari eorũ quæ tam docere, quàm facere nostra interest. Ad hunc Canonem atque hanc Regulam exigere conuenit doctrinas hominum.

Quare vetus Testamentum dicitur, & quare nouum?

Respondeo, Vetus necessariò dicitur ob successionem noui. Nouum verò, quia ipse Dominus per os Hieremiæ hoc insigniuit epitheto. *Dicendum nouũ* (inquit Apostol.) *veterauit vetus.* Vnde licet vtrunq; testamentũ aliter appellare, nempè hoc prius, illud posterius. *Vetera transierunt, ecce noua omnia.* Prius vmbrã prætulit, posterius, hoc est nostrum testamentũ nouum, veritatem remq; ipsam continet. Noui testamenti nouus Adam, nouum pectus, noua vita.

Hier. 13.

2. Cor. 5.

Quæ sunt veteris volumina, & quæ noui?

Respondeo, Testamẽtum vetus partimur in Pentateuchon, Hagiographa, & Apocrypha. Pentateuchos complectitur quinque libros Mosi. Inter Hagiographa connumerantur tàm historici, quàm prophetici libri. Cætera, vtpotè quæ extra canonem, pro Apocryphis iudicantur, quamuis reuera tales, vt à nullo sapiente reiici vnquã possint.

Græ-

Græcum nomen Pentateuchos, ſonat Latinis auribus quinq; volumina. Hagiographa ſanctas ſcripturas,& Apocrypha,occultas ſignificat,eo quòd nos lateat illarum authoritas,etſi pietate refertiſſimæ ſint. Noui Teſtamenti libros pro receptis atq; indubitatis Eccleſia Catholica tuetur. Sunt autem alij Euangelici,alij Apoſtolici libri, verū eodem cuncti redeunt. Et ne hic quidem concedimus eos libros pro reprobatis haberi debere,quos nunc Schiſma plumis, & aridis foliis leuiora dicit. Par vtilitas omnium eſt,ſi minus par authoritas.

Qui ſunt ſingulorum authores, & qua quiſq; lingua ſcripſit?

Reſpondeo, Moſes, Samuel, Eſdra, Prophetarum,vt volumina,ita nomina cogniſſima ſunt. Præterea noui teſtamenti ſcriptores quatuor Euangeliſtæ, quatuor Apoſtoli. Tametſi iidem, & Euāgeliſtæ,& Apoſtoli,ſi demas Marcum & Lucam, quos eſſe merito pronunciaueris Apoſtolicos Euangeliſtas, & Euangelicos Apoſtolos. Et hæc quidem de Biblicis,hoc eſt, verè Authēticis ſcriptoribus. Nulla verò lingua alia iſti viri Dei monumenta illa diuina literis mandarunt, præterquam Hebraica, & Græcanica. Prototypon ergo veteris Teſtamenti Hebræum: Noui Græcum habet, & callet Eccleſia.Eadem Latinos interpretes veneratur, fontes tamen ipſos precioſiſſimi atq; ſacratiſſimi theſauri vice ſollicitiſſima cuſtodit.

Inde enim rectiſſimè petitur à dubitantibus lectionis omnis certitudo.

Scripturæ Canonicæ authoritas quibus probatur?

Reſpondeo, nouo Teſtamento corroboratur vetus non ſolùm, verumetiam dilucidatur. Alterum alteri grauiſſimam authoritatem defert. Ipſe Dominus apud Ioannem affirmat, vetus Teſtamentum de ſe teſtificari. Et Apoſtolus Paulus vocat Scripturã *Theopneuſton*, hoc eſt, à Deo inſpiratam ijs qui hanc primi perſcripſerunt. Multis denique locis ſcriptores Apoſtoli Euangelij ſoliditatem veteris ſcripturæ teſtimoniis aſtruxerunt. Impius manifeſtò ſit, qui de ſacrorũ Bibliorum authoritate vel minimũ dubitarit. Verùm in huius laudis partem aliquam venit & Eccleſia Catholica, vt quæ hanc Biblijs authoritatem à primis vſque temporibus fideliſſimam conſeruarit illibatam.

Ioan. 5. *2. Tim. 3.* *2. Pet. 1.*

Vetus lex quibus conſtat?

Reſpondeo, Circunciſione, Aaronicis ſacerdotijs, Sabbathis, Feſtis, Holocauſtis, Cibis, Diuortiis, Genealogiis, Iubilæis, Votis, Expiationibus, Lotionibus, Segregationibus, &c. cuiuſmodi ad perfectionem duxerunt. Onera portatu grauia. Elementa item digna paruulis, vnde lex illa vetus ab Apoſtolo pædagogia rectè dicitur.

Noua lex quibus conſtat?

Reſpondeo, Auditione Euangelij, Credulitate, Baptiſmate, Euchariſtia, cæteriſque

Sacramentis, Chrismatibus Spiritus sancti, Cruce, Dilectione, Zelo, Confessione, Vigiliis, Ieiuniis, Prædicationibus, Hymnis, Lectionibus, Eleemosynis, Condonatione, Pace, totius vitæ innocentia, Expectatione fœlicitatis æternæ. Hæc si nobiscum adsint, & suppetant, non vacuos, nec sine fructu nos constituent in Domini nostri Iesu Christi cognitione, quemadmodum Apostolus Petrus scribit. *Mat. 25.* *Act. 15.*

Quæ est differentia veteris & nouæ legis?

Respondeo, Multa per omnem modum. Vetus enim carnalia, noua spiritualia requirit. Illa suis cultoribus Iudæis promittebat terram fluentem lacte & melle, hoc est, regiones fertilissimas, hæc verò æternam hæreditatem in cœlis conseruatam. Illa moysen auctorem, hæc Christum Iesum habet. Illa in seruitutem redigebat, hæc libertatem ostendit. Illic natura, hic gratia. Illic coactio, hic obseruatio.

Ecquid cærimoniæ veteris legis differunt à Sacramentis nouæ legis.

Respondeo, quantum ipsa duo inter sese Testamenta differunt. Cærimoniæ prioris ea gratia destitutæ erant, qua commendantur Sacramēta nostra. Quo factum, vt prodesse obseruatoribus nequiuerint, nisi fortè obedientiam extortam hic obijcias, sed quæ interiori homini ad modicum vtilis, at pia Sacramentorum administratio ad omnia longè vtilissima est. Veteres scitè dicebant,

Sacramenta humanæ ſalutis inſtrumenta eſſe. Illas igitur Moſaicas cærimonias Chriſtiani iubemus longum valere, quippè ſtantes in libertate, qua nos donauit filius Dei, & pertinaciter recuſantes iugo ſeruitutis implicari, vt cũ Apoſtolo Paulo loquar. Cærimoniæ vocabulũ, Latinis vetuſtiſſimum, Græci origia dixere.

Galat. 4.

Sacramentum quid?

Reſpondeo, Definiunt, ſacræ rei ſignum. Verum olim appellabat paganitas ſacramẽtum, quoties miles Imperatori ſuo ſeſe iureiurando cõſecraſſet. Et Chriſtiani quidem in Baptiſmo ſe eadem mente, ſed non pari ratione, Chriſto Ieſu ſuo duci, ſacramento obſtringũt, futuri præſtrenui milites aduerſum portas inferorum. Theologi Græcum myſterij nomen, ſacramentorum transferre ſolent. Quo conceſſo, myſteria, quæ hactenus Sacramenta, appelles licet.

Sacramenta quot ſunt?

Reſpondeo, Septenarium horũ nos neutiquam reſpuimus, ſiquidem tantus orbis aſſenſus acceſſit. Numerantur igitur, Baptiſma, Confirmatio, Ordo, Euchariſtia, Pœnitentia, Coniugium, Vnctio, Confirmationem vocarunt quidam è veteribus Conſignationem.

Quot res in quolibet ſacramento ſpectantur?

Reſpondeo, Verbũ, Gratia, Elementum, ſiue quid aliud exteri⁹, & Fides. Huiuſmodi

enim

enim ad substantiam sacramentorum pertinent. Proinde si vnum horū detraxeris, substantiale quiddam detraxeris. De accidentalibus in præsentia nihil laboro.

Quare instituta sunt sacramenta?

Respondeo, Ad ædificationem corporis Christi; quod est Ecclesia Dei viuentis, colūna ac firmamentum veritatis, vt Apost. ait: Sacramentorum enim vsu mirificè grandescit Ecclesia sponsa vnigeniti, & vegetatur, atque consolidatur in militia spiritali. Adde quod sacramentis suis Ecclesia immensam Dei bonitatem erga credentes declarat. *Ephes. 4. 1. Tim. 3.*

Peccatum quid est, & quotuplex?

Respondeo, Est effectus hominis malus, procedens in actionem malam contra voluntatem creatoris. Quicquid verò huius est, totum proficiscitur ex labe illa hæreditaria, peccaminosa origine. Hinc malas etiam cogitationes peccati nomine scriptura censet, nedum praua opera verbave. Ecclesia tamen discernit inter peccati genera, quoties crimen plectit, vulgare delictum non item.

Pœnitentia quid?

Respondeo, Cruciatus animi ob cōmissa, quibus Redemptorem offendimus. Verum hunc cruciatum sequi debet decretū à peccando desistendi, iuxta illud dominicum: *Ne amplius pecces*. Et Apostolicum: *Hæc scribo, ne peccetis*. Pœnitentia baptismum tàm præcedit, quàm sequitur. Quoties sub- *Ioan. 8. 1. Ioan. 2.*

sequi-

sequitur, magna illa sit oportet, vt cuius efficacia per Christum tollenda sint renouatorum peccata, atque eorum qui abiurarunt regnum mundi.

Pœnitentiæ partes quæ?

Tres pœnitentiæ partes. Respondeo, Numerant, Contritionem, Confessionem oris, Satisfactionem operis. Quo in ternario absolutam pœnitentiam constituunt. Nec video cur hæc docendi ratio temere conuelli debeat.

Confessio quotuplex?

Respondeo, In presens de confessione diuinæ laudis, quę ad Eucharistiam spectat, nō loquimur. At cōmissum cum gemitu confitemur tàm Deo Patri quàm presbytero fratri, adeoque toti, si enorme crimen sit, Ecclesiæ, vtpotè quam offendiculis vssimus. Caro quidem hic pudefit, sed spiritus per hanc ignominiam anhelat ad gloriam. Hic semet iudicat, & suis ipsius verbis condemnat homo peccator. Sinuosum pectus disquirit, exuitque, & abstructissima quæque in conspectu Maiestatis retegit.

Satisfactio quæ?

1.Ioan.2. Respondeo, Nulli Christianorū dubium est, quin salutifera mors Saluatoris, & Domini nostri Iesu Christi satisfactio pro peccatis totius mundi orthodoxo sensu, & sit, & dici possit: nihil tamen prohibet quo minus Ecclesia mater filios à Baptismo immorigeros, disciplina seueriore coercens ad satisfaciendum, vel inuitet, vel adigat post admissum

missum flagitium, non eo vt peccato iam poenitentes Deo satisfaciant, sed tale sit Ecclesiasticę fraternitati, quam exemplo detestabili læsit. Et quicquid hic fit, ex Euangelica lege proficiscitur, tantum abest, vt hic quicquam aduersetur.

Quæ clauium potestas?

Respondeo, Magna profecto, nisi abutare potestate, data nobis non ad destructionem, sed ad ædificationem. Claues binæ sunt, altera ligatoria, altera solutoria. Vtraque est Ecclesiæ ad conseruandam disciplinam pernecessaria. Sunt qui affirment hanc vnam dici debere, alioqui binas, ordinis videlicet, & Iurisdictionis. Atque huic parum bene consulunt, qui altera tantum clauium perpetuo vtuntur, videlicet solutoria, naso suspendentes quicquid castigatorium est, non sine summo & rectæ pietatis, & bonorum morum detrimento. Non hic monada, sed diada spectant Catholici oculi. Ligari criminosi debent, solui poenitentes, hoc communicare, illud excommunicare dicimus. Excellentissima potestas hæc est, quam Dominus Iesus cum Ecclesia sua partitur, vt quæ peccata in terris, eadem in coelis sunt, vel remissa, vel retenta. *Quid sit ligare, & quid soluere. Ioan. 20.*

Catechesis quid, & quæ eius ratio?

Respondeo, Est prima religionis nostræ doctrina, qua rudiores imbuūtur, viua duntaxat voce. Nec refert vsque adeo, Catechizésne baptizandum, an verò baptizatum: at pluri-

plurimum refert, quàm adferas doctrinam Catechista. Episcoporum interest solicitè vigilare, ne pro Christiana Iudaica, neve hæretica pro Euangelica doctrina indoctæ multitudini pietatis specie obtrudatur. Tanta autem vtilitas est veræ Catecheseos, vt hac in puerorum ac adolescentium maturis cętibus continuo ac diligenter præmissa, non minore solum negocio, & fœlicius post ediscatur Euangelium omne, verum etiam tenacius hęreat memoriæ, radicesq; suas figat Dei scientia in auditorum pectoribus.

Baptismus quid & quotuplex?

Respondeo, Baptisma est tinctio eorum hominum, qui coaptari in Christi corpus Ecclesiasticum cupiunt, cuius effecti membra, non ficta fide, aut charitate, Euangelio dignè viuere satagunt. Cæterùm duplici modo tingitur in Christianismo, aquali videlicet, & spiritali baptismate. Illa fit ministri, hæc Dei manu, & eadem absoluit atq; perficit renascentiam Christianorum. Elementale baptisma non iteratur, cęleste verò quotidianum est. Ante baptismum cognominamur Catechumeni, post hūc Christiani, quive digni habentur albo Ecclesiæ, professores posthac sacrosanctissimæ atque augustissimę Trinitatis Dei, pro eadem parati & baiulare crucem, & subire mortem.

Baptismus Ioannis, Christi & Apostolorum quo distant?

Respondeo, Baptisma vnum est, Paulo

tefte,

teste, & aliò non respicit Ioannis baptizatio, *Ephes. 4.*
quam ad Christum solùm, quo itidem spe-
ctarunt baptizantes Apostoli. Tinxit aqua
Ioannes in Ænoni iuxta Salim, item vbi- *1. Cor. 3.*
que Apostoli. Deus autem in Christo de-
super, igneque tinxit. In hoc distat vtro-
rumque sacra tinctio, quòd Ioannes Bapti-
smo pœnitentiæ baptizauit, loquens de eo
qui venturus esset post ipsum, vt crederent,
hoc est, de Christo Iesu. sic enim Lucas: *Act. 3.*
Apostoli post baptizarunt & ipsi baptismo
pœnitentiæ, loquentes de eo qui iam vene-
rat, mundo exhibitus Christus Iesus. Bapti-
zauit Ioannes in nomen Domini Iesu ma-
nifestandi, Apostoli verò in nomen eius-
dem Domini Iesu manifestati: quæ poste-
rior tinctio Spiritum sanctũ baptizato con-
ciliauit. Differt Ioannis & Christi baptisma
in hoc quoque, quòd ille huic viam parans,
tàm docendi, quàm baptizandi officio pre-
cursor celeberrimus extitit, eo dirigens o-
mnia, non vt ipse conferret gratiam, sed vt
ad gratiam à Christo conferendam animos
auditorum præpararet. Super hac re B. Au-
gustinus de Baptismo contra Donatistas.
Nulli (inquit) *Prophetarum, nulli prorsus* *Aug. lib. 5. cap. 9.*
hominũ in scripturis diuinis legimus conces-
sum esse baptizare in aqua pœnitentiæ, in re-
missionẽ peccatorum, quod Ioanni cõcessum
est, quia mirabili gratia suspendens in se cor-
da populorum, viam præparabat in eis,
illi quem se tanto prædicaret esse maiorem.

Videat reliquam disputationem lector pro Cypriano Catholico, aduersus schismaticos Donatistas, qui suæ causæ commodo super
Matt. 3. baptismate, quæ volebant, differebant. Ipse
Marc. 1. Christus, Euangelista teste, non baptizauit, vtpote aquâ: reseruabatur enim eius maiestati spiritalis lotio, quæ à cœlo est, ac proinde supra omnia.

Eucharistia quid, & quare dicitur Synaxis?

Respondeo, Est sacrũ opus (Græcis Hierurgia, item Liturgia dicta) quo minister
1. Cor. 11. Ecclesiæ repræsentat, & annunciat mortem Domini. Consistit hæc actio publica in pane, vinoque, & viuifico verbo, cuius vi, accedente fide nostra, panis in carnem, & vinum in sanguinem transit. Hoc sanctissimo cibo potuq; participantes Christiani populi, memoriam Dominicæ passionis renouant sibi plurimo cum fructu, & pro tam immenso redemptionis beneficio maximas agũt gratias Saluatori Christo, confitenti sui perditionem, nisi isto vnico sacrificio mediatoris vnici facta fuisset expiatio. Ab eiusmodi verò actis agendisque gratiis, vocant hoc sacramentum Græci Eucharistiam. Licebit idem sacrificium Eucharisticon appellare, quod alij non absurde Rememoratiuũ. Potissimũ enim in hoc sacro facto gratias agimus, pariter & passionẽ Domini recolimus. Synaxin appellarunt à congregando, quòd Christiana plebs, quoties hoc sacrum factitaba-

stabatur, vnanimiter congregaretur ad sumendum illud, vel corporaliter, vel spiritualiter.

Quid communio, & cœna Domini?

Respondeo, Eadem quę Eucharistia, & Synaxis. Communio dicitur, quod hæc sacra mensa æquè communis omnibus Christianis sit, si excipias criminosos extra communionem positos, hoc est, excommunicatos virtute ligatoriæ clauis. Ipsa quoque nostra tota Ecclesia, cœnonia, seu communio, atq; societas vocatur, ob communia omnia, quę saluandis omnibus redemptor noster impartijt. *Omnes vnum corpus sumus, & vnus panis. Nam omnes ex eodem pane participamus*, sicut Apostolus ait. Huius communionis Ecclesiasticæ, communio Eucharisticа nō imago tantum est, verumetiam complexio Cœnæ Domini, vt primum, ita peculiare Eucharistiæ huius nomen est, quoniam cœnantibus cum Domino discipulis Hierosolymæ institutum fuit id perennis sacri. 1. Cor. 10.

Quæ est cuiusque Sacramenti vis & vsus?

Respondeo, Baptismate purgamur à peccatis præteritis, & admonemur de ineunda noua conuersatione sancti Euangelij. Ordine, seligimur atque vocamur ad publicum Ecclesiæ ministerium. Eucharistia, excitamur ad recordationem, ac gratiarum actionem, vt paulò antè diximus. Pœnitentia

repur-

repurgamur à commiſſis, quibus nolentes præoccupati, Chriſtum purgatorem offendimus, coniugio retrahimur ab illicito concubitu. Nam & Aphthonius Sophiſta, coniugium Sophroſynem, ſeu temperantiam ſecum afferre aſſeuerat. Vnctione, præparamur ad extremam luctam. Atque hæc quidem ſtrictim de ſacramentorum vſu. Vis horum experitur amplius in ijs qui ſunt cęteris religioſiores, quiue ſignificationem cuiuſque arcani magis perpendunt, ac amplectuntur. Magna ſanè vis eſt talium ſignorũ, vt quæ valeant ipſum deiicere Sathanam, ſi ſatis robuſta fides acceſſerit, cumque hac timor Dei, & charitas, quæ malum non operatur.

Summa doctrinæ Chriſtianæ quæ?

Rom.10. Reſpondeat Apoſtolus Paulus: *Finis legis eſt Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti.* Dicto huic ſubiunge: *Finis præcepti eſt charitas ex puro corde, & conſcientia bona, & fide non ſimulata.* Apparet hic ſummam rei attribui fidei, & charitati, id quod etiam ex Canonica Ioannis firmatur. *Hoc eſt præceptũ eius, vt credam⁹ in nomine filij eius Ieſu Chriſti, & diligamus nos mutuò, ſicut dedit præceptum.* Imò ipſe doctor Dominus apud Euangeliſtas, tàm legis, quàm Vatum præſcripta omnia in dilectionẽ, qua Deũ & proximum animo tenus complectimur, ſummatim redigit. Quod non eò nobis dicitur, vt propterea ceu ſuperuacaneum iudices, quic-

1. Tim. 1.

1. Ioan. 3.

Mat. 22.

quicquid in vtroq; Testamento præter hęc duo docetur. Alioqui concedas oportet, vt vniuersa duobus hisce verbis includamus, etiam reluctantia.

Deus, quomodo est trinus, cùm sit vnus?

Respondeo, Trinus in personis, vna in essentia, vnde non tres Dei, sed vnus est Deus. Mentitur Iudæus, qui calumniari ausit nos tres Deos colere. Vnum credimus, vnum adoramus, vnū colimus, quoties tria vnius Dei nomina credimus, adoramus, colimus.

Quid cuiq; personæ proprium?

Respondeo, Patris est creare, Filij saluare, Spiritus sancti sanctificare, tametsi hęc proprietas ea lege admittēda est, vt singulis personis nihil nō congruat, quodcunq; diuinitatem sapit, vtpotè illuminare corda, nosse, reuelare, docere, trahere, corroborare, liberare, defendere, alere, viuificare, & id genus alia permulta.

Quid sanctæ triadi commune?

Respondeo, Perpetuò conseruare genus *1. Tim. 2.* humanum, & velle, vt ad agnitionem veritatis mortales vniuersi veniant, ac immortales in futuro mundo conregnent. Iam verò (vt isthic quoque carptim attingam) assensum non præbere non possum orthodoxis scriptoribus, quotquot Trinitati restiterunt obuertentes gladium Spiritus, qui est verbum Dei. Errores insigni- *Ephes. 6.* ter nefarios irregularunt illi, nec sine cruce

vice-

vicerunt ſuorum temporum hæreticos. Per illos principes magiſtros ſtat hactenus inuiolatum in Eccleſia Catholica Catholicum de diuiniſſima triade dogma. Verùm quod Græci Triada, nos Trinitatem dicimus, de qua perſuaſio noſtra firmiſſima eſt & longè excelſior cogitatio, quàm vt ad huius ſimilitudinem venire ſinamus, vel Mercurium illum obſoletum, vel Gerionem quendam, quorum ille τϱικέφαλος, hic τϱισώματος à priſca gentilitate pingebatur. De Homouſio (nam ita quoque cognominabatur olim diuina Trinitas, quòd ſimilis eiuſdemque eſſentiæ atque poteſtatis eſſet Pater, Filius, & Spiritus) dicere modò ſuperſedemus. Marius Victorinus Apher in libello quodam ſuadens recipiendum Homouſion ſic ſcribit: Omnes rectè intelligimus, nec tamen iungimur. Græcè, quos ἕλληνας, vel paganos vocant, deos multos dicunt, Iudæi, vel Hebræi vnum. Nos, quia poſterior veritas & gratia eſt, aduerſum paganos vnum Deum dicimus: aduerſum Iudæos, patrem & filium, ita dicentes duos, patrem & filium, ſed vnum tamen Deum, complexi religiones ambas, aduerſus vtramque alterius contrario repugnamus.

Ephes. 5.

Hic Deus, trinus inquam, & vnus, quomodo & quare creauit hominem?

Gen. 2.

Reſpondeo, Puluerem de terra creauit primum hominũ Adam, poſt ex creati Adę latere

latere finxit secundùm hominem diuersi se-
xus, quo mare & fęmina proseminatum est
omne genus mortaliũ. Porrò Trinus idem- *Ioan.1.*
que Creator vnus Deus dicitur, quia Pater
Verbo & Flatu cõdidit vniuersa, citra illius-
modi factum est nihil quod factum est. For-
mauit autem hominẽ ad annunciationem
laudis suæ, quemadmodum apud Esaiam
legitur: Præ se fert imaginem creatoris sui *Esai.43.*
isthęc creatura, quo magis congruit, vt huic
soli deuoueatur ad perpetuũ seruitium, vt
quæ per hunc non in terris tantum, verum-
etiam in cęlis vita viuat. Tantum debemus
creatori, atqui plus seruatori, qui est vnus
idemque Deus.

Homo quid est?

Respondeo, post Angelos nobilissimum
omnium plasma, sanctum præ cæteris ani-
mal, altæque mentis capax, & tale, quod in *Psal.8.*
cætera dominari posset, vt cuius potestati
subiecta omnia sunt. Cumq; creatura tanta
homo, non immeritò celebratur à docto
quodam, Miraculum hominis. Prisci au-
thores affirmabant, Iouis genus esse homi-
nes. Quò illud spectat, diuino è semine fecit.
Verùm totius humani generis originẽ, me-
lius Christiani & nouimus, & rectiùs descri-
bimus.

Hominis partes quæ?

Respondeo, Partes hominis primariæ sunt
anima & corpus, his addunt Spiritum, ani-
mæ nomine comprehenditur sensus, mens,

 memo-

memoria, ratio, intellectus, &c. corporis verò appetitus, cupiditas, affectus, & nescio quæ terrenitas ac pecunia omnis. Vita hominis animalis ab anima & sanguine est. Eam miserrimã ac breuissimam vitam certa mors finit.

An cum libero arbitrio creatus est homo?

Eccles. 15. Respondeo, Secus certè non extat in sacris literis, præsertim apud Syrachium. Sed infelicissimè cessit posteris nobis, quod libera voluntate sua tàm turpiter abusi sunt duo illi primi homines: Relicti erant in manu consilij sui, posita in conspectu suo erat vita & mors, bonum & malum, at isti serpentina suggestione decepti, deterius elegerunt. Quo facto posterorum voluntas adhuc vitiata, citius ad malum rapitur, quàm ad bonum ducitur.

Liberum arbitrium quid, & quale ante lapsum?

Respondeo, Est voluntas hominis libera, vel ad faciendum, vel ad dicendum bonum, vel malum. Hæc ante lapsum primorum parentum vigorem habuit, nunc per peccatum propè amissa est. Arbitrium dictum ab arbitrando rationali consideratione, vel discernendo quid eligat, quidve recuset, authore B. Augustino. Qui idem scribit, Liberum arbitriũ inesse hominibus certa fide credimus & prædicamus, indubitanter. Contra Pelag. Sed alibi cõmemorat infirma-

Aug. l. 3. Hypognosticon in principio.

firmatum hoc fuisse in Adam, nec sanari posse, nisi à quo potuit dari.

Liberum arbitrium quale post lapsum?

Respondeo, Sanè perexiguum, nisi quod per gratiam omnipotētis fulcitur. Libet hic Aurelium Augustinum, vt qui in hoc disputationis genere exercitatissimus omniū fuerit, paulisper audire. Liberum arbitrium sufficit sibi ad perpetrandum malum, non autem bonum, nisi adiuuetur à Deo. Item, Liberum voluntatis arbitrium sine gratia Dei in bono non perseuerat. Rursus, Liberum arbitrium valet ad opera bona, si diuinitus adiuuetur, quod fit humiliter petēdo, & faciendo. Nec hoc per gratiam euacuatur, sed statuitur, vt quod præscientiæ Dei nihil aduersetur, &c. Audimus gratiam primas tenere in negotio liberæ voluntatis. Humanæ vires eæ haudquaquam sunt, vt per se possint obseruare præcepta Domini, etsi nō grauia. Proinde additur energia spiritus, cui assentientes, poterimus bene operari ac placere conditori nostro.

De spiritu & litt. cap. 4. Tom. 3. Aug. de gratia & libero arbi. c. 2. Epist. ad Hilar. & est epist. 89. Tō. 2. Gen. 6.

Homo quomodo est lapsus?

Respondeo, Per inobedientiam lapsus est primus homo de terra terrenus, quum nimirum spreta lege creatoris de non edendo, diabolo præbuit tàm aures quàm animum, adeoque manum, qua infœlix prehensum pomum ori admouit, socia sceleris conscia. Labitur adhuc huius posteritas inobedientia, quippè serua seculi huius

esse malens, quàm Dei remuneratoris.

Peccata quomodo purgantur Baptismo in paruulis & in adultis?

Respondeo, Pari gratia Saluatoris nostri Iesu Christi. Paruuli in sacrum lauacrũ afferunt peccatum originale, adulti cum originali etiam actuale: vtrumq; ex æquo deletur baptismate, nec remanet in baptizatis præter fomitem ceu materiã peccati, quam concupiscentiam quoque appellamus. Fomitẽ verò illum peccatum propriè esse pernegam⁹ orthodoxi, nisi post assensum mẽtis obediatur impuris illis motibus, hoc est, nisi concupiscentia procedat ad actum. Loquatur D. Augustinus: Reatus concupiscentiæ in baptismo remittitur, non vt non sit, sed vt peccatum non imputetur. Et idem scriptor negat peccatum vllum esse, nisi sit voluntariũ, siue sit in opere, siue in origine. Sunt & hæc August. Concupiscentia, etiam si vocatur peccatum, non vtique peccatum est, sed quia à peccato facta est, sic vocatur, sicut scriptura manus cuiusq; dicitur quòd manus eam fecerit. Peccatum autem sunt, quæ secundùm carnis concupiscentiam vel ignorantiam illicitè fiunt, dicũtur, cogitantur, &c. Hæc lib. 1. c. 13. contra duas Epist. Pelagianorum. Rursum lib. 6. c. 8. contra Iulian. Pelag. In Baptismo remittuntur quidem cuncta peccata, sed remanent carnaliũ concupiscentiarum mala, &c. Concupiscentia parit peccatum, ait Iacobus; ipsam peccatum

Fomes propriè non est peccatũ.

August.

Iacob. 1.

tum esse non dicit. Peccati esse radicem atq; effectricem concupiscentiam largimur, & fomitem in baptizatis remanentē concedimus materiale peccatum dici, formale non item. Neque enim debemus ignominia baptismi sacramentum afficere, vtpotè quòd peccatum relinquat indeletũ in tinctis, siue hi paruuli sint, siue adulti. Quin fatemur quoq; concupiscentiam vitium esse naturæ originali iustitia destitutę, sed iidem inficiamur culpam esse, seu peccatum culpabile, quandoquidem contra voluntatem fit.

A purgatis reconciliatis quomodo Deus colendus?

Respondeo, Christiano modo, id quod opponimus Iudaicis, Ethnicis, ac Turcicis cultibus. Veritate & synceritate animi rectissimè colitur Deus. quia animus est spiritus. Attamen excludi non debent exercitia corporalia, quæ quidem vel sacra scriptura, vel antiquioris Ecclesiæ commonstrat praxis. Colitur à credentibus indesinenter, inuocatione, adoratione, zelo, gratiarum actione, hymnis, odis, Euangelij prędicatione, sacramentorum participatione, vigiliis, eleemosynis, temperantia, labore, puritate, benignitate, tolerantia, ipsa denique virtute, qua complector vniuersa Christianæ vitæ facta. Illorum cultus despicit Trinitas, qui grauibus flagitiis obsiti eam oretenus venerantur, abhorrētes à sana doctrina, atq; interim nugamenta nescio quæ consectan-

Ioan.3.

tes,inque infrugiferis tricis ſeneſcentes. Eccleſiaſticas cærimonias multum abeſt, vt è cõſuetudine publica tolli patiamur, nec ſolennes obſeruationes,quæ ad alendam pietatẽ conducunt,abrogari ſuſtinemus, minimè neſcij in eiuſmodi ritibus cõſiſtere, neq; iuſtificationem, neq; ſaluificationẽ noſtri. Maximoperè baptiſmo purgatos atque renouatos decet,vt candidam ſeu nuptialem veſtem in omni vita mundi geſtent,irreprehenſibiles vſque ad diem Domini.

Fides quid eſt,& quotuplex?

Heb.11. Reſpondeo, Eſt (Apoſtolo definitore) earum rerum quæ ſperantur hypoſtaſis ſeu ſubſtantia, argumentum eorum quæ nõ videntur. Eſt item fides certiſſima perſuaſio, quàm ex verbo Domini incunctanter mente concipimus,ſic eſſe,ſicque fore,quemadmodum electis nobis promiſit Deus mentiri neſcius. Verùm producatur credulus Abraham in exemplum viuidiſſimæ fidei, vt hunc in Paulinis tabulis depictum reperimus. Ad promiſſionem Dei non hæſitabat

Rom.4. incredulitate, ſed robuſtus factus eſt fide, dans gloriam Deo, certa perſuaſione concepta (talem pletophoriam Græcè dixit Apoſtolus)quod is qui promiſerat,idem potens eſſet & præſtare,vna verò eſt fides Chriſtiana,ſicut & vnus eſt Chriſtus, nixa ſuo relatiuo,quod eſt,verbum Dei.Corde hæc gaudet,& ad confeſſionem oris geſtit. In rebus humanis maximi ſemper momenti huma-

na fides extitit, & quæ ante omnia ſerio requiſita fuit tanquam ſacra anchora. Eſt fides coniugij, fides œconomiæ, fides politiæ, fides emporij, fides hoſpitis, fides fœderis, fides itineris, fides repoſiti, fides cõſilij, fides ſecreti, fides miniſterij, fides amicitiæ, &c. Quo excellentior eſt habita vltra mundana fides religionis noſtræ, qua ſub cœlo nihil eſſe maius poteſt. Fides Euangelij cum primis requiritur, quippè res omnium eminentiſſima, à cunctis quotquot accedunt ad Eccleſiam, quod eſt regnum Dei. *Multiplex fides.*

Fides Symbolum quale?

Reſpondeo, Apoſtolicum eſt per omnia. Recitare iſthuc perlibens volo, quandoquidem hoc ſalutis humanæ baſis eſt: *Credo in Deum Patrem, &c.* Exegeſin ſacratiſſimi huius ſymboli paulò pòſt appendam.

Spes quid eſt?

Reſpondeo, Eſt expectatio eorum quæ credimus. Hic in ſpe viuitur, in te viuemus illic, quãdo videlicet affatim fruemur bonis cœleſtibus, cuiuſmodi nobis nunc fides certa facit, ſpes eadem indubitatè tenet, vſque ad extremam vitæ metam.

Spes quomodo à fide differt?

Reſpondeo, Spes ſi videatur, non eſt ſpes, vt Apoſtolus docet, ita nec fides eſt. Hac in re ſpes à fide nihil differt. Nec vſque adeò diſcrepant inter ſe, ſi ſpes accipiatur pro fiducia, iuxta ſcripturæ tropum. Fides iacit fundamentum, & præſtruit viam fiduciæ, *Rom. 8.*

Deo non fiderem, nisi antea crederẽ Deum. Fides nos de Deo certificat, spes siue fiducia assecurat. In Deo quem credo, spem colloco, atque hæc quidem spes non pudefacit. Breuiter siue expectationem, siue cõfidentiam spem interpreteris ad normam sanctæ linguæ, res ea est maxima, & tot scripturæ locis commendatissima.

Charitas quid & quotuplex?

Respondeo, Est bonus affectus à Spiritu sancto infusus electis, quo Deum fratresq; homines verè ament, eumq; amorẽ statim
1. Ioan. 4. benefactis declarent. Talis verò & tãta charitas est, vt Deus ipse charitas appellari dig-
Coloss. 3. netur, & alibi in literis Apostoli dicatur charitas vinculum perfectionis, in quo fideles radicari oporteat. Postremò, quæ maior sit tàm fide quàm spe. Equidem cum vita desinent esse fides & spes, at charitas in futura quoque vita existet, immarcessibilis atque sempiternus fructus Spiritus sancti.

Charitatis an aliquis modus & mensura?

Respondeo, Dilectio, qua nos creator ac redemptor noster verè Panompheus diligit, planè ἄμετρος est. Nos vicissim, vt diligamur, diligere Deum iubemur, posthæc fratrem & proximum, idque hoc pacto: Dominũ Deum diligimus ex toto animo, fratrem Christianum diligimus sicut Christus dilexit nos, proximũ hominem diligimus sicut nos ipsos. Eum amandi modum præ-

scripsit

ſcripſit ſuis diſcipulis magiſter & Dominus noſter Ieſus apud Euangeliſtas. *Mat.22.*

Charitatis ordo qualis?

Reſpondeo, Iam tale quiddã attigi. Principem amoris locum ſibi Deus vendicat, ſecundùm Chriſtiana fraternitas, tertiũ communitas humani generis. Solent eum ordinem Theologi in plures gradus extẽdere, ſ. de diligẽdis vxoribus, filiis, parentibus, pręceptoribus, magiſtratibus, tutoribus, inimicis, &c. Verùm eiuſmodi ſpecialia comprehendimus in generali pręcepto: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Illud permagni refert, lingua diligat an opere. *1.Ioan.3.*

Quomodo per fidem ſpem & charitatem peruenimus ad mandatorum obſeruationem?

Reſpondeo, Equidem certiore compendio non poterimus ad id faſtigij cõtendere, quàm ſi hæc tria poſſideamus. Fide accedimus, ſpe perficimus greſſus, charitate complemus legem Chriſti. Qui diligit proximum, legem impleuit, inquit Apoſtolus. Et mox: Conſummatio legs eſt dilectio. Rurſus: Finis legis charitas, &c. Huc pertinet quod Dominus apud Ioannem dicit: Qui diligit me, ſermones meos ſeruabit. Verùm charitatis, quæ tantæ rei effectrix eſt, creator Spiritus ſummam benefactorum laudem aufert. Bonus fructus charitas bonę arboris, Spiritus rurſum fructificat infidelibus fructum nimirum iuſtitiæ proferens. Charitas *Rom.13.* *1.Tim.1.* *Ioan.15.*

hæc tantoperè frugifera, nihil egerit in ijs
Eccles.4. qui fide & spe vacui sunt. Triplex hic fu-
Osea 1. niculus à nullo Satana rumpitur: funiculo tali trahimur ad possessionem æternæ hæreditatis.

Relapsi post baptismum in peccatum quomodo restituitur?

Respondeo, In hoc baptizati non sumus, vt denuo peccemus, sed ne peccemus amplius. Loti sumus, ne posthac inquinemur, neve reuertamur ad vomitum vt canes.
1.Ioan.2. Quòd si peccauerimus, paracletum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustū: Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Ita enim Apostolus Ioannes scriptum reliquit. Verùm hæc bonitas Dei nos nō ad licentiam, sed ad pœnitentiam inuitat. Quo benignior est aduocatus, eò tardiores ad delinquendum esse deberemus renouati. Vltimum asylum pœnitentia relinquitur, qua Ecclesiæ restituitur inquinatus, non citra lacrymas, non citra fru-
Serm.7. ctus pœnitentiæ dignos. Hanc Aurelio do-
de verb. cente, certam nihil facit nisi amor Dei, &
Domini. odium peccati.

Quomodo mandata impleri possunt?

Respondeo, Imitatione Christi, præcedentis in via mandatorum. Deposcitur ad eam impletionem affectus, non opus tantū. Naturę dignitati, si qua est, nihil tribuendum, gratiæ totum. Et quum omnia fecerimus,

mus, quæ pręcepta sunt nobis, dicimus, Serui inutiles sumus, &c. Nec tam benè à quoquam agitur, quin desideretur aliquid in operario. De tribus principalibus, Fide, Spe, Charitate, quantum ea valeant in perficiendis Dei iussis, suprà dictum est. Luc. 17.

Vnde tota hominis iustificatio?

Respondeo, Non ab ipso homine est, sed à mediatore Christo, qui fide iustificat iniustum, & cor impurum purificat, circa opera Mosaicæ legis, ne Iudæi temere de Gentibus triumphent. Credenti porrò iustitia imputata piis factis cōsummatur. Sunt enim hæc causa, sine qua non. Fide iustus habitus, olim secundùm opera iudicabitur. Et est abundantior iustitia credentium, quo pleniores illi religiosè factorū reperiūtur. Abrahæ quidem fuit imputatum ad iustitiam, quòd simplici Dei eloquio credidit, sed idē dilectione non caruit. Rursus fuit ipsi Phinees imputatum ad iustitiam, quòd Dei voluntatē fecit, verùm nec ipse fide caruit. Atq; ita sacræ litteræ partiuntur iustitiæ vocabulum, tam inter eos qui à fide rectis operibus incumbunt, quàm inter eos qui ipsa radicati charitate promissis diuinis credunt. Qui hic quoque monade contenti sunt, prorsus nolunt intelligere, vt benè agant.

Meritorum ratio quæ?

Respondeo, Vnico Christi Iesu merito effectum est, vt credentium quoque iustificatorum merita, quæ Apostoli bona opera

vocant, in precio sint apud Deum. Habent enim & ipsa opera promissionem, cuius ergò in tanta laude ab Ecclesia ponuntur. Nec per se illa, sed per eum valent qui & pręcepit illa, vt credentes faceremus, & facientibus ingentia pollicitus est. D. Aug. lib. 2. quæst.

Luc. 6. cap. 8. de meritis sic ait: Dabunt in vnum vestrum, &c. non diceret, nisi per illorũ merita, quibus vel calicem aquæ frigidæ in nomine discipuli dederint, mercedem cœlestem recipere merebuntur.

Quis moriendi modus optimus?

Matt. 16. Apoc. 14. Ioan. 8. Respondeo, In Domino mori. Malè decedunt hinc, quibus dicitur: In peccatis vestris moriemini. Fertur summa Philosophię esse, Benè mori. Ego finem Theologiæ constituo, Piè mori. Rarò piè moritur qui vixit impiè. Quamobrem Christiani ita res suas disponant in hoc maligno mundo, vt quandocunque venerit hora mortis, se paratos inueniant, adeoq; expectantes sui dissolutionem. Catonis verba haud absurdè sibi Christianus vsurparit. Non me vixisse pœnitet, quoniam ita vixi vt frustra me natum non existimem. Et ex vita ista discedo tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo. Commorandi enim natura (Deus) diuersorium nobis, non habitandi dedit. Hæc ille.

Qui malè viuit malè moritur.

Catonis verba tenenda.

Quis animæ status post mortem?

Respondeo, Secundum opera, vel bona, vel mala status huius erit. Cæterùm de locis

ad quos deferuntur à corpore animæ, tacere præstat, quàm aliquid definire, quod probare non possis. Certi quidem loci existunt sorte non possis. Certi quidem loci existunt solutas excepturi animas, sed nobis incerti hactenus, atq; incogniti. Interim inuigilamus officijs Ecclesiæ, & curam pro mortuis gerimus, quemadmodum à maioribus accepimus, magna spe confirmati, illos quoque nostri habere curam aliquam. Certè in nouissimo die, concrepante tuba, reuiuiscent, nosque cum illis, & aduocabuntur ad incorrupti iudicis tribunal, rationem exactam reddituri de his quæ in corpore gesserunt. Inde ibitur vel ad vitam æternam, vel ad mortem secundam. Porrò D. August. in Enchiridio hęc legenda posteris reliquit. Tempus quod inter hominis mortem ac vltimā resurrectionē interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut vnaquæque digna est, vel requie, vel ærumna, pro eo quod sortita est in carne dum viueret. *Matt. 25. August. cap. 109.*

APPENDIX DE LITVRGIA.

Quæ est horarum canonicarum ratio?

RESpondeo, Vt sacris initiati hoc pacto assuescant diuinis literis, quas imbibere statim & diligenter debent, vt eas teneant tanquam digitos vnguesque suos. Deinde liberali dediti otio, tempus in id genus occupatiunculis melius consumunt.

Postremò saluberrimum opus faciunt, precantes atque deprecantes, si duntaxat animus & verborum adsit intelligentia. Indignissimi ordine sunt qui horarias preces negligunt desidia, nec interim operam dant Biblicis literis, sed agunt quæ non conueniunt.

Missa quid?

Respondeo, Est recordatio Dominici ac sacri supplicij in publico Christianorũ conuentu, vbi à multis aguntur gratiæ ob precium redemptionis, vbi hymnizatur, oratur, docetur, & participatur denique ab ijs qui seipsos accuratè probarunt, ne indignè edant ac bibant. Nec à Catholicismo fueris alienus, si Missam ipsam sacrificium quoq; dixeris, nimirum salutare cunctis Ecclesiæ membris, siue in hoc siue in alio seculo sũt. Beati Augustini Catholici Episcopi verba ipsa luce lucidiora de sacrificio Eucharistiæ lubens appendam. Quid credibilius dicere intelligitur, quàm quòd ad participationem mensæ huius pertinet, quam & sacerdos ipse mediator Testamenti noui exhibet secundùm ordinem Melchisedech, de corpore & sanguine suo? Id enim sacrificium successit omnibus illis sacrificiis veteris Testamenti, quæ immolabantur in vmbra futuri, propter quod vocem etiam illam eiusdem mediatoris per Prophetam loquentis agnoscimus: Sacrificium & oblationẽ noluisti, corpus autem perfecisti mihi, quia pro illis

Aug. 17. de Ciuit. Dei cap. 20. Tõ. 5.

Psal. 39.

illis omnibus ſacrificiis & oblationibus corpus eius offertur, & participantibus miniſtratur. Hæc ille.

Miſſæ vocabulum quale?

Reſpondeo, Alij aiunt Hebræum eſſe, & ſonare Latinis ſacrificium, alij deducunt à mittendi verbo: de hoc paulò pòſt.

Introitus?

Reſpondeo, Sacra cantio introeunte ad ædem populo, è Pſalmis aut aliis ſcripturis cani ſolita.

Kyrie?

Reſpondeo, Eſt communis omnium oploratio pro miſericordia Domini. Græca verò precatio eſt, vt vel hinc appareat. Occidentalem cum Orientali Eccleſia iiſdem operari ſacris, Kyrie eleiſon. Interdum ſubiungitur hæc Græca vocabula Hymas. Atque integra precatiuncula ad eum modum habet, Kyrie eleiſon Hymas, id eſt, ô Domine miſerere nobis. Nouies iteratur, quò fortius pulſet cęlum. Contendit enim ſummæ vi orationis Eccleſia, vt exoratrix fiat, nedum oratrix ſit. Eadem verba in Gręco Pſalterio præſertim legis.

Gloria in excelſis?

Reſpondeo, Eſt Angelica doxologia, qua mæſti rurſum hilareſcimus; nimirum ad recordationem Dominicæ natiuitatis. Angelicis verbis hymnum totum adiectum eſſe,

vel

vel ab Hilario Pictauiensi, vel à Thelesphoro Pontifice affirmant.

Collecta?

Respondeo, Sunt eæ precationes Liturgiæ, quas sacerdos statim à salutatione (pax vobis, aut Dominus vobiscũ) nomine Collectæ plebis totius religioso gestu accinit. Dictæ à Collecto seu cõgregato populo, qui piè salutatus, idem sentit atq; optat, quod sacerdos orat. Ob id acclamat vehemẽtissimo desiderio: Amen, hoc est, ô vtinam quod petiuimus, impetremus, ô fiat hoc, sit hoc certum, sit ratum D. Hierony ad Eustochiũ scribit, Ecclesiam Romanam ad similitudinem cœlestis tonitrui Amen reboare; & vacua idolorum templa quati.

Hierony.

Epistola?

Respondeo, Sunt lectiones è Scripturis Apostolicis, aut Propheticis, aut etiam historicis desumptæ: quemadmodum autem illiusmodi ad doctrinam nostrã scripta sunt, ita quoque ad doctrinam nostram quotidie leguntur, vt per patientiam & consolationẽ scripturarum spem habeamus, sicut S. Paulus ait.

Rom. 15.

Graduale?

Respondeo, Peculiaris ex scriptura cantus, quem personante choro, Diaconus per gradus æditiorem locum ascẽdit, vnde lecturus est Euangelium Christi. Dictum à gradiente Leuita. Indies facere gradum deberemus ad Christianæ perfectionis cacumen, si saperemus.

Alle-

Alleluia?

Respondeo, Supra precatur Ecclesia Græcè, hic Hebraicè læta concinit, nõ ipsa solùm laudans Deum, verùm alios etiam ad eundẽ laudandum alacriter inhortans. Habet aũt multa neumata, hoc est, vocales nutus, quibus deducuntur quatuor illæ syllabæ, ad declarandum magnitudinem diuinæ laudis. Alleluia, Latinè dixeris, Laudate Dominũ. Verbum est Dauidicum, quo rex ille vnicè semet oblectauit. Ecclesia nostra primùm ab Hebræis orta, quibus accessit Græcia, tandem Romanus orbis, eadem semper est, etsi variis linguis loquitur, canit & orat.

Tractus?

Respondeo, Cantio subtristis est, eo tempore quo lætus Pæan silet, sic dicta quòd lõgiusculè protrahatur canendo, forsan dum turba frequentior cõuolat ad percipiendum Euangelium Domini nostri Iesu Christi.

Prosa?

Respondeo, Est cantici genus non vsque adeò vetustum, sed mirè iucũdum. Natum ferũt in Galliis, vbi complures etiam Reges rythmos tales condiderunt. Vidi in Bibliotheca quadam sequentionarium, Notgero Episcopo Leodiensi authore, &c. Post veteres hymnographos, Ambrosiũ, Hilarium, Prudentium, Sedulium, Fortunatũ, Gregorium, &c. Extitit Theodulphus Episcopus Aurelianensis, inter cuius odas hęc elegiaca reperitur: Gloria, laus, & honor, &c.

Euan-

Euangelium?

Respondeo, Ad huius sacræ lectionis præcelsam buccinam assurgit tota collecta, significans tum demùm legi ac euulgari sibi omnis suæ salutis summam. Euangelium enim primum medium & vltimum est humani solatij. In Euangelio status (inquit
1.Cor. 15. Apostolus) per quod & saluamini. Rursus:
Rom. 1. Euangelium potentia Dei est, ad salutem cuiuis credenti.

Symbolum?

Respondeo, Hoc vocabulo insignimus breuissima illa Christianæ religionis oracula, appellatione à militia tracta. Nam Christiani quoque milites, quorum arma non sunt carnalia, suum habent symbolum, quo ceu notę inter sese cognoscuntur. Profectò extra Christum Ecclesiamque est, quicunq; non profitetur cum vniuersitate Christianorum, præscripta communis fidei. Receptus mos est huius quoque canendi Symboli, quo confitendi libertas maior appareat coram omni mundo.

Offertorium?

Respondeo, Ab offerẽdo dictum. Carnes quandoquidem isto horæ spacio in Thysiasterio seu altari offerebantur, tàm donaria populi, quàm ipsa in pane & vino mysteria. De vtroq; oblationum genere legitur apud Eugubinum de consec. dist. 2. cap. de nominibus recitandis, &c. De altero S. August. lib.
August. 2. Retract. cap. 11. Mos erat apud Carthaginẽ,

vt hym-

vt hymni ad altare dicerentur, ex Psalmorum libro, siue ante oblationem, siue cum distribueretur populo, quod fuisset oblatum.

Præfatio?

Respondeo, Eius qui sacris operatur dulcisona modulatio est, qua tota plebs ad gratias Redemptori agendas extimulatur. Huic admiscentur mirabilia atque beneficia Dei Opt. Max. toti ostensa mundo. Isto præcentu sacerdos statim mysterium ipsum ingreditur.

Sanctus?

Respondeo, Trisagion angelicum est, ad hoc sacratissimum negotium ex Esaia Propheta & Ioanne Apostolo transsumptum. Item ex Euangelista Matthæo. Etenim hinc arguitur vtriusque Testamenti in Christo harmonia. Verbum Hosianna, & ipsum Hebræum Dauidis est, quod si Latinè reddas, vult sibi, salua quæso. Legit olim etiam quidã VValafridus Strabo Hosiãna. Quamuis nunc vir peritissimus Sebastianus in originalibus repeterit Iudæos Chaldaicè acclamasse, Hosanna, sine literula Iod. Nec secus habent Græci Euangelistæ. Ea cantilena cętus noster præsentiam adorandæ Trinitatis pronus excipit, quam penes est vnam vasti custodia mundi. *Esaia 6.* *Apoc. 4.*

Canon?

Respondeo, Magnus consensus est, quendam Scholasticum cõpegisse precationem

illam

illam canonicam, verba sacræ cœnæ complectentem, & præ cæteris certus huius rei testis est Gregor. Magnus. Verùm dissimulari nō potest maiorem precationis partem acceptam esse à Græcis, Clemente, Basilio, Chrysostomo, & à Latinis maximè. Ambr. lib. 4. de Sacramentis: ὁ κανών appellata precatio est, quòd ad hanc verborum regulam Ecclesia vbique hoc sacrum facere soleat. Vocat regulam Ecclesiasticam Ambr. super Timot. qua (inquit) vtuntur sacerdotes nostri vt pro omnibus supplices, &c. Crebra sacrificij mentio nō faciet eos apostatas Ecclesiæ, qui norunt de incruēto sacrificio, deque rememoratiuo dici, adeoq; de sacrificio laudis ac gratiarum actionis.

Oratio Dominica?

Respondeo, Ad Liturgiam est ex Euangelistis allata. Petuntur maxima cum minimis, vtpotè quibus omnibus indiget Christiana Respublica.

Agnus Dei?

Respondeo, Diui Baptistę verbum est, quo *Ioan. 1.* ostenditur Christus filius Dei per semetipsū purgationē peccatorum faciens. Hic agnus cruentum sacrificiū, vnica victima, vera hostia, peccata mundi credentis, & pœnitentis sustulit è medio. Quę res omnium summa, digna est quotidiana atque perpetua rememoratione iuxta ac gratiarum actione. Ille ipse expiator Agnus, tamque beneficus, inuocatur ab Ecclesia trina compellatione, vt misere-

misereatur nostri, quoniam in sæculum misericordia eius. Inter hæc expetitur pax, quæ exuperat omnem sensum: quod nostrum desiderium osculo sancto declaramus. *Psal. 115.* *Philip. 4.*

Commune?

Respondeo, Quod cantari solet sub participatione Eucharistiæ, agnomen habet à cōmunione, quę est tàm Christianus populus, quàm ipsa cui communicat Eucharistia, eò quòd cōmunis omnibus Ecclesiæ filiis sit. Idem de Synaxi suprà dictū, quæ est & plebs sumens, & quod sumitur Sacramentum.

Ite Missa est?

Respondeo, Olim vitio vertebatur, templo ante sumptionem Eucharistię publicam exeūtibus. Quapropter completa sumptione, & addita suprema precatione, iubet Moses non sine benedictione vt domū quisque suam redeat: Neque enim ante dimittebantur cōgregati: vnde proclamabat Liturgus: Missa est, ac si diceret: Iam tandem dimitti poteritis, nunc missio est vestri, &c. vt Missa pro missione accipiatur, sicut apud Cyprianum remissa peccatorum, pro remissione peccatorum, nisi mauis retinere eorum sententiam, qui Missah Hebraicum esse docēt: huic si suffragare, is erit huius catastrophæ sensus: Ite domum, sacrificium fœliciter peractum est. Estote sancti domi quoque, secundùm Euangelium nostrum.

EPITO-

EPITOME SEV

Additio.

COMPENDIVM QVODDAM OMNIVM FERE VERAE ECCLEsiæ Catholicæ dogmatum.

DE PRÆCIPVIS CHRISTIAnæ Religionis articulis, qui hodie in controuersia habentur, vetustissimorum doctorum, ac sanctorum Patrum testimonijs confirmatum & contestatum, ideò hic appositum, vt clerici omnes de his quæ hac nostra tempestate hæretici inficiantur, veram resolutamq; cognitionem habeant.

EX TABVLIS LINDANI.

Prima regula fidei.

QVICVNQVE fide vera Christiana & Euangelica Deo placere studet, non solum recipit symbolum quod Apostolorum est, & dicitur, sed scripturam etiam vniuersam canonicam: insuper & quæcunque per traditionem Apostolorum initio accepit Catholica Christi Ecclesia. Inter hæc omnia quæ hic inferiùs enumerātur, aduersus nostræ tempesta-

pestatis hæreses, animus verè Christianus tum constanter credere, tum pro virili tueri debet, si modò fidem suam Christianã (sine qua salus æterna nulli constare potest (vult illibatam atque incontaminatam.

De peccato originali?

Infantes omnes nasci peccato originali infectos. Orig. in Periarchon, & ad Roma. 6. D. August. epist. 28.

De Sacramentis.

Sacramenta esse septem, hoc est, sacra & efficacia diuinæ gratiæ, & misericordiæ signa, quibus Christus Dominus nos sibi sacrat, sanctificat & sanat. Ex Conc. Floren. celebrato anno Domini 1438.

Eadem esse efficacia signa per quoscunque ministros, etiam malos publicè, doctoresque impios. August. cont. Epist. Parmeni cap. 2.

De Baptismo.

Baptismum Christi alium esse à Baptismo Ioannis Baptistæ. Concilium Nicænum, Basilius, Chrysost. Nazian. Hieron. August.

Infantes esse baptizandos. Origen. ad Roman. 6. Aug. epist. 28.

Infantes sine baptismo non saluari. Aug. ibidem.

Paruulos Christianorum renasci, non nasci Dei filios. Aug. ibidem.

Exorcismum baptismo præmittendum, Aug. serm. 10. de verb. Apost.

Abre-

Abrenunciationem pręmittendam. Dionyſ. Areopag. lib. de Eccleſ. hierar.

Aquam fontis conſecrandam. Baſilius c. 27. de ſpiritu Sancto. Aug. lib. 6. cont. Iulian. cap. 8.

Baptiſmum requirere aquam elementũ. Chryſoſt. hom. 24. in Io. Aug. Epiſt 28.

Baptizatos eſſe oleo vugendos. Baſil. cap. 27. de Spiritu ſancto. Dionyſ. Areopag.

Baptiſmum plenè tollere peccata omnia, ita vt non ſint. 1. Cor. 6. Epheſ. 5. Ioan. 13. qui lotus eſt, non eget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus: quare concupiſcẽtiam propriè non eſſe peccatum, ſed eius effectum & cauſam ad peccatum inuitantem, tenendum eſt. Rom. 7. Aug. de nupt. & concupiſ. lib. 1. cap. 23. & 26.

De Confirmatione.

Confirmationem eſſe Sacramentũ. Act. 18. Concil. Florent. Cyprian. ſerm. de Ablut. ped. & Epiſt. 12. lib. 1. Aug. lib. 5. contra Donatiſtas cap. 20.

Confirmationem habere chriſmatis illinitionem. Cyprianus vbi antea. Flauianus cum Synodo. Michael Angelus, vel Anglicus.

Epiſcopum huius miniſtrum eſſe Sacramenti. Fabianus Mart. Hierony. contra Luciferianum teſtantur.

De Euchariſtia.

Euchariſtiam eſſe Sacramentum, quo vegetati in Chriſto manemus, fouemur, alimur,

mur, & excreſcimus in virum adultum. Ioan. 6. Conc. Florent.

Euchariſtiam continere verum ac præſens Chriſti corpus de virgine natum, & in cruce paſſum. Iuſtin. Apolog. 2. Irenæ. libr. 4. cap. 23. Euſebius libr. 1. Euang. demonſtr.

Euchariſtiam fieri ex vino aqua permixto. Cyprian. epiſt. 2. lib. 2. Concil. 6. Conſtant.

Euchariſtiam fieri verbis Sacerdotis, non fide ſuſcipientis. Iuſt. Apolo. 2. Baſil. de Spiritu ſancto cap. 27.

Euchariſtiam non habere panem & vinum, ſed meras eorum ſpecies ac qualitates tantum, non ſubſtantias. Iuſt. Apol. 2. Irenę. lib. 4. cap. 34.

Euchariſtiam eſſe non ſolum alimentum, ſed & holocauſtum, hoc eſt, ſacrificium non commemoratiuum tantum, aut Euchariſticum etiam, ſed & propitiatorium, quod tàm defunctis prodeſt quàm viuis. Sic Apoſt. illud nominarunt, teſtibus Chryſoſtom. homil. 69. ad populum Antiochenum, & ad Philippen. cap. 1. Damaſcen. oratione in defunctos. Auguſt. ſerm. 31. de verb. Apoſt. & tota Aphricana Eccleſia ante Cypriani ætatem, ipſo teſtante Epiſtol. 9. lib. 1.

Euchariſtiam ſub vtraque ſui ſpecie verum ac totum Chriſtum habere. Concil. Florent. quare qui alterutram accipit, to-

tum etiam Christum accipit. Vnde non est necessarium laicis vtriusq; speciei communionem accipere. Conc. vniuers. Constant. Nam olim apud priscos liberum fuit vel vnam, vel vtramque accipere, vt asserit Cle. Alexā. lib. 1. suorum stromatum. Idem vsus erat Romæ Hieronymi ætate, vt ipse testatur lib. contra Iouinian. Vide Bedam 2. c. 5. & lib. 4. c. 24. de histo. Anglicana. Vide Ambros. de fratre Satyro. Vnde non est omnibus à Christo præceptum vtramq; speciem sumere, alioqui & infantes essent sic communicandi, quod & aduersarij negant. Vide Palladium in Macario.

Eucharistiam rectè seruari, quia Patres prisci Apostoli seruabant. Item apud Euseb. lib. 5. cap. 23. Concil. Nicæn. Hierony. ad Iouinianum.

Eucharistiam esse adorandam ipsa postulat reilgio, quę Deum vbiq; agnoscit Deum, siue cum magis in domuncula, siue in Eucharistia, cùm August. epist. 120. cap. 13. & in Psal. 21. ac D. Eusebio Emisseno homil. 4. in Pascha.

Eucharistiæ gestationem licitam ac piam esse ipse operis finis & vsus probat, in quem circumfertur. Siquidem non ad Theatricum gestatur spectaculum, sed ad excitandam fidelium, & piorum spectatorum fidem & pietatem, vt pro ea necessitate, cuius aut depellendæ aut impetrandæ gratia circumfertur, orent ardentiùs, ac cōprecen-

tur confidentius maximum ſibi à Deo Opt. Patre per filium interceſſorem hic præſentem, & illic pro nobis interpellantem, polliciti patrocinium, & impetrandi auxilium. Vide Iræn.apud Euſeb. lib.5.c.23. ſolenniter tranſmittebatur Romæ Euchariſtia Epiſcopis Catholicis.

Euchariſtiæ myſteria ritè celebrari, ſi vel vnus de ſacrificio edat: fit enim quod Dominus fieri iuſſit; Hoc facite: tàm enim fit per vnum quàm per multos, quos nullus excludit, ſed ſua ipſius culpa ſuam animarum famem non communicando ſæpius augent: ſic olim infirmi ſoli, ſic & Chryſoſtom. conquerebatur quod ſolus altari aſſiſteret.

De Miſſa.

Miſſam, id eſt, ſacram illam Apoſtolicam actionem, cuius in fine populo dicitur: Ite, Miſſa eſt, id eſt, dimiſſio, ritè pro quolibet fieri Chriſtianorum vſu ac neceſſitate. Aug. de ciuit. Dei lib.22.cap.8. Pro fuganda cacodæmonum vexatione, ſic & Miſſa Baſilij, & Chryſoſt. pro pace, fructibus, nauigantibus, & cæt.

De Pœnitentia.

Quia homo dum in hac vita degit per liberum ſuæ voluntatis arbitrium, tàm in actionibus ſalutis, quàm ciuilibus poteſt ex bono fieri malus, ſicut & contra (gratia adiutus) ideo & pœnitentiæ Sacramentum

est à Christo Domino omnibus à Baptismi gratia lapsis necessarium. Actorum 8. Fides autem huius Sacramenti fons est, imò quasi basis, non pars, sicut nec baptismi. Porrò illa fides qua quis firmiter credit, & certò statuit sibi propter Christum fuisse remissa peccata, seseque possessurum vitam æternam, non fides est, sed temeritas, non Spiritus sancti persuasio, sed humanæ audaciæ præsumptio, scripturis aduersaria, & patribus orthodoxis ignota, qui illa spe certa, docent adultis expectanda per Sacramenta, & pietatis opera. Sed illa fides ad pœnitentiam agendam est idonea in adultis, qua verbo Dei credimus, tàm comminanti, quàm promittendi, potissimum verò Christum Iesum nobis propitiatorem propositum in sanguine suo. Actor. 8. Rom. 3. quanquam hæc fides symbolo Apostolico delineata, vt ad salutem non sufficit, ita nec ad impij iustificationem. Desiderant enim veram animi conuersionem, seu contritionem, confessionem, & satisfactionem, tres Euangelicæ pœnitentiæ partes. Concil. Flo. Act. 8. Ioan. 20.

De Contritione.

Contritio est dolor de peccatis propter Dei offensam susceptus, cum proposito cõfitendi & satisfaciendi. Aug. homil. 50. de pœnitentia.

De Con-

De Confeſſione.

Confeſſio eſt diſerta peccatorum (poſt legitimam ac ſeriam conſcientiæ inquiſitionem) occurrentium, etiam occultorum enumeratio, ſacerdoti ritè ordinato facta, vt per illum ab eis abſoluatur. Ioan.20. Quorum remiſeritis peccata, &c. Leo epiſt.90. Aug. vbi ſuprà.

De Satisfactione.

Satisfactio eſt perſolutio pœnæ plerunque adhuc debitæ poſt remiſſam culpam, quam permanere interdum docet ſuo exemplo Dauid, 2. Reg.12. Huc faciunt Canones pœnit. Concil. Nicæn. Cyprian. Perficitur hæc per preces, ieiunia, & ſimilia pia opera, quæ Deo Opt. Max. ita ſunt grata, vt eius iram placare poſſint, eumque reddere propitium. 3.Reg.21. Cyprian.lib.1.epiſt.3. Auguſt. Enchir. cap.21. Hieronym. contra Iouinian.

Tertull. de pœnit. Cyprian. de lapſis.

De Sacramento Ordinis.

Porrò quia religio Chriſtiana ſua quoque habet myſteria, & ſacra coram Deo peragenda, non ea per quemlibet fieri voluit Chriſtus noui Teſtamenti Archipresbyter, ſed per eos quos ad illa ordinauit. Vnde & ordo Sacramentum eſt, quo vnà cum Spiritus Sancti communione, conſecratis poteſtas confertur ſacra illa myſteria peragendi. Hic porrò varios habet gradus, ſed clericorum

præcipui sunt sacerdotes, quibus solis secundùm Ecclesiæ ritum ordinatis data est à Christo potestas consecrandi verum eius corpus & sanguinem, eadem offerẽdi, peccataque dimittendi. Aug. lib. 2. cont. epist. Par. cap. 13. libr. 1. de Baptis. contra Donat. cap. 1.

Inter hos quidem sunt Episcopi, illis maiores, & dignitate, & potestate, sicuti inter eos præstant aliis Patriarchæ, & ijs omnibus totique adeò Christiano gregi Ecclesiæ Romanæ Episcopus D. Petri Apostolorum principis successor. Vnde omnes ei obedire tenentur, tanquam familię Christi seruo præposito, atq; Christi vicario. Epipha. Aërio. Ambr. in 1. ad Tim. 3. Hierony. epist. ad Damasum. Aug. lib. 2. cont. lit. Petiliani, c. 51. Cypr. lib. 1. epist. 3.

Act. 17. Nunc sacerdotum ordinẽ Christus Do-
Matt. 16. minus duplici armauit auctoritate, præter
1. Cor. 5. Apostolicum docendi ministerium, puta leges ferendi, & excõmunicandi, qua suam gubernari Ecclesiam voluit.

De Ecclesia.

Est autem Ecclesia, visibilis hominum cœtus, à Christo Domino, & Apostolis collectus, in hunc vsque diem Apostolica successione continuatus, in vna fide Apostolica sub Christo capite, & eius in terris Vicario, pastore ac summo Pontifice agens. His enim notis ab omnibus diaboli conuen-

uenticulis secernitur. Extra hanc vnam ueram Catholicam & Apostolicam Ecclesiam nulli speranda est salus. Hieron.ad Damas. August.cap.4.cont. epist.fundam. Hieron. cont.Lucifer.

De Hæreticis.

Sunt autem extra eam non modò qui excommunicantur (qua pęna mortifera nihil est atrocius, aut formidabilius in toto terrarum orbe) sed etiam hæretici omnes, id est, quotquot aliquem fidei arriculum pertinaciter ait non credunt, aut aliter credunt quàm illa vna Christi Ecclesia: siue hic in scripturam relatus sit, siue nō. Fidei enim Christianæ Regula est verbum Dei, siue per Apostolos Euangelizatum, siue à Spiritu sancto aliàs Ecclesiæ reuelatum. Matth.26. 1.Pet.1. Ioan.14.

Regula.

Vnde certa fide tenenda sunt, non solum quæ scripturis expreßè sunt prodita, sed etiam quæ per traditionem Ecclesiæ Catholicæ credenda accepimus, & quæ diffinita sunt super fidei, & morum negotiis per Cathedram Petri, vel Concilia generalia legitimè congregata. Aug.de ciuit. Dei, lib.19. cap.18.

De præceptis Ecclesiæ.

Cæterum quod ad legislatiuam attinet potestatem Ecclesiæ pastoribus à Christo datam, obseruandum est, quicquid de festis

ieiuniis, litanijs, & aliis salutem promouentibus præcipiunt, quod neglectum, aut non obseruatum, conscientiam hominis facit ream; etiam extra casum scandali. Aug. de hæres. Aërij.

Quadragesimam igitur & quatuor tempora, vigilias vsitatas, & alia ieiunia, carniũ abstinentiam, & aliorum, pro regionum varietate seruare debet Christianus, cum opinione necessitatis, sicut & sexta feria, & sabbatho, & diebus Rogationũ à carnibus abstinere, ac publicis Christianorum consuetudinibus se accommodare. Aug. epist. 18. cap. 5. lib. 16. cont. Faust. cap. 10.

De libertate Euangelica.

Hæc atque id genus cætera libertatem Euangelicam adeò non impediunt, nedum tollunt, vt eam magis promoueant, atque eius finẽ facilius nobis concilient, sicuti nec obedientia ciuilis magistratus, aut voti, aut iuramenti obligatio. Est enim à peccatis libertas, & ijs omnibus quæ animum quoquo modo impediunt, quo minus Deo totus seruiat. Epiphan. Aërio.

De Matrimonio.

Verùm quia post baptismum nobis manet carnis stimulus, & ecclesia est propaganda, nequis igitur illo victus à gratia excidat, institutum est à Christo matrimoniũ, quo Sacramento Christi cum Ecclesia cõiunctionem significante, coniugibus gratia datur,

qua

qua adiuti iura matrimonij castè peragant, liberosque Christo Domino educent atque instituant. Quod præterea tam est indissolubile, vt nullo casu post consummationem dissolui queat, altero superstite, qualiscunq; tandem fuerit: Vnde etsi ob fornicationem liceat dimittere, nunquam tamen alteram licet ducere. Concil. Mileuit. cap. 17. Aug. de Nupt. lib. 1. cap. 10. & de bono coniugij cap. 7.

De voto Castitatis.

Sed quia hoc vitæ genere Virginitas, & continentia Deo optimo gratior est, ideò rectè voto firmata, sicut & alia Deo optimo offertur: cuius tanta est obligatio, vt si quis post contrahat, non modò sit irritum, sed incæstum etiam connubium, quod & de clericis maiori ordine initiatis est sentiendum. Vide Epiphan. Hierony. cont. Iouinianum. Aug. super Psal. 75. & de ciuit. Dei lib. 17. cap. 4.

De extrema Vnctione.

Quo denique fortiores mortis acerbissimæ agonem depugnemus, ac peccatorum reliquiis expiati, sponso nostro Iesu hoc exilio liberati præsentemur, appositum est à Christo Domino Sacramentum, quod vnctione (quàm dicimus extremam) confertur. De hac locutum esse D. Iacobum testatur Chrysost. lib. de sacerdot. & Innocentius ad Eugubinum. *Iacob. 5.*

De securitate salutis.

Quamquam interim nemo nostrum sine peccatis viuit, sed quæ Dei iram vt non merentur, aut à regno non excludunt, ita oratione Dominica, Eleemosyna, Ieiunio item
Philip. 2. purgantur assiduè. Cæterùm, quandiu inter
2. Pet. 1. nos hostis infestissimus diabolus versatur, nullam nobis esse securitatem, sed cum timore, ac tremore incolatus nostri tempore salutem esse operandam, vt per bona opera vocationem nostram certam ac firmam faciamus, semper soliciti ne, qui stamus, con-
1. Cor. 10. cidamus, peccati fallacia decepti. Porrò dum
Hebr. 3. cadimus, ac scelere nos polluimus, peccato-
Sap. 1. ve mortali offendimus, non fidem semper nisi infidelitate amittimus: semper verò Spiritum sanctũ à nobis expellimus, iramq; Dei sempiternam commeremur. Aug. Enchirid. cap 70. 71. & 76.

De bonis operibus, & eorum meritis.

Hisce septem Catholicæ Christi Ecclesiæ sacramentis adiuti & instructi, vitam viuimus Christianam, quæ cùm actuosa sit, fieri non potest vt bonorum operum sit steri-
Cor. 15. lis. Hæc autem opera bona Deo non modò
oan. 1. grata sunt, eique per se (quia ex Christi spiritu viuo in Deo sunt facta) placita, verique cultus, sed merita etiam tam præmiorum hac in vita, quàm postea vitæ adeò ipsius æternæ. Sunt enim ita iusta & perfecta, vt eis legem Dei pij impleant. Rom. 12. Imò vt seue-

seuerum Dei iudicium sustinere queant. 1. Timo.4. 1.Ioan.4. Aug.epist.106.

Ad hæc non suis modò prosunt authoribus, dum iram Dei placant, ne nos iudicet ac puniat, sed & alijs quoque pro quibus ea pij aut suscipiunt, aut Deo offerunt, ad peccatorum adeò expiationem, tàm mortuorum quàm viuorum, vt Deus videlicet misericordius cum eis agat, quàm alioqui erat acturus. Hæc August. verba vide serm.31.de verb. Apost. Ench.c.61. & 110. Vide de ciuit. Dei lib.21.cap.27.

De Indulgentijs.

Quin etiam prisca illa Apostolica Ecclesia propter aliorum piorum opera pœnitentibus olim ex more mitigabat pœnam alioqui luendam, teste Cyprian.lib.3.epist.15.16. 18. Tertull. de pœnitentia. Imò illi Corinthio incęsto aliquid pœnitentiæ agendæ remisit, & donauit Paulus, aiunt Theodoretus, OEcumenius, & Theophylactus, propter Timothei preces & aliorum collugentiam tristitiam. Quare indulgentiæ, quæ pœnarum sunt remissio, & imminutio, salutares sunt, ac verè, quod sonāt efficiunt. Concil. Lateran. & Viennense.

De Purgatorio.

Quia verò Christianorum hac vita exuli defunctorum tria sunt genera. I Beatorum cum Christo regnantium. II. Damnatorum in infinitate tormētorum miserorum,

III. Purgandorum à peccatorum reliquiis; ſicut primum nullo noſtrum iuuari poteſt patrocinio; ita tertius variis modis iuuari, & à pœnis quas pendit poſſunt liberari non viuorum tantum precibus, Eleemoſynis, ac ieiuniis, &c. ſed ſalutari etiam Dominici corporis ſacrificio. Auguſt. ſerm. 32. de verb. Apoſtoli. De Ciuit. Dei lib. 21. cap. 15. Ench. 110. Imò ipſi Apoſtoli pro mortuis offerendum docuere; ergò & purgatorium agnouerunt, teſte Chryſ. hom. 69. ad popul. Antioch. Aug. loco iam citato. Greg Niſſeno, & tota totius Eccleſię Africanę Synodo. Cypr. lib. 1. epiſt. 9. Tertul. de exhort. caſtit.

De venerandis imaginibus, reliquijsq; Sanctorum.

Beatos autem homines rectè veneramur, in imaginibus colimus, atque feſtis, ex traditionibus Apoſtolorum, eorum reliquias honoramus, quas & peregrinationibus cohoneſtamus. Aug. epiſt. 103. cum apud eas Deus per Sanctos miracula operetur, quos ritè ad auxilium ferendum, aut mala deprecanda inuocamus. Vt eorum meritis & interceſſione adiuuemur. Aug. de ciuit. Dei lib. 22. c. 8. & cont. Fauſt. lib. 20. c. 21. Vide & D. Hierony. in Thren.

De futuro Iudicio.

Quod ad iudicium Dominus venturus ſit, vt vnicuiq; iuxta opera reddat, piè etiam ab vnoquoq; credendum poſtremò eſt. Tamen

men quo anno aut mense, omnibus est incognitum. Ambr. in Lucam cap. 22. Aug. in Psal. 119. de ciuit. Dei lib. 18. c. 13.

Aug. Hæc mea fides est, quia Catholica est. Hilar. Veritatis aũt ministros vera decet profiteri. Ambr. Christum enim negat qui non omnia quæ Christi sunt, confitetur.

Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis. 2. Ioan. 1.

Quis verè, & germanè Catholicus nuncupari ac dici possit, ex Vincent. Lirinensi.

Ille est verus, & germanus Catholicus, qui veritatẽ Dei, qui Ecclesiam, qui Christi corpus diligit, qui diuinæ religioni, qui Catholicæ fidei nihil præponit, non hominis cuiuspiam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non Philosophiam, sed hæc cuncta despiciens, & in fide fixus, & stabilis permanens, quicquid vniuersaliter antiquitus Ecclesiam Catholicam tenuisse cognouerit, id solùm sibi tenẽdum credendumque decernit, quicquid verò ab aliquo deinceps vno præter omnes, vel contra omnes sanctos nouum & inauditũ subinduci senserit, id non ad Religionem, sed tentationem potius intelligat pertinere.

August. lib. de fide ad Petr.

Firmissimè tene, & nullatenùs dubites, *Cap. 39.*
quemlibet hæreticum, siue schismaticum

in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizatum, si Ecclesiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantascunque eleemosynas fecerit, etsi pro Christi nomine etiam sanguinẽ fuderit, nullatenus posse saluari. Omni enim homini qui Ecclesiæ Catholicæ nõ tenet vnitatem, neque Baptismus, neque Eleemosyna quamlibet copiosa, neq; mors pro nomine Christi suscepta proficere potest ad salutem, quamdiu in ea hæretica, vel schismatica prauitate perseuerat, quæ ducit ad mortem.

Idem.

Cap. 40. Frmissimè tene & nullatenùs dubites, non omnes qui intra Ecclesiã Catholicam baptizantur, accepturos esse vitam æternam, sed eos qui percepto baptismate, rectè viuunt, id est, qui abstinuerunt se à vitiis & concupiscentiis carnis. Regnum enim cœlorum sicut infideles, hæretici, atque schismatici non habebunt, sic Catholici criminosi posside-re non poterunt.

FINIS.

DE

DE DIGNITATE, VITA, ET MORIBVS CLERICORVM,

PRAECIPVE VERO EORUM QUIBUS ANIMARUM CURA DEMANDATA EST,

OPVSCVLVM;

EX SACRIS LITERIS, SS. PAtrum monumentis, Ecclesiasticisq; sanctionibus excerptum.

Per F. NICOLAVM AVRIFICVM, Senensem, Theologum Carmelitam.

PSAL. 131.

Sacerdotes tui induantur iustitia.

IN LIBRVM F. NICOLAI AVRIfici epigramma Ioan. Garentij.

Muneris est CHRISTI *miserantis tempora nostra,*
Prodeat in lucem quòd pietatis opus:
Quòd sacer & cāpus valido findatur aratro,
Omnis ut euelli iam queat herba nocens.
Sæcula nostra viros, quamuis sint mœsta, tulerunt
Antiquis patribus relligione pares,
Obtinet inter quos Nicolaus nobile nomen,
Et decus eximium, cur mereatur, habet:
Haud temerè fuluo cognomen adeptus ab auro,
E veterum campis fulua metalla legens.
Quod si sacrifici versarint aurea scripta,
Aurificus nobis aurea secla dabit.

AVCTORES EX QVIBVS HOC Opusculum depromptum est.

D. Ambrosius.
D. Augustinus.
Beda.
Bernardus.
Canones Apostol.
Cassiodorus.
Celestinus PP.
Cyprianus.
Eusebius PP.
Eugenius PP.
Gregorius.
Gratianus.
Hieronymus.
Hug. de S. Victore.
Innocentius PP. III.
Iuo Carnotensis.
Ioan. Chrysost.
Iudocus Clictou.
Leo PP.
Lucius PP.
Origenes.
Philon Iudæus.
Prosper.
Primasius.
Paschalis PP.
Rabanus.
Siricius PP.
Seneca.
Suida.
D. Tho. Aquinas.
Vincent. Lirinensis.

CONCILIA.

Aurelianense.
Agathense.
Auernense.
Bracharense.
Constantinopolit.
Coloniense.
Carthaginense.
Elibertinum.
Maguntiacum.
Nicenum.
Romanum.
Sexta Synodus.
Terraconense.
Tridentinum.
Toletanum.

INDEX

INDEX CAPITVM, IN HOC OPVSCVLO contentorum.

Quo-

DE EO-

DE EORVM DIGNI-tate. CAP. I.

2. Paral. 29. VOs elegit Dominus vt ſtetis coram eo, & miniſtretis, colatiſque eum, cremetiſque ei incenſum.

Pſal. 44. Conſtitues eos principes ſuper omnem terram.

Matt. 5. Vos eſtis ſal terræ.

Matt. 5. Vos eſtis lux mundi.

Matt. 16. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.

Ioan. 21. Accipite Spiritum Sanctum, & quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.

1. Cor. 4. Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Christi, & diſpenſatores miniſteriorum Dei.

Hieronymus.

Lib. 2. ſuper Ezec. Grandis dignitas ſacerdotum, ſed grandis ruina ſi peccant, lętamur ad aſcẽſum, ſed timeamus ad lapſum. Non eſt tanti gaudij excelſa tenuiſſe, quanti meroris de ſulimioribus corruiſſe. Nec enim ſolum pro noſtris delictis reddemus rationem, ſed pro omniũ quorum abutimur donis, & nequaquam ſumus de eorum ſalute ſolliciti.

Auguſtinus.

Conci. 2. ſup. Pſal. 37. Ioan. 11. Quanta ſit dignitas ordinis ſacerdotalis, cauſſa oſtendit Caiphę, qui cùm eſſet homo peſſimus, prophetauit. quare? quia princeps erat ſacerdotum. Et multum diſtare inter

Diaconum, & ſacerdotem, liber comprobat quem dicimus, Actus Apoſtolorum. Cùm enim ex Samaria credidiſſent Philippo prę-dicanti Diacono ab Apoſtolis ordinato, miſerunt (inquit) ad eos Petrum & Ioannem, vt venirent, & ijs qui crederent darent Spiritum ſanctum per manus impoſitionem. *Actor. 8.*

Idem.

Fœlix ille Sacerdos, ſi ſacerdotaliter vixerit. Fœlix exercitium vbi tractat Chriſtum ſacerdos Dei filium. Cœleſte myſterium quod per ipſum Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus tàm mirabiliter operatur ſuper tàm ineffabili miniſterio ſuo: quòd vno, eodemque momento idem Deus qui præſidet in Cœlo, in manibus ſuis eſt in ſacrificio: & quod datum non eſt angelis, conceſſum eſt homini. Sacerdos hoc ſaramentum ineffabile conficit, Angelus conficienti ſibi quaſi famulus aſſiſtit. Verè veneranda ſacerdotum dignitas, in quorum manibus Dei filius velut in vtero virginis incarnatur.

Ambroſius.

Dignum eſt enim vt dignitas ſacerdotalis prius noſcatur à nobis, & ſic deinde ſeruetur à nobis, vt Pſalmographi ſententia queat repelli à nobis. Homo cum in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Honor igitur fratres & ſublimitas Epiſcopalis nullis poterit comparationibus adequari. Si

Lib. de dignitate ſacerdotali c. 2.
Pſal. 48.

ri. Si Regum fulgori cõpares, & principum diademati, longè erit inferiùs quã si plumbi metallum ad auri fulgorem cõpares: quippè cum videas Regum colla, & principum submitti genibus sacerdotum, & exosculatis eorum dexteris, orationibus eorum credunt se communiri. Quid iam de plebeia dixerim multitudine, cui non solùm præferri à Domino meruit, sed vt eam quoque iure tueatur patrio, præceptis imperatum est Euangelicis? Sic certè à Domino ad

Ioan.21. B. Petrum dicitur: Petre amas me? Et ille: Tu scis Domine, quia amo te. Et cùm tertiò fuisset interrogatus, & trina responsione fuisset subsequutus, repetitum est à Domino tertio. Pasce oues meas. Quas oues, & quem gregem non solùm tunc beatus suscepit Petrus, sed & nobiscum eas suscepit, & cum illo eas nos suscepimus omnes.

Gregorius.

Epist. ad Hermãnũ Episc. Metens. & habetur d. 96. c. quis dubitet.

Quis dubitet sacerdotes Christi, regum, & Principum, omniumque fidelium patres, & magistros censeri? Nonne miserabilis insaniæ esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum conetur sibi subiugare, & iniquis obligationibus illum suæ potestati subiicere, à quo credit non solum in terra, sed etiam in cęlis se ligari posse, & solui?

D. Prosper.

Sacerdotibus propriè animarum curandarum

darum ſollicitudo commiſſa eſt: qui pondus populi ſibi commiſſi viriliter ſuſtinentes, pro peccatis omnium velut pro ſuis infatigabiliter ſupplicant Deo. Qui ac velut quidam Aaron incenſum contriti cordis, & humiliati ſpiritus offerentes, quo placatur Deus, auertunt iram futuræ animaduerſionis à populo, qui per Dei gratiam fiunt diuinæ voluntatis iudices. Eccleſiarum Christi poſt Apoſtolos fundatores, fidelis populi duces, veritatis aſſertores, prauæ doctrinę hoſtes, omnibus bonis amabiles, & malè ſibi conſcijs etiam ipſo viſu terribiles: vindices oppreſſorum, patres in fide catholica regeneratorum, prædicatores cœleſtium donorum: primi præliatores inuiſibilium præliorum, exempla bonorum operum, documenta virtutum, & forma fidelium. Ipſi ſunt Eccleſiæ decus in quibus amplius fulget eccleſia: Ipſi columnæ firmiſſimæ, quibus in Chriſto fundatis, innititur omnis multitudo credentium. Ipſi ianuæ ciuitatis æternę, per quos omnes qui credũt in Chriſtum, ingrediuntur ad Chriſtum. Ipſi ianitores quibus claues datæ ſunt regni cœlorum. Ipſi etiam diſpenſatores regiæ domus, quorum arbitrio in aula regis æterni diuiduntur gradus, & officia ſingulorum. *Lib. 2. de vita Cõtempla. cap. 2.*

Iuo Carnotenſis.

Admonendi ſunt Chriſti ſacerdotes quatenus ſicut excellunt ordinis dignitate, ſic excellant vitæ ſanctitate: vt & plebs eis com- *Serm. de excellentia ſa-*

crorum ordinum. commissa eorum disciplinis edocta, gratanter eis obediat, & eorum imitatione de die in diem proficiat, &c.

Iudocus Clictoueus.

Cap. 2. eiusd. lib. de vita & morib. cleric. Arguit & id magnam sacerdotij dignitatem, quod cum regio principatu, (qui omnium ciuilium administrationum supremus est & eminentissimus) miram habet consonantiam, atque affinitatem. Cuius rei id indicio est: quod apud antiquos ijdem reges erant & sacerdotes. Quinimò & ipsos sacerdotes appellare soliti sunt antiqui reges sacrorum ob conspirationem vnius magistratus cum altero. Apud Ægyptios enim prisca fuit consuetudo ex omni Philosophorum numero sacerdotes eligere, ex sacerdotibus autem regem. *Mercurius.* Qui vt philosophos sapientia, ita religione sacerdotes: ac mox imperio administrando superiores omnes reges transcẽderent. *Trimegistus.* Hinc Mercurium Ægyptij Trimegistum, id est ter maximum nuncuparunt: quòd & philosophus maximus, & sacerdos maximus, denique & rex maximus fuerit. *Virgilius.* Et apud Virgilium describitur rex Anius, rex idem hominum, Phœbique sacerdos. Sed facessant hæc ethnicorum exempla, & ad nostratia potius stilum conuertamus. Melchisedech ille (quem Beatus Paulus ad Hebræos scribens, egregiis *Hebr. 7. Gen. 14.* extollit præconiis) Rex Salem fuisse commemoratur, & idm sacerdos Dei altissimi. Secun-

cundùm cuius ordinem Christus Deus noster sacerdos est in æternum: itidem & Rex *Psal.2.* regum & Dominus dominantium. Ego autem (inquit) constitutus sum rex ab eo super Syon montem sanctum eius: prædicans præceptum eius. Vt omninò intelligatur sacer ille Melchisedech, propinqua fuisse imago atque figura Christi, & in regali imperio, & sacerdotali officio. Nónne etiam Moyses dux fuit Israelitici populi simul & sacerdos? Et Samuel iudiciariam habuit in *Psal.18.* Israël potestatem, etiam & sacerdotalem eminentiam. Moyses (inquit) & Aaron in sacerdotibus eius, & Samuel inter eos qui inuocant nomen eius. Nónne & Heli iudex *1.Reg.1.* fuisse legitur populi in Israël (qui tum summus erat reipublicæ illius principatus) & simul sacerdotij honore insignitus? Simon etiam Machabæus, & qui post eum in Iudęa *1. Mach. 4.* rerum potiebantur vsque ad Herodem regem, duces erant populi necnon sacerdotes. Quinimò in scriptura plerunq; inuenitur sacerdotium, regni titulo atque denominationi coniunctum. Vt cùm Dominus in *Exod.19.* Exodo per Moysęm ait ad filios Israel. Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactū meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, mea est enim omnis terra: & vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta. Vbi sacerdotale vocat regnum, quod præcipuum est singulare & eminentissimum. Quoniam interdum nomine sacer-

dotum signantur in scriptura, qui maiorem cæteris habent authoritatem, & honorabiliorem dignitatis locum, quamuis sacerdotalem non gerant functionem. Vt cum se-
2. Reg. 7. cundus regnorum liber dicit, quòd filij Dauid sacerdotes erant, id est, primores regni, & post regem proximi honorificentia atq; potestate. Non enim ipsi sacerdotio fungebantur: vt qui de tribu Iuda erant, de qua non assumebatur quispiam ad altaris ministerium. Et id certè argumento est sacerdotum nomine regium quiddam & sublime designari. Sed & ex alio loco ostẽdamus sacerdotium regali coniunctum nuncupationi: quem nobis suggerit Beatus Petrus ita
1. Pet. 2. ad fideles scribens. Vos estis genus electum regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Vbi regale vocat sacerdotium, quod regiam quãdam in spiritualibus functionibus præferat potestatem atque authoritatem. Rursum dilectus Deo discipulus de
Apoc. 1. Christo in sua Apocalypsi loquens, ait. Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum & sacerdotes Deo & patri suo. Demùm venerandus ille sanctorum cœtus gratias agens Christo
Apoc. 5. pro susceptis beneficiis in diuina Apocalypsi, in cantico suo nouo cecinit. Redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes, & regnabimus super terram. Quinimò sacerdotalis

functio

functio (vt amplius aliquid adiiciam) eminentior est & sublimior regali potestate. Quòd haec terrena disponat illa cęlestia. Hęc in corpora exercet potentiã & dominatum, illa in animas: haec denique in iis quae Dei sunt, & ad animae spectant curam, illi colla subiicit, & caput inclinat, atque ab ea sacramentorum ecclesiasticorum communionem suscipit. Quantò igitur diuina terrenis, & spiritus carni dignitate praestat, tantò sacerdotalis traditio regiae maiestati est anteferenda. Non tamen inficias ierim, sacerdotes in ijs quę ciuilis sunt facultatis, & ad reipublicae spectant moderationem, terrenis principatibus subiacere, illisq; subiectionẽ & venerationem debere, vt reddant quae sunt Caesaris, Caesari: & quae sunt Dei, Deo. Comprobat planè quod modo propositũ est, eximius pater Hugo de sancto Victore, mysticè exponens id Geneseos verbum: Fecit Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt praeesset diei, & luminare min⁹, vt praeesset nocti. Sunt (inquit) in Ecclesię sanctae firmamento, à domino creata duo magna luminaria, sacerdotium scilicet & regnum, rex & episcopus, princeps & clericus. Dies, spiritualia: nox, secularia praefigurat. Ita luminare maius, scilicet sacerdotium, factum est vt praesit diei, id est spiritualibus. Luminare verò minus, regnũ: vt praesit nocti, id est, secularib⁹. Contrà naturã proinde est, si sol nocti, si pręsit Luna diei. Si princeps

Hugo de S. Victore.
Gen. 1.

ad ſpiritualia ſe ingerat: ſi ſacerdos ſecularium negotiorum tenebris, conſcientiæ ſuę ſerenum obnubilet. Væ nobis, qui in iſta infelicia tempora incidimus: in quibus ſol in tenebras eſt conuerſus. Eya videant ipſi pontifices, quorum vices gerunt, quorum obtinuerunt cathedras, quorum infulis gloriantur: & iudicent ipſi, ſi non eſt ita vt cernimus. Conſiderent quos ſcientiæ radios, quæ virtutum lumina, quas charitatis ſcintillas, quæ ſpiritualium correptionum fulgura ſuis emittebant temporibus, Gregorius, Ambroſius, Auguſtinus, Hilarius, Martinus: & mille alij. Felicia tempora, in quibus tam rarò malus inueniebatur: quàm
Ioel. 2. nunc bonus in Eccleſia inuenitur. Nunc et-
Eſaias 5. iam luna conuerſa eſt in ſanguinem. Nam manus principum plenæ ſunt ſanguine exactionibus, & vectigalibus effundentes viſcera miſerorum, & iuſtificantes impium pro muneribus, & iuſtitiam iuſti auferentes ab eo: Hæc ille. Ecce comparat nunc citatus author ſacerdotiū ſoli & diei: regnum verò lunæ & nocti. Qua collatione liquidò prodit ſacerdotalem authoritatem multò re-
Conſtan. gijs facibus præferendam. Quod etiam non
Magnus. diſſimulanter oſtēdit Conſtantinus ille magnus imperator Romanus. Qui cùm apud Niceam Bithiniæ vrbem, cōuocaſſet totius Eccleſiæ Concilium ad Arrianam hæreſim euellendam, ipſe pro ſua modeſtia Epiſcoporum inibi congregatorum conuentum vlti-

vltimus cum paucis introiuit, inferiorique subsellio (cùm hoc sibi patrū iussione concedi petiisset) resedit. Cumque permulti episcoporum super contentionibus & quærimonijs inter se exagitatis, expetiissent eius iudicium, ipse libellos singulorum expostulationem continentes, sibiq; porrectos sinu tenens, dixit: nequaquam ad se aut iudicem aliquem secularem spectare, iudicium de ijs ferre hominibus, quos Deus in terris constituit omnium iudices. Proinde ad diuinum examen sua referant dissidia, neque à seipso expectent illarum rerum sententiam. Et simul his dictis omnes libellos nullo eorum introspecto in ignem coniecit exurendos: vt refert Eusebius Ecclesiasticæ historiæ libro decimo. *Eusebius.* Magnum præterea eiusdem rei argumentum fuit, quòd vbiq; administrantium sententias imperfectas esse voluit (vt memorat historia tripartita libro primo) & ad Episcopos per appellationem refugiendum esse sanciuit, si qui vellent ciuiles iudices refutare. Firmam verò Episcoporum sententiam fore iudicauit, & potiorem, quàm aliorum iudicum esse voluit: Imò tanquam ab Imperatore foret prolata, ab omnibus obseruandam: à qua ad alios quosuis iudices nullam passus est fieri prouocationem. Fortasse vt hāc referret legem, illud eum diuinum mouit decretum: quod in Deuteronomio promulgatum legitur. Si difficilè (inquit Dominus) & ambiguum *Deut. 17.*

iudicium apud te esse perspexeris inter sanguinē & sanguinem, causam & causam, lepram & leprā, & iudicū intra portas tuas videris verba variari: surge & ascende ad locū, quem elegerit dominus Deus tuus: veniesque ad sacerdotem leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit in illo tempore, quæresq; ab eis, Qui iudicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quæcunque dixerint tibi, qui præsunt loco quem elegerit dominus Deus tuus: & docuerint te iuxta legem eius: sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram vel ad sinistrā. Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat domino Deo tuo, & decreto iudicis: morietur homo ille: & auferes malum de medio Israël, cunctusque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia. Quibus sanè verbis constituit Deus à iudicibus secularibus ad sacerdotes transferendum esse difficilis rei iudicium: & repugnantem sacerdotis decreto morte affici debere. Ex quorum vtroque non mediocre sumitur iudicium dignitatis sacerdotalis.

Magn.

Cap. 3. eiusdem libri. Est & illud dignitatis sacerdotalis non efficax argumentum, quòd apud antiquos plurimi semper æstimata sit, & magno in honore habita. Non solùm apud eos, qui verè in Deum pietatis ac religionis erant

gnari,

gnari, sed & illos, qui ludificamentis dæmonum hallucinati procul ab ea deerrarunt. Apud quos leguntur sui sacerdotes immunitate potiti fuisse, & vacatiõe à pendendo tributo, vectigalibus, & alijs reipublicæ communibus oneribus: & permultis priuilegiis ad maiorem facientibus libertatem præter cæteros donati. Testis huius locupletissim⁹ est liber Geneseos, ita de Ægyptiis sacerdotibus referẽs. Emit ergo Ioseph omnem terram Ægypti, vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis, subiecitque eam Pharaoni, & cunctos populos eius à terminis nouissimis Ægypti vsque ad extremos fines eius, præter terram sacerdotum, quæ à rege tradita fuerat eis, quibus & statuta cibaria ex publicis horreis præbebantur, & idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas Et paulò inferiùs eodem loco. Ex eo tempore vsque in præsentem diem in vniuersa terra Ægypti regibus quinta pars soluitur, & factum est quasi in legem absque terra sacerdotali, quę libera ab hac conditione fuit. Artaxerxes quoque rex Persarum in decreto suo, quod scribit ad Esdram scribam & sacerdotem, inter cætera munificentiæ suæ in templum Domini officia, & illud inserit: Omne quod ad ritum Dei cęli pertinet, tribuatur diligẽter in domo Dei cęli: nè fortè irascatur contra regnum regis & filiorũ eius. Vobis quoque notũ facimus de vniuersis sacerdotibus

Gen. 47.

1. Esd. 7.

& leuiticis, cantoribus, ianitoribus & ministris domus Dei huius: vt vectigal & tributum, & annonas, non habeatis potestatem
3. Esd. 8. imponendi super eos. Idem quoque in tertio Esdræ libro reperitur edictum: vbi etiam immunitas ministrorum templi à tributis ita explicatur: vobis autem dicitur, vt omnibus sacerdotibus, & leuitis, & sacris cantoribus, & seruis templi, & scribis templi huius, nullum tributum, neque vlla alia indictio irrogetur, nec habeat quisquam pote-
Naem. statem obiicere eis quicquam. Næemias Iudæorum dux optimus, cùm deprehendisset sacerdotes, leuitas & cantores, aliosque templi ministros: debitis sibi portionibus primitiarum, oblationum, & decimarum fuis-
Naē. 13. se defraudatos: per rapacitatem & auiditatem Eliazib sacerdotis magni (qui constructo sibi gazophilatio, quæ aliorum erant, sibi congerebat, atque ibidem colligebat) & proinde illos relicto templo cultuque diuino, abiisse in suas regiones, restitit pro viribus tantæ iniquitati in sua absentia perpetratę, & acta coram magistratibus causa, curauit sacerdotibus & ministris templi suas designari partes, atque in horrea congeri, quæ de decimis & oblationibus eis debebantur. Quemadmodum liber Næemiæ vltimo capite plenius refert. Is itaque tanti fecit sacerdotes, vt in faciem restiterit ijs qui partes oblationum illis diuino iussu decretas, detinebant: atque in suos vsus vendicabant.

bant. Quid Alexandrum Magnum memorem? qui infesto agmine animoque infenso vrbem Solymam petens, cùm obuium sibi haberet Iaddum, eo tempore summum Iudæorum sacerdotem pontificalibus indutum vestibus, & ornatissimo sacerdotum atque leuitarum cœtu comitatum, equo desilijt, & pronus in terra sacerdotem magnum veneratus est, quinimò in eo Deum adorauit. Deinde placato animo Hierosolymitanum intrauit templum, & pro regia magnificentia ibidem dona obtulit. Allatisq; Danielis oraculis se ibidem signatum intellexit, qui Persarum vires deberet conterere, eoque regno potiri, & multis priuilegijs, atque immunitatibus totam Iudæorum gentem est prosecutus. Quemadmodum diffusè narrat Iosephus antiquitatis Iudaicæ libro vndecimo. Deinde interiectis aliquot annis Ptolomæus Philadelphus, Ægyptiorum rex, Ptolomæi Lagi filius, ab Eleazaro sacerdotum principe apud Iudæos septuaginta duos viros eruditissimos, qui diuinam sibi legem in Græcum sermonem ex Hebræo traducerent, ad se mitti petiuit atque impetrauit, ob quod plurima & maxima cùm in ipsos interpretes, tum in Iudæos vniuersos beneficia contulit, quorum plurimos antè captiuos libertate donauit, vt scribit Iosephus antiquitatis Iudaicæ libro duodecimo. Prætereà Attila Rex Gothorũ, cùm ex Pannonia in Italiã facta eruptione,

Alexan. Magnus. *Iaddus.* *Iosephus.* *Ptolomaus Philadelphus.* *Attila.*

Romam cum instructissimo peteret exercitu eam perditurus, Leo primus summus Pontifex illi cum honesto ecclesiasticorum virorum cętu occurrit, admonuitque eum, ne in vrbem desæuiret, aut armorum rabie debaccaretur. Alioqui iram Dei in se concitaret, quemadmodum Alaricus vnus ex superioribus Gotthorum regibus, qui statim Dei iudicio post captam vrbem mortuus est: cuius monitis incunctanter obtemperauit Attila, nec vltra versus Romã progressus est. Quod dum simul cũ põtifice loqueretur, cernere duos viros suprà illius caput visus est strictos tenentes gladios, ac mortem ipsi minitantes, nisi pontifici pareret, qui Petrus & Paulus Apostoli fuisse putati sunt in Leonis auxilium illi apparentes. Dimissoque quod cœperat itinere, Attila in Pannonia reuersus est. Insuper quo honore sacerdotalem ordinem prosecutus est Constantinus ille Magnus, quæ in præcedente capite dicta sunt, fidem faciunt. Quo itidem fuerit animo in Ambrosiũ sanctitate, doctrina, & zelo Dei clarissimum, historia tripartita toto noni libri tricesimo capite, dilucidè testatur. Iouinianum item impij Iuliani successor, cùm imperium suscepisset, reuocandorum ab exilio Episcoporũ (quos & Constantinus Arrianus, & apostata Iulianus relegauerant) primam curam habuit. Quibus lata lege consuetudinẽ præbendorum frumentorũ reddidit, quàm constitue-

Alaricus.

Constantin⁹ Magnus.

Iouinianus.

rat

rat Constantinus,& seruari prohibuerat Iu-
lianus, præsertim Athanasium Episcopum Alexandrinum, mille tempestatum procel-
lis & persecutionū turbinibus exagitatum
ab Arrianis in amicitiam & familiaritatem
recepit, atq; in Ægyptum remisit ad suam
ecclesiā moderandam, quæ diutius suo fue-
rat orbata & viduata pastore. Ad hæc: Auxē-
tio Arrianorum præsule defuncto, qui Me-
diolanensem Episcopatum tenuerat, omnes
Episcopos euocans Valentinianus Impera-
tor, admonuit eos ex diuinis eloquijs, id cō-
stare, quòd is esset deligendus Episcopus ec-
clesiæ, qui non verbo solum, sed etā boni o-
peris exemplo subiectos gubernet, & semet-
ipsum totius imitatorem virtutis ostendat,
testemque doctrinæ cōuersationem bonam
habeant. Proinde talem in pontificali sede
constituant, cui & Imperator Romanus re-
rum summam gerens, syncere caput sub-
mittat, & eius monita, vbi tanquam homo
deliquerit, veluti medicamenta animæ sus-
cipiat. Cumque tota synodus imperatori
suggereret, vt ipse magis decerneret quisnā
Ecclesiæ esset præficiendus: & omnes in ea re
suo starent arbitrio. Respondit Valentinia-
nus, ad ipsos omninò hanc spectare electio-
nem. Vt qui virtute & doctrina fulgens me-
lius norit, quisnam Ecclesiæ gubernandæ
esset magis idoneus. Vbi autē paulò pòst ac-
cepit electū communi omniū cōsensu Am-
brosiū, illius loci præfectum ac præsidem, ei

Athanasius.

Valentinianus.

Ambrosius.

electioni tanquam diuinitus factæ mirum in modum congratulatus eſt, dicens. Gratias ago tibi Domine omnipotens, & ſaluator noſter quoniam huic viro ego quidem commiſi corpora, tu autem animas, & meam electionem oſtendiſti iuſtitiæ conuenire. Hæc omnia latiùs refert hiſtoria Tripartita libro ſeptimo. Omitto debita opera, neſim prolixior æquo, Gratianum, Theodoſium minorem, Arcadium, Honorium, Iuſtinianum, optimos imperatores, qui omnes ſacerdotalem ordinem miro coluerunt honore, & ampliſſimis beneficiis exornarunt.

Neque hac in parte, ſua laude fraudandi ſunt inclyti Francorum reges, quibus peculiariter id quondam fuit & conſuetudinarium, periclitanti Apoſtolicæ ſedi, & graui aduerſitatum mole laboranti ferre ſuppetias. Si quidem Carolus Martellus à Gregorio tertio Romano pontifice rogatus: vt illi contra Luithprandum regem Longobardorũ auxilium ferret, per legatos egit, vt is infeſto agmine Romanam premẽs vrbem, ab obſidione diſceſſerit, & in gratiam cum pontifice redierit. Cuius filius Pipinus paternæ virtutis æmulus, rogatu Stephani Secundi ſummi Pontificis exercitum in Italiam aduerſus Aiſtulphum Longobardorum regem, eccleſiaſticam ditionem vexantem bis duxit, ipſumque ad reſtituendum quæcunq; Eccleſiæ abſtulerat, compulit. Ab

Carolus. Martellus.

Pipinus.

hac autem paterna virtute non degenerans Carolus Magnus, Adriani Primi summi pontificis aduersam sortem miseratus, à Desiderio rege Longobardorum grauiter oppresso, cum validissimo exercitu in Italiam profectus est, & Desiderium bello superatum atque captum cum vxore & filiis Leodium relegauit. Leonem itidem tertium summum Pontificem à seditiosis quibusdam vrbe expulsum, idem in Italiam mota expeditione, in suam sedem restituit, sumpto de coniuratis ac seditionis authoribus supplicio. Demùm ad Ludouicum Iuniorem Ludouici Grossi filium velut sacerdotalis dignitatis patronum confugit, fortissimus propugnator Ecclesiasticæ libertatis B. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis sua sede indignè deturbatus: & eodem ferè tempore Alexander Tertius, ab improbis quibusdam vrbe, Italiaque pulsus. Qui libenter Ecclesiæ patrocinium suscipiens, vtrumque eorum suæ sedi cum summa authoritate restituit. Ex his itaque constat, sacerdotalem ordinem apud imperatores, & reges plurimi semper existimatum esse, cum ethnicos, tum veri Dei cultores, & hinc magnam illi dignitatem ornatum atque splendorem accrescere.

Carolus Magnus.

Ludouicus Iunior.

Epilogus.

Tanta est sacerdotum dignitas atque pręstantia, vt nulla sit orbis huius terrena dignitas quæ eis comparari possit. Ipsi enim

Reges sunt, principes, ac totius orbis veri moderatores. Ipsi (vt dicebat Chrysost.) Vinitores sunt, turres, columnæ, medici, duces, doctores, portus, gubernatores, pastores, athletæ, pugnatores, coronas gestantes, & aratores Ecclesiæ Dei. Ipsi cum animarum curam sustineant, illius preciosæ margaritæ curam habent, pro qua emenda, non modò vniuersas diuitias suas profundere ausus est insignis ille negociator Christus, verum etiam & proprium sanguinem. Quare omnibus dignitatibus supereminet sacerdotalis dignitas, solisque sacerdotibus tanta potestas concessa est à Domino, vt claues cœlorum habeant.

DE EORVM NATVRA IN *communi.* CAP. II.

Leui.21. DICIT Dominus ad Moysen. Loquere ad Aaron. Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offerat panes Domino Deo tuo, nec accedat ad ministerium eius. Si *a* cęcus fuerit, si *b* claudus, si *c* vel paruo, vel *d* grandi, vel torto naso, si *e* est fracto pede, vel manu: si *f* gibbus, si *g* lippus, si *h* albuginem habens in oculo; si iugem *i* scabiem: si impetiginem *k* in corpore, vel *l* herniosus: omnis qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre hostias domino, nec panes Deo suo: vescetur tamen panibus qui offeruntur in sanctuario, ita duntaxat, vt iuxta

velum

velum non ingrediatur, nec accedat ad altare qui maculam habet, & contaminare non debet sanctuarium meum.

a Id est, ignorat lumen supernæ contemplationis.

b Id est, non valet viam perfectę viæ tenere quam videt.

c Id est, idoneus non est ad tenendam mensuram discretionis.

d Id est, immoderatæ discretionis fuerit.

e Id est, per viā Domini omnino ambulare non potest, & bonis operibꝰ vacare.

f Id est, pondere terrenę sollicitudinis pręmitur.

g Id est, obscurati ingenij ꝑ carnalia opera.

h Id est, per arrogantiam sapientiæ, vel iustitiæ, lucē veritatis videre non potest.

i Id est, carnis petulantia iugiter grauetur, & vtatur, id est fuerit incontinens.

k Id est, fuerit auarus.

l Aliàs ponderosus. Id est, mala cogitatione continuò grauatus.

Vide Gregor. lib. p. Pastor. cap. vlt.

Prouide autem de omni plebe viros sapientes, & timentes Deum: in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam; & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & Decanos, qui iudicent populum omni tempore. *Exod. 18.*

Sacerdotes qui accedunt ad Dominum sanctificentur, nè percutiat eos. *Exod. 19.* *Psal. 131.* *Luc. 1.*

Sacer-

1. ad Timot. 3. Sacerdotes tui induantur iuſtitia.

Quis putas eſt fidelis, ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis cibum in tempore?

Paulus.

Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Oportet enim Epiſcopum *a* irreprehenſibilem eſſe, *b* vnius vxoris virum, *c* ſobrium, *d* ornatum, *e* prudentem, *f* pudicum, hoſpitalem, *g* doctorem, *h* non vinolentum, *i* non percuſſorem, ſed modeſtum, *k* non litigioſum, *l* non cupidum, ſed ſuæ *m* domui bene præpoſitum, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate. Si quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit? Non Neophitum, ne in ſuperbiam elatus, in iudicium incidat diaboli. Oportet autem & illum teſtimonium habere bonum, ab his qui foris ſunt, vt non in opprobriū incidat, & in laqueum diaboli. Diacones ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe *n* lucrum ſectantes, habentes myſterium fidei in conſcientia pura. Et hi probentur primùm, & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes. Nota. Si quis quærat, Cur ſubticuit hic D. Paulus Presbyteros ſiue ſacerdotes? Reſp. Haimo. Quia in ordine Epiſcopali, comprehenduntur Presbyteri. Eadem verba habes in epiſt. ad Tit. c. 1.

a Id

a Id eſt ſine crimine, & capitali peccato. Haimo.

b Id eſt non duarum Eccleſiarum, nec duarum doctrinarum ſectator, ſed tantum cath. Ambr. de dignit.ſacer. c. 6. id eſt, vnius fidei.

c Non tantum vino, ſed etiam vitiis. Ambroſ. ibid.

d Moribus, virtutibus, & doct. Haimo.

e Prud. ſpiritali. Ambr.

f Caſtum ab omni immunditia. Haimo.

g Cunctarum queat à Catholica repellere hæreſes. Ambr.

h Nè poſtea luxuriam nutriat. Amb.

i Patiens. Ambr.

k Non linguam ad conuitium relaxet. Ambr.

m Id eſt corpori ſuo imperioſo iure dominetur. Ambr.

n Non per vſuram lucra temporalia cumulet. Haimo.

Idem.

Nemo adoleſcentiam contemnat, ſed exemplum eſto fidelium in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate. *1.Ti. 4.*

Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ. Noli negligere gratiam quæ in te eſt per prophetiam cum impoſitione manuũ preſbyteri. Hæc meditare, in his eſto, vt profectus tuus manifeſtus ſit omnibus. Attende

tibi

Epist.4. ad Nepot.Tõ.1. tibi ipsi,& doctrinæ,insta in illis. Hoc enim faciens,& teipsum saluum facies, vt eos qui te audiunt.

Hieronymus.

Clericus qui Christi seruit Ecclesiæ,interpretetur primo vocabulum suum, & nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur. Si enim κλῆρος Græcè, sors latinè appellatur, propterea vocantur clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est pars clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, vt & ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino. *Psal.15.* Qui Dominum possidet, & cùm Propheta dicit, Pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere pooteſt: quòd si quippiam aliud habuerit extra Dominum, pars eius non erit Dominus: verbi gratia. Si aurum, si argentum, si possessiones, si vanam supellectilem; cum istis partibus Dominus pars eius fieri non dignabitur. Si autem ego pars Domini sum, & funiculus hæreditatis eius, nec accipio partem inter cæteras tribus, sed quasi leuita, & sacerdos viuo de decimis, & altari seruiēs altaris oblatione sustentor, habens victum, & vestitum, his contentus ero; & nudam crucem nudus sequar.

Lib. de pœnitentia vera & falsa, c.20.tõ.4 habetur de pœnitentia, d. 6.c. qui vult confiteri.

Augustinus.

Sacerdos cui omnis profertur peccator, ante quem statuitur omnis languor, in nullo

nullo eorum sit iudicandus quæ in alio iudicare est promptus. Iudicans enim alium, qui est iudicandus, condemnat seipsum. Cognoscat igitur se, & purget in se quod alios videt sibi offerre.

Gregorius.

Tantum debet actionem subditorum actio transcendere rectoris, quantum distare solet à grege vita pastoris. Oportet namque vt metire se solicitè studeat quanta tenendæ rectitudinis necessitudine constringitur, sub cuius obstinatione populus grex vocatur. Sit ergo necesse est cogitatione mundus, actione præcipuus, discretus in silentio, vtilis in verbo: singulis compassione proximus, præcunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum iustitiæ erectus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum prouidentiam in internorum solicitudine non relinquens. *In lib. 2. pastor. 2. c. 1. Tō. 2.*

Philo Iudæus.

De qualibet mactata pecude lex iubet duas certas partes eis (id est sacerdotibus) decidi; armum dextrum, & pectoris pinguedinem; quarum altera significat requiri in eis fortitudinem in omni actione legitima, siue dandum, siue capiendum, siue operandum sit quippiam: altera verò animum placatum, & alienum ab ira postulat. *Lib. de honori. sacerd. tom. 2.*

Hunc

Hunc enim aiunt habitare in pectore vbi natura collocauit vim irritabilem, ceu militem in præsidio, munito videlicet compage ossium firmissima, neruis adstricta validis.

Isidorus.

Lib. officiorum. Qui enim in erudiendis atque instituendis ad virtutum populis præerit, necesse est vt in omnibus sanctus sit, & in nullo reprehensibilis habeatur. Qui enim alium de peccatis arguit, ipse à peccato debet esse alienus. Primitùs quippè rector semetipsum corrigere debet, qui alios ad benè viuẽdum admonere studet, ita vt in omnibus semetipsum formam viuendi præbeat, cunctosq; ad bonum opus, & doctrina, & opere prouocet. Cui etiam & scientia scripturarum necessaria est, quia si rectoris tantum sancta sit vita, sibi soli potest prodesse, porrò si & doctrina, & sermone fuerit eruditus, potest cæteros quosque instruere, & docere suos, & aduersarios repercutere, qui nisi refutati fuerint, atque conuicti, facilè possunt simplicium corda peruertere.

Rabanus.

Lib. 3. Inst. clericorum, cap. 1. Institutio ergo Ecclesiastica qualiter ad diuinum officium instrui, oporteat sanctissimum ordinem Clericorum multimoda narratione declarat, quia & scientiæ plenitudinem, & vitæ rectitudinem, & eruditionis perfectionem maximè eos habere decet, qui in quodam culmine constituti guber-

nacu-

naculum regiminis in Ecclesia tenent. Nec enim eis aliqua eorum ignorare licet cum quibus vel se, vel subiectos instruere debent, id est, scientiam sanctarum scripturarum, puram veritatem historiarum, modos tropicarum locutionum, significationem rerum mysticarum, vtilitatem omnium disciplinarum, honestatem vitæ in probitate morum, elegantiam in prolatione sermonum, discretionem in exhibitione dogmatum, differentiam medicaminum, contra varietatem ægritudinum. Hæc ergo qui nescit, non dico aliorum, sed nec suam benè potest disponere vtilitatem, ac ideò necesse est vt futurus populi rector, dum vacat, paret sibi antè arma, in quibus postmodum hostes fortiter superet, & gregem sibi commissum oportunè defendat. Turpè est enim tunc primum quemlibet velle discere, dum debet (pastor constitutus) docere: & periculosum est eum magisterij pōdus subire, qui non scientiæ præsidio fultus, potens est & illud sufferre.

Concilium Auernense.

Episcopus, Presbyter, atque Diaconus tam sancta conscientia resplendeāt, vt effugiant probitate actuum maledicorum obloquia, & testimonium in se diuinum implere contendant, quo Dominus ait: Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, vt videantur opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. *Cap. 6.* *Matt. 5.*

Ex in-

Ex incerto Auctore.

Sacerdos debet esse Christi alumnus,
A peccatis segregatus
Rector, non raptor:
Speculator, non Spiculator:
Dispensator, non dissipator:
Pius in iudicio,
Iustus in Concilio,
Deuotus in choro,
Stabilis in Ecclesia,
Sobrius in mensa,
Prudens in lætitia,
Purus in conscientia,
Assiduus in oratione,
Humilis in congregatione,
Virilis in contritione,
Patiens in aduersitate,
Lenis in prosperitate,
Diues in virtutibus,
Expediens in actibus,
Sapiens in sermone,
Verax in prædicatione.

Suida.

In vita Ioann. Chrysost. Sed eum qui suo loco hominibus ingenuis digno se continet, magnanimum esse decet, non superbum: fortem, non audacem: comem, non abiectum: moderatum, vel modestiæ simulatorem: liberalem, non sordidũ: vt & ipse ait. Quapropter varium esse decet pastorem, & doctorem, varium dicam, non occultum, neque adulatorem, neque

neque contumeliosum, sed libertatis, & cãdoris plenũ: qui se negotiis vtiliter accommodari possit, & seruire tempori leuis simul & austerus. Nec enim eodem modo ab eo qui præest tractandi sunt omnes, cum ne medici quidem sit, eadem medicamenta ægrotis omnibus propinare; neque gubernatoris eundem retinere cursum ventis reflantibus. Deinde cogitare qualem eum esse deceat, quem tantæ tempestati, tot procellis, tot fluctibus obsistere oporteat. Nam & grauem eum esse decet & non insolentem, & formidabilẽ, & placabilem, & imperiosum, & sociabilem, & incorruptum: & obseruantem, & humilem, & inuictũ, & hilarem, & mansuetum, qui hæc facilè certamina confecturus sit. Itaque homo candidissimus, & cordatus cauere debet ne vel ipse aduletur alijs, vel adulari sibi alios patiatur: vt nec arrogans sit, nec adulator: sed ideò quod nimium est in vtroq; malo caueat. itaque liber sit, ne ad contumaciam declinet, aut seruilem in modum se abiiciat.

Marcus Marulus.

Tanta ac talis dignitas sacerdotalis est, vt nulla maior homini conferri possit, & quoniam angelicæ sublimitati exequatur, Sacerdos ipse aliquando in scripturis Angelicus est appellatus. vt illud Malachiæ, Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia *Libr. 5. Euang. cap. 22.* *2.*

Ange-

2. Angelus eſt Domini exercituum. Ioannes etiam in Apocalypſi, ſeptem Angelis, ſeptem in Aſia Eccleſiarum Epiſcopis ſcribere iubetur. hoc eſt, Epheſi, Smyrne, Pergami, Thiatyre, Sardis, Philadelphiæ & Laodiceæ. In his ſingulis ſinguli Epiſcopi erant, & officij ſacerdotalis merito Angeli nominantur. Hoc tamen minus mirabimur, ſi meminerimus ipſum Dei filium Ieſum Chriſtum Sacerdotem factum, Deo patre

Pſal. 109. ad eum dicente, Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. Nihil iſto Sacerdote maius, nihil mirabilius excogitari poteſt, ita nec Sacerdotij honore quicquam præſtantiùs haberi. Cæterùm iuxta

Luc. 12. domini ſententiam, Cui multum datum eſt, multum petent ab eo. Omnibus ergò virtutibus excultum atq; exornatum oportet eſſe Sacerdotem. Vt igitur verè Sacerdos ſit, neceſſaria eſt illi ſobrietas, caſtitas, fides, charitas, iuſtitia, prudentia, ſcientia, terrenarumq́ue rerum contemptus, & cœleſtium deſiderium atque amor. Vt ſit ſobrius, Do-

44. minum audiat in Ezechiele præcipientem,

10. Vinum non bibet omnis Sacerdos, quando ingreſſus eſt atrium interius, quod antè in Leuitico ad Aaron ita dictum eſt. Vinum & omne quod inebriare poteſt, non bibetis tu & filij tui, quando intrabitis in tabernaculum teſtimonij, ne moriamini. Nec aliter nouus Pontifex noſter, Chriſtus monuiſſe ſuos diſcipulos videtur, cùm diceret, Atten-

dite ne fortè grauētur corda veſtra in ebrietate & crapula, & in curis huius ſæculi. Caſtum quoque oportere eſſe Sacerdotem & carnalis copulæ abſtinentem, idem Dominus docuit: Apoſtolis imperans vt præcingant lumbos ſuos, & lucernas ardentes in manibus habeant. Lucernæ in manibus opera iuſtitiæ ſunt, quorum fundamentum caſtitatem eſſe voluit, dum Lumbos prius in quibus generandi vis eſt, reſtringi iubet Balteo caſtitatis. Veteri verò lege ideo conceſſum Sacerdotibus fuit matrimonium, quia ſola tribus Leui & domus Aaron ſacerdotalis erat, nec aliis licebat hoc fungi officio. Ne igitur Leuitarum genus in pauca conclusum deficeret, reparandum per connubia erat. At nunc non carnis quęritur ſucceſſio ſed ſpiritus, tranſlatoque Sacerdotio ad Tribum Iuda, id eſt ad Chriſtum, quicunque Chriſtianus eſt, niſi vxori alligatus fuerit, poteſt eligi in Sacerdotem. Omnes tamen qui Chriſto in Sacerdotio ſuccedunt, caſtos eſſe decet, ſicut & ipſe caſtus fuit, vt noui Sacerdotij tanto purior ſucceſſio ſit quàm veteris, quanto & Sacerdos noſter Chriſtus omnibus qui ante illum hoc munere vſi ſunt, noſcitur eſſe præſtantior. Neq; enim arietum vt olim aut vitulorum ſanguine nunc ſacrificatur, ſed ipſe Chriſtus verus Deus & verus homo, viuus & immortalis, licet aliena ſpecie velatus offertur. Quod ſi etiam Priſcis dictum ſit, Mundamini qui

Luc.12.

Esai.52. fertis vasa Domini, quantò magis nostris conuenit omnis mundities? quibus non solum ferre vasa Domini, sed etiam ipsum dominum quotidie & cõtrectare manibus & ore sumere mos est? Tam igitur mente quàm corpore mundus castusque sit, qui ad eiusmodi ministerium se nouerit esse electum. Imprimis tamen fidelem esse conuenit. Quid enim castitas aut aliqua alia virtus ei prodesse poterit, si qua orthodoxæ fidei pars in illo labascere cœperit? Fide igitur opus est, vt reliqua rectè prospereque succedant. Quis est (inquit) Mat.24. fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore? Familiæ Dei Sacerdotes præpositi sunt, vt verbi exemplique cibo eam pascant, qui si fideles ac prudentes fuerint, beatitudinis quoque magnitudine cæteris præferentur. Sequitur enim, Quem sic agentem inuenerit Dominus, super omnia bona sua constituet eum. vt qui multos fideliter docuit, prudenterque rexit, multis inter Sanctos honorabilior magnificentiorque habeatur. Charitatem etiam præcipuè amplecti debet Sacerdos, vt cui vni commissa cura animarum est. Pro earum salute, si ita casus inciderit, nec sup-Ioan.10. plicia recuset, nec mortem metuat. Bonus enim pastor ponit animam suam pro ouibus suis. Idem præterea iustitiam omnem, quam alios docet, prior impleat, ne quod

verbis

verbis ædificat, ſi aliter ac præcipit vixerit, exemplo deſtruat atque diſſipet. Niſi abundauerit iuſtitia veſtra inquit Dominus, pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Prudentia quoque opus eſt ſacerdoti, ad noxia quæque cauenda, doloſque diaboli declinandos. Inſidiis facilè patebit, niſi per quàm cautè inceſſerit. Eſtote prudentes (ait Saluator) ſicut ſerpentes. Callidiſſimus omnium ſerpens diabolus eſt. Qui ergo non minus prudens erit ad cauēdum, quàm diabolus aſtutus ad nocendum, neque blanditiis eius capietur, neque vim formidabit. Vt autem cautus & circunſpectus fiat ſacerdos, neceſſariam ſibi eſſe ſcripturarum ſcientiam nouerit, intelligentiamque myſteriorum, ſine qua neque ſe ab aduerſario tueri commodè poterit, neque alios vitæ doctrinis rectè inſtruere, aut ad virtutem aptè exhortari. In Aggæo ſcriptum eſt. Interroga Sacerdotes legem: & in Ezechiele de ſacerdotibus loquens Dominus. Populum meum docebunt (inquit) quid ſit inter ſanctum & pollutum, inter mundum & immundū oſtendēt eis, & cum fuerit controuerſia, ſtabunt in iudicijs meis, & iudicabunt. Exigitur ergo à Sacerdote vt eruditus in lege ſit, & quicquid in ſacris literis continetur, pro viribus ediſcat, alioquin Sacerdotio indign⁹ exiſtimabitur, dicente domino per Oſeam Prophetā.

Matt. 5. *Matt. 10.* 2. 44. *Oſea. 4.*

Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te ne ſacerdotio fungaris mihi. Poſtremò loco diximus, præſentium contemptorem eſſe Sacerdotem. Nam ſi Chriſti miniſter fuerit, paruo erit contentus, dum ſumma ſperat, & vt dominum ſuum imitetur, paupertate gaudebit, diuitias contemnet. Neque enim poteſt eſſe talis magiſtri diſcipulus, niſi renunciet omnibus quæ poſſidet, vt caduca reſpuens dignus euadat, cui tribuantur ęterna. Sed ne in veteri quidem lege Leuitis data eſt poſſeſſio in tribubus, vt ſcirent non in terra ſed in cœlo ſibi poſſeſſionem eſſe quærendam, dicente domino ad Aaron, In

Num.18. terra eorum nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos, ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Iſrael. Decimis igitur & eleemoſynis, quæ altari offeruntur, viuat qui ſeruit altari. Quod autem neceſſariò victui ſupereſt, indigentibus tribuat, diſpenſatoremque ſe eſſe agnoſcat bonorum Eccleſiæ, non poſſeſſorem. Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus præceptum eſſe meminerit.

Matt.10. Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris. Qui tibi cum diuitiis, ſi illius Domini ſeruus es, qui non habuit in terra vbi caput reclinaret ſuũ, neque didragmam, qua pro ſe & diſcipulo ſolueret portorium? domini inquam in ſtabulo geni‹t›i, in præſepio poſiti, in cruce nudi, in ſepulchro conditi, alieno nihil denique in hoc ſæculo quaſi ſuum poſſidentis. non

quis

quia non liceret ei frui omnibus si vellet, cũ esset Dominus omnium, sed vt doceret nõ esse ei opus terrenis diuitiis qui ad cęlestes thesauros aspiraret, difficileque esse duobus dominis seruire, Deo & mammonę, difficillimum verò vt quis auri argentique pondere grauatus ad ætheria regna possit conscendere. Ex his igitur quæ dicta sunt, eum sacerdotij honore dignum censebimus, qui sobriè, pudicè, fideliter, piè iusteque vixerit, qui in cauendo prudens, in erudiendo doctus, in concupiscendo modicus, & in obsequendo ei cui se dedicauit, fuerit assiduus. Quisquis autem sese talem in sacerdotio exhibuerit, hic verè erit sal terre, cuius doctrinis cæterorum corda ne in peccatis putrescant condientur. Erit lux mundi, ciuitas supra montem posita, lucerna super candelabrum lucens, vt omnibus conspicuus omnes qui sanctè innocenterq; volent viuere, suo illuminet exemplo, suæ famæ gloria concitet ad virtutem. Hic demùm de terris ad cęlum translatus illorum perpetuo fruetur consortio, illorum perennis beatitatis erit particeps, quibus in psalmo Spiritus sanctus loquitur dicens, Sacerdotes eius induam salutari, & sancti eius exultatione exultabunt. Christum enim induent, eique fœliciter adhærebunt, qui in Ecclesia vices Christi, sicut oportuit, gerere studuerunt.

Matt. 5.

Psal. 131.

Epilogus.

Vt verus ſacerdos quis nuncupari poſſit, & apud Deum gratius, irreprehenſibilis eſſe debet. i. ſine quærela, ac ſine offenſione ſubditis ſuis, quemadmodum & de Zacharia ſcribitur, & D. Paul. de ſeipſo teſtatur. Nam poſtquam ſine peccato eſſe non poteſt, cum omnes peccato ſimus obnoxij, curet ſaltem vt nemini ſit offendiculo: id ſi facere ſtudebit, vero illi ſacerdoti de quo dicitur, quòd ſanctus eſt, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excellentior cœlis factus, qui non habet neceſſitatem quotidiè quemadmodũ ſacerdotes prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populo, aſſimilari (quantum humana fert fragilitas) poterit.

QVIBVS STVDIIS INCVMbere debeant. CAP. III.

Mal. 2. LAbia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem exquirunt de ore eius.

Ioſu. 1. Non recedat volumen legis huius, &c.

Scrutamini ſcripturas quemadmodum ipſæ, &c.

Non recedat volumen legis huius ab ore tuo, ſed meditaberis in eo diebus, ac noctibus, vt cuſtodias & facias omnia quæ ſcripta ſunt in eo. Tunc diriges viam tuam, & intelliges eam.

Io. 5. Scrutamini ſcripturas, quia vos putatis in ipſis vitã habere, & illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me.

D. Pau-

D. Paulus.

Videte nè quis vos decipiat per philoſophiam,& inanem fallaciam , ſecundùm traditionem hominum , ſecundum elementa mundi,& non ſecundùm Chriſtum. *Coloſſ. 2.*

Idem.

Rogaui te vt remaneres Epheſi, cũ irem in Macedoniam, vt denunciares, quibuſdã ne aliter docerent, neque intenderent fabulis,& genealogiis interminatis,quę quæſtiones præſtant magis quàm ædificationem Dei,quæ eſt in fide. *1. Thi. 1.*

Dum venio,attende lectioni,exhortationi,& doctrinæ. *1. Thi. 4.*

Hieronymus.

Sacerdotes Dei omiſſis Euangeliis,& Prophetis,videmus comędias cogere, amatoria bucolicorum verſuum verba cantare, tenere Virgilium in manibus,& id quod in pueris adeſt cauſa neceſſiatis,crimen in ſe facere voluptatis. *Epiſt. ad Damaſ. habetur d. 37. c. ſacerdotes.*

Idem.

Si quis artem nouerit Grammaticam,vel Dialecticam , vt rectè loquẽdi rationem habeat,& inter falſa & vera diiudicet, non improbamus Geometria, Arithmetica & Muſica,habent in ſua ſciẽtia veritatem, ſed non eſt ſcientia illa,ſciẽtia pietatis , ſcientia pietatis eſt noſſe legere ſcripturas , & intelligere Prophetas,in Euangelio credere, Apoſtolos nõ igonrare: Grammaticorũ etiam doctrina *Diſt. 37. C. ſi quis.*

poteſt proficere ad vitã, dum fuerit in meliores vſus aſſumpta.

Ambroſius.

Super Lucam habetur d. 37. c. legimus, Legimus aliqua nè negligantur, legimus nè ignoremus, legimus non vt teneamus, ſed vt repudiemus.

Rabanus.

lib. de præſſu. Eccl. habetur. d.37.c. legimus. Legimus de B. Hieronymo, quòd cum libros *a* legeret Ciceronis, ab Angelo eſt correptus, eo quòd vir chriſtianus paganorum figmentis intẽderet. Hinc etiam filius illc prodigus in Euangelio repræhenditur, qui de ſiliquis quas porci manducabant ventrem ſuum replere cupiebat.

Luc. 15. *a* Nimis aſſiduè & cauſa delectationis, non eruditionis.

Beda.

Super lib. Reg. habetur d. 37. c. turbat. Turbat acumen legentium, & deficere cogit qui eos à legendis ſæcularibus libris omnibus modis exiſtimat prohibendos, in quibus ſi qua inuenta ſunt vtilia, quaſi ſua ſumere licet: Alioquin Moyſes & Daniel ſapientia, & literis Ægyptiorũ, Chaldæorumque non paterentur erudiri, quorum tamen ſuperſtitiones, ſimul & delitias horrebant, nec etiã ipſe Magiſter gentium aliquos verſus poëtarum ſuis vel ſcripturis, vel dictis

1. Cor. 15. ad Tit. 2. indidiſſet. Cur ergo legi prohibentur, quæ tàm rationabiliter legenda probantur? Sed ſeculares literas quidam legunt ad voluptatem, poëtarum figmentis, verborũ ornatu dele-

delectati, quidam verò ad eruditionem addiſcunt, vt errores gentilium legendo deteſtentur, & vt illa quæ in eis inueniuntur, ad vſum ſacræ eruditionis deuoti vertant, tales laudabiliter ſeculares literas addiſcunt.

Epilogus huius Cap.

Ex his facilè conſtare poteſt, munus eſſe clericorum ſedulò ſacris literis vacare, die noctęque eas in manibus habere, in illisque iugiter meditari, poſſunt tamen ſeculares literas addiſcere, vt eorum famulatu Sacræ ſcripturæ perfectiorem cognitionem habeant. Similiter non erit inutile ſi aliquando hæreticorum libros legant, (habita tamen ſuperiorum licentia) vt eorum verſutias cõfutare valeant. Nullo tamen modo licebit incantationibus, aut magicis artibus vacarę. Quod ſi fecerint, iurę erunt deponendi vt ex decretis cauſ.16.q 5.cap. Non oportet: ſiquis Epiſcopus, & Aliquanti clerici, apertè nobis manifeſtatur. Non oportet ſacris officiis deditos, vel Clericos, magos aut incantatores exiſtere, aut facere filacteria, quę animarum ſuarum vincula probantur. hos autem qui talibus rebus vtuntur, proijci ab Eccleſia iuſſimus. *Ex Conc. Laodicēſi c.30.*

IN CLERICO CVRAM ANImarum habente, quanta S. ſcripturarum cognitio neceſſariò requiratur. CAP. IV.

PRæceptum ſempiternum eſt in generationes *Leui.10.*

tiones vestras, vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum, & prophanum, inter pollutum, & mundum: doceatisque filios Israel omnia legitima mea, quæ loquutus sum ad eos per manum Moysi.

Hieronymus.

Ad rusticum Monach. habetur. caus. 16. q. 1. c. si clericatus.

Si clericatus titillat desideriũ, discas quod possis docere, & rationabilem Deo offeres hostiam, nè sis miles priusquam tyro, nè prius magister sis quam discipulus.

Idem.

Ad Nepotianũ. 2. Ti. 3. 1. Pet. 3.

Diuinas scripturas sæpiùs lege, imò nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur, disce quod doceas, obtine eum, qui secundùm doctrinam est fidelem sermonem, vt possis exhortari in doctrina sana, & contradicentes reuincere. Permane in his quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris, paratus semper ad satisfactionem omni poscenti te rationem de ea quæ in te est spe.

Idem.

Super Aggæum ca. 2.

Considera sacerdotum esse officium de lege interrogatos respondere. Si sacerdos est, sciat legem Domini. si ignorat legem Domini, ipse se arguit non esse sacerdotem Domini: sacerdotis est scire legem, & ad interrogationem respondere de lege.

Ambrosius.

De dig. sacerd. c. 4.

Sic polleat Episcopus sapientia, vt non solum creditum sibi populum sufficienter

doceat,

doceat, verum etiam & cunctarum queat hæresum contradictiones à catholica repellere Ecclesia, ne sua imperitia, minimè doceat, & eiusmodi casu præuentus eueniat illi quod scriptum est, si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt. *Matt.15.* Qui verò talem, vt diximus, esse ignorat, sacerdotium minimè appetat: nec locum alterius vsurpare prę sumat, præsertim illius, qui fulgore suæ sapientiæ populorum potest corda lustrare.

D. Augustinus.

Quæ ipsis sacerdotibus necessaria sunt, ad discendum, id est sacramentorum liber lectionarius, Antiphonarius, Baptisterium, computus, canones pœnitentiales, Psalterium, Homeliæ per circulum anni in Dominicis diebus, & singulis festiuitatibus aptę. Ex quibus omnibus si vnum defuerit, sacerdotis nomen vix in eo constabit, quia valde periculosè euangelicæ minæ sunt, quibus dicitur: si cæcus cęco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt. *Dist.38. c. quæ ipsis.* *Matt.15.*

Celestinus Papa.

Nulli sacerdotum liceat canones ignorare, nec quicquam facere quod Patrum possit regulis obuiare; Quæ enim à vobis res digne seruabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliorum libitu, licentia populis frangatur? *Dist.39. c. Nulli.*

Ex sexta Synodo.

Dist. 38. c. omnes. Psal. 118. Omnes psallentes repromittimus Deo. In tuis iustificationibus meditabor: nõ obliuiscar sermones tuos: quod omnes quidẽ Christianos seruare saluberrimum est, sed præcipuè eos qui ecclesiasticam consecuti sunt dignitatem. Vnde definimus, omnem qui ad episcopatus est prouehendus gradũ, modis omnibus psalterium nosse, & ex hoc etiã omnis clerus qui sub eo fuerit ita moneatur, & imbuatur. Inquiratur autem diligenter à Metropolitano, si in promptu habet legem scrutabiliter, & non transitoriè, tàm sacros canones, & sanctum euangeliũ, quàm diuini Apostoli librum, & omnem diuinam scripturam, atque secundùm mandata conseruare, & docere, sibi populum cõmissum; substantia enim summi sacerdotij nostri sunt eloquia diuinitus tradita, id est vera diuinarũ scripturarum disciplina, quẽadmodum magnus perhibet Dionysius. Quòd si disceptauerit, & ita libenter facere, & docere minimè spospondeirit, nullatenus *Osee 4.* consecretur. Ait enim Prophetæ, Deus: Tu scientiam repulisti, & ego repellam te ne sacerdotio fungaris mihi.

Epilogus.

Tanta debet pollere clericus doctrina, quanta ad commissi gregis eruditionẽ sufficiens esse possit: vt bona doceat, mala dedoceat: sciat discernere inter lepram & le-

pram:

pram: mundum, & pollutum: quod quidem si scire neglexerit, sciat se nullam apud Dominum inuenire posse excusationem. Hinc Leo Papa. Si in laicis intolerabilis est in scientia, quanto magis in his, qui præsunt, nec excusatione digna est, nec venia? Item Gregor. in Moralibus. Qui ea quæ Dei sunt nesciunt, à Domino nesciuntur: ipso Paulo testante qui ait: si quis ignorat, ignorabitur. Idem: Qui stultus est in culpa, erit sapiens in pœna.

Dist. 38. c. si in laicis.

Dist. 38. c. Qui ea.

DE PRÆDICATIONIS MVNERE obeundo, & qua ratione.

CAP. V.

AVdies verbum ex ore meo, & annunciabis eis. *Ezec. 3.*

Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam. *Esai. 58.*

Paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis. *Thre. 4.*

Quis putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore? *Luc. 12.*

Simon Io. diligis me plus his? Pasce agnos meos. *Ioan. 21.*

Vhæ mihi, si non euangelizauero.

Non misit me Dominus baptizare, sed Euangelizare. *1. Cor. 4.*

Prædica verbum, insta oportunè, & importunè, opus fac Euangelistæ. *2. Ti. 4.*

Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo *Act. 20.*

vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt adducant discipulos post se. Propter quòd vigilate, memoria retinentes quoniam per trienniũ nocte, & die non cessaui cum lachrymis monens vnumquemque vestrum.

1.Pet.5. Pascite qui in vobis est gregem Dei, prouidentes nõ coactè, sed spontaneè: neq; turpis lucri gratia, sed volũtariè, neq; vt dominantes cleris, sed forma facti gregis.

Augustinus.

Super Apo.hõ. 1.tom. 9. Quia Angelus nuncius interpretatur: Quicunque Episcopus, vel presbyter, vel etiam laicus de Deo loquitur, & quo ad vitã æternam perueniatur annũciat, meritò angelus dicitur.

Hieronymus.

Sup.Leu. habet. d. 37.c.si quis vult. Si quis vult pontifex esse non tam vocabulo, quàm merito, imitetur Moysen, imitetur & Aaron. Quid enim dicitur de eis? quòd non discedebant de tabernaculo Domini. Ergo Moyses indesinenter in tabernaculo Domini. Quid autem ei opus erat? aut vt à Deo aliquid disceret, aut ipse populum doceret. Hæc duo sunt Põtificis opera, vt aut à Deo discat legendo scripturas diuinas, & sæpius meditando, aut populũ doceat. Sed

Pontificis opera.

illa

illa doceat quæ à Deo ipse didicerat, non ex proprio corde, vel humano sensu, sed quæ Spiritus sanctus docet.

Gregorius.

Prępositus sine culpa non est, quãdo verba iustè non audiens, ex sua culpa moritur subiectus. Hunc ipse occidit, quia cũ morti tacendo tradidit. Vbi enim subiectus ex culpa sua moritur, ibi is qui præest, quia tacuit, reus mortis inuenitur. Tot occidimus, quot ad mortem ire tepidi tacentes videmus. *Super Ezech. hom. 2. lib. 1. sup. illa verba. Audiẽs verbum de ore meo.*

Concilium Toletanum.

Quantum quis præcelsi culminis obtinet locum, tantum necesse est præcedat cæteros gratia meritorum, aut in eo quod pręsidet singulis, singulariter ornetur eminentia sanctitatis, habens semper & in ore gladium veritatis, & in opere efficaciam luminis: vt iuxta Paulum, potens sit exhortari in doctrina, & contradicentes reuincere. Hos proinde nostri ordinis gradum, vel suscepti regiminis modum magnoperè cogitare debemus, vt qui officium prædicationis suscepimus, nullis curis à diuina lectione priuemur. Nam quorundam mentes Põtificum, ita corporis vitio à lectionis gratia secluduntur, vt quid doctrinæ gregibus subditis exhibeat, non inueniat præco mutus. Insistendum ergo semper erit maioribus, vt quos sub regiminis cura tuentur, fame verbi Dei perire, non sinant. *Cant. 2.* *ad Tit. 1.*

Con-

Concilium Constantinopolit. 6.

Can.19. Oportet eos, qui præsunt Ecclesiis in omnibus quidē diebus, sed præcipuè Dominicis, omnem clerum, & populum docere pietatis ac rectè Religionis eloquia: ex diuina scriptura colligentes intelligentias, & iudicia veritatis, & non transgredientes iam positos terminos vel diuinorum Patrum traditionem.

Concilium Tridentinum.

Sess.25. sub Paulo 3. c.2. Quia verò Christianæ Reipublicæ non minus necessaria est prædicatio Euangelij quàm lectio, & hoc est præcipuum Episcoporum munus, statuit, & decreuit eadem, sancta synodus, omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & omnes alios Ecclesiarum prælatos, teneri per seipsos (si legitimè impediti non fuerint) ad prædicandum sanctum Iesu Christi Euangelium. Si verò contigerit Episcopos & alios prædictos legitimo detineri impedimento, iuxta formā generalis concilij viros idoneos assumere teneantur ad huiusmodi prædicationis officium salubriter exequēdum. Si quis autem hoc adimplere contempserit, districtæ subiaceat vltioni. Archipresbyteri quoque Plebani, & quicunque parochiales vel alias curam animarum habentes ecclesias, quocunque modo obtinēt, per se, vel alios idoneos, si legitimè impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, & festis solennibus plebes sibi com-

commissas pro sua, & earum capacitate, pascant salutaribus verbis, docendo quæ scire omnibus est necessarium ad salutem annũciandoq; eis cum breuitate, & facilitate sermonis, vitia, quæ eos declinare, & virtutes quas sectari oporteat, vt pœnam æternam euadere, & cœlestem gloriam consequi valeant, &c. Id verò si quis eorum præstare negligat, etiã si ab Episcopi iurisdictione quauis ratione exemptum se esse prætenderet, etiam si Ecclesiæ quouis modo exemptę dicerentur, aut alicui monasterio etiam extra Diocesim existenti forsan annexæ, vel vnitæ modò re ipsa in Diocesi sint, prouida pastoralis Episcoporum solicitudo non desit: ne illud impleatur, Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Itaq; vbi ab Episcopo moniti, trium mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras Ecclesiasticas, seu alias ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur: ita vt etiam si ei sic expedire visum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id præstet honesta aliqua merces persoluatur, donec principalis ipse resipiscens, officium suum impleat.

Idem Concilium. *Sub Pio 4. Sess. 8. qua est 24. c. 4. reformat.*

Prædicationis munus quod Episcoporum præcipuè est, cupiens sancta Synodus quo frequentius possit ad fidelium salutem exerceri, canones alios super hoc editos sub fel. reco. record. Paulo III. aptiùs præsentium

tium temporum vſui accõmodando, mandat vt in Eccleſia ſua ipſi per ſe, aut ſi legitimè impediti fuerint, per eos quos ad prædicationis munus aſſument. In aliis autem Eccleſiis per parochos, ſiue ijs impeditis, per alios ab Epiſcopo impenſis eorum, qui eas præſtare vel tenentur, vel ſolent, deputando in ciuitate, aut in quacunque parte diœceſis, cenſebunt expedire, ſaltem omnibus dominicis, & ſolennibus diebus feſtis: tempore autem ieiuniorum, quadrageſimæ, & aduentus Domini, quotidie, vel ſaltem tribus in hebdomada diebus, ſi ita oportere duxerint, ſacras ſcripturas, diuinamq; legem annuncient; & alias quotieſcunq; id oportunè fieri poſſe iudicauerint.

QVA RATIONE HOC MVNVS exercere debeant. Secunda pars.

HOC munus quod quidem præclariſſimum eſt, per quàm diligẽtiſſimè, multiſque ſeruatis conditionibus eſt exercendum, vt ex Sacris ſcripturis, ex Sanctis Patribus, OEcumenicisque conciliis, colligi poteſt. Primò enim.

Eſai.1. Sincerè, & Catholicè.

Argentum *a* tuũ verſum eſt in ſcoriam, Vinum *b* tuum mixtum eſt aqua.

a Argentum eſt doct. ſcript. de qua Pſal. Eloquia Domini eloquia caſt. arg. igne exa. ſcoria eſt rubigo ſiue ſordes.

b Hæretici euangelicam veritatem corrũpunt,

punt, praua intelligentia, & sunt caupones pessimi facientes de vino aquam.

Ideò habentes hanc administrationem, iuxtà quòd misericordiam consecuti sumus non deficimus, sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis commēdantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo. *1. Cor. 4.* Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundùm pietatem est doctrinæ, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones, & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, cōtentiones, blasphemiæ, suspitiones malæ, conflictationes hominum corruptorum, & qui à veritate priuati sunt, existimantium quæstum esse pietatem. *1. Ti. 6.*

Licet nos aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quòd euangelizauimus vobis, anathema sit, sicut prædiximus. Et nunc iterum dico vobis si quis vobis euangelizauerit, præter id quod accepistis, anathema sit. *Gal. 1.*

Loquere quæ decent sanam doctrinam, verbum sanum, & irreprehensibile. *ad Ti. 2.*

Concilium Coloniense.

Cauebit modis omnibus (Concionator) ne lubricus in docendo sit, huc, illucque effluens. Et in primis ne vento doctrinarum *De disseminatione verbi, cap. 9.*

narum ab Ecclesia Catholica non receptarum, veluti nubes sine aqua circunferatur, sed formam habebit bonorum verborum, ab Ecclesiæ (quæ columna veritatis est) instituto nihil discrepantium.

1.Pet.5. 3. Spontaneè, non coactè.

Pascite qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè, neque turpis lucri gratia, sed voluntariè, neque vt dominantes cleris, sed forma facti gregis.

3. Sacram script. exponendo iuxtà sensum, S. Ecclesiæ doctorum.

Nè trāsgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. Eccl. 8. Non te prætereat ratio seniorum.

Concilium Constantinopol. 6.

Can.19. in medio canon. Si ad scripturam pertinens controuersia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur, quàm quomodo Ecclesię luminaria, & doctores suis scriptis exposuerunt, & maiorem ex his laudem assequentur, quàm si quæ à se dicuntur cōponant, ne dum quandoque ad id hæsitant, ab eo quod conuenit excidant. Per prædictorum enim Patrum doctrinam populi ad eorum quæ sunt bona, & expetenda, & inutilia, ac reiiciēda cognitionem veniētes, vitam in melius componunt, nec ignorantiæ vitio conuincuntur, sed doctrinæ mentem adhibentes, se ipsos ad id ne mali quid eis accidat, excitant, & imminentium suppliciorum metu, sibi salutem procurant.

Pau-

Paulus.

4. Abſque fuco, & Paulus humana perſuaſione.

Et ego cum veniſſem ad vos, non veni in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ annunciãs vobis teſtimonium Chriſti. Non enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Et ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos, & ſermo meus, & prædicatio mea non in perſuaſionibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis, vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei. *1.Cor.2.*

Hieronymus.

In explanatione Sanctarum ſcripturarum, non verba compoſita, & oratoris floribus adornata, ſed eruditio, & ſimplicitas quæritur veritatis. *Super Amos tom.6.*

Idem.

Eccleſiaſtica interpretatio ſi habet eloquij venuſtatem, eam debet diſſimulare & fugere, vt non ocioſis Philoſophorum ſcholis, paucisque diſcipulis, ſed vniuerſo loquatur hominum generi. *Ad Pammach.*

Auguſtinus.

In ipſo ſermone, malit rebus placere quàm verbis, nec exiſtimet dici melius niſi quod dicitur verius: nec doctor verbis ſeruiat, ſed verba doctori. Hoc eſt enim quod Apoſtolus ait. Non in ſapientia verbi, ne euacuetur crux Chriſti. *De doct. Chriſt. c.28.* *1.Cor.1.*

Nota.

Nota. Non est à nobis existimandum vt omnino Euangelico Concionatori eloquentia, & dicendi ornatus prohibeatur, cùm (teste Augustino) magno artificio loquuti sint Propheta & Apostoli, & cum eis quàm plurimi nostrorum doctorum. Sed damnatur eloquentia ostentatio, & nimium studium: debet enim (vt ipsemet dixit) Euang. concionator esse comes sapientia, dux eloquentia: illam sequens, istam pracedens: & sequentem non respuens.

De doct. a. lib. 4. cap. 7.

5. Intelligenter.

Augustinus.

De doct. x. lib. 4. c. 15. Agat quantum potest cum ista dicit, vt intelligenter, vt libenter vt obedienter audiatur.

Idem.

Ibid. c. 8. Non ergo expositores eorum ita loqui debent tanquam seipsos exponendos simili authoritate proponant, sed in omnibus sermonibus suis primitus, ac maximè vt intelligantur elaborēt, ea quantum possunt perspicuitate dicendi, vt aut multum tardus sit qui non intelligat, aut in rerum quas explicare: atque ostendere volumus difficultate, ac subtilitate, non in nostra locutione sit causa, quò minus, tardiusve, quod dicimus possit intelligi.

Idem.

Ibid. c. x. Qui ergo docet vitabit omnia verba quę non docent: & si pro eis alia integra quæ intelli-

telligantur poteſt dicere, id magis eliget: ſi autem non poteſt, ſiue quia non ſunt, ſiue quia in præſentia non occurrunt, vtetur etiã verbis minus integris, dum tamen res ipſa doceatur, atque diſcatur integrè.

6. Abſque contentione.

Paulus.

Noli contendere verbis, ad nihilum enim valent, niſi ad ſubuerſionem audientium.

7. Iuxtà audientium capacitatem.

Paulus.

Et ego fratres non potui vobis loqui quaſi ſpiritualib⁹, ſed quaſi carnalibus: Tanquam paruulus in Chriſto lac potum vobis dedi non eſcam. Nondum enim poteratis, ſed nec nunc quidem poteſtis. Adhuc enim carnales eſtis. *1.Cor.3.*

Idem.

De quo nobis grandis ſermo, & non interpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum. Etenim cum deberetis magiſtri eſſe propter tempus, rurſum indigetis, vt vos doceamini quæ ſint elementa exordij ſermonum Dei. Et facti eſtis quibus lacte opus ſit non ſolido cibo. Omnis enim qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ: paruulus enim eſt. Perfectorum autem eſt ſolidus cibus, eorum qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni, & mali. *Hebr.5.*

Grego-

Gregorius.

Lib. 20. Moral. In hoc videtur indita ſapientia magiſtrorum. Debet enim ſubtiliter qui docet perſpicere, nè plus ſtudeat prædicare, quàm capiatur ab auditore.

Innocentius.

In probe. ſuarum ope. & eſt epiſt. ad Arnulphum. Cant. 1. De his autem pro diuerſitate perſonarum, & rerum debet aliter, atque aliter loqui. Vnde ad ſponſam dicitur in Canticis. Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argēto. Per aurum enim ſapientia deſignatur, per argentum eloquentia. Decenter ergo per murenulas aureas flores ſapiētiæ deſignantur, quibus collum, & pectus Eccleſiæ, id eſt prædicatores, & doctores ornantur. Vermiculatas autem, id eſt diſtinctas, & variatas argento, ſcilicet eloquentia: vt iuxtà varietatem materiæ, vel perſonæ, ſtylus ſermonis & varietur. Ait enim Apoſtol. Sapientiam loquimur inter perfectos: inter vos autem nihil iudicaui me ſcire niſi Chriſtum Ieſum, & hunc crucifixum. Et iterum: Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus, tanquam paruulis in Chriſto lac potum dedi vobis non eſcam. Sapientibus quoque & perfectis (ait veritas increata.) Vobis datum eſt noſſe miſteria regni Dei. Et econtra, rudibus, & infirmis, ait. Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo. Hinc ipſa prudenter iniungit. Nolite ſanctum dare canibus, nec Margari-

garitas mittatis ante porcos: ſed mundis animalibus eſtote ſimiles, quæ ruminant, pater,& vngulam findunt. Debet enim prędicator habere vinum & oleum: virgam & manna: ignem & aquam: ſingula ſuo loco commodè perferenda.

Qui copioſius de hac re videre cupit, conſulat Raban.libr.3. de Inſtitut. Clericorum, cap.37. & Diuus Gregor.lib. 3. curæ Paſtoralis.

8. Abſque aſſentatione, ſiue adulatione.

Deus.

Ne coquas hedum in lacte matris. *Exo.34.*

Paulus.

Si hominibus placerem, Dei ſeruus non eſſem. *Gal.1.*

Marcus Marulus.

Ab aſſentatione autem procul abeſſe peccatorum caſtigatorem decet, vt nihil ad gratiam audientium dicat, ſed ad profectum, optimique medici more vtatur, adhibens vulneribus curationem, non quæ delectet malè affectum, ſed quæ ſanet. Vetat lex hedum coquere in lacte matris ſuæ, hoc eſt peccatorem blanditijs fouere. Non debes quærere tu qui prædicatoris officio fungeris vt hominibus placeas, ſed vt homines ad Deum dirigas. Audi Apoſtolum dicentem: ſi hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. In eo placeas hominibus, in quo places Deo. Alioquin non Dei, ſed hominum eris ſeruus. Multò melius eſt veris offendere *Libr.6. Euang. c.14.*

quàm placere adulando, & malum incusare vt corrigatur, quàm dissimulare vt inualescat.

Scopus prædicationis quis.

Innocẽ.3. in prohe. suarum operum. Principaliter autem ad eruditionem fidei, & ad informationem vitæ tanquã ad fundamentum, & ædificium debet intendere prædicator, confirmando quod dicit, autoritatibus, rationibus, & exemplis: vt funiculus triplex difficilè dissoluatur.

Concilium Coloniense.

De disse. ver. c. 6. Ezec. 18. Ezechiel verò Propheta summã suę prædicationis dominum enarrantem, facit hisce penè verbis. Viuo ego, dicit Dominus, Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Iustitia iusti non liberabit eum, in quacunque die peccauerit, & impietas impij non nocebit ei, in quacunq; die conuersus fuerit ab impietate sua. Qui egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritque iudicium, & iustitiam, & mandatis vitæ ambulauerit, nec fecerit quicquam iniustum, vita viuet, & non morietur: quod Christus breuius complexus est. Pœnitentiam (inquit) agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.

Epilogus harum conditionum ex D. Gregorio.

Homil. 2. super Ezec. tõ. 2. Pensare enim debet doctor quid loquatur, cui loquatur, quando loquatur, qualiter loquatur, & quantum loquatur. Si enim vnum horum defuerit, locutio apta nõ erit.

Scriptum namque eſt: ſi rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccaſti. Rectè atuem offerimus, cum bono ſtudio bonum opus agimus, Sed rectè non diuidimus, ſi habere diſcretionem in bono opere poſtponamus. Conſiderare enim debemus quid loquamur, vt iuxtà Pauli vocem ſermo noſter ſemper in gratia ſale ſit conditus. Penſandum nobis eſt cui loquamur, quia ſæpè increpationis verbum quod hęc admittit perſona, altera non admittit. Et ſæpè ipſa eadem perſona ſecundùm factum fit altera. Vnde Nathan Propheta, Dauid poſt adulterium forti increpationis ſententia percuſſit. *2.Re.12.* qui cum de raptore ouis diceret, Filius mortis eſt hic qui fecit hoc, ei protinus reſpondit dicens. Tu es ille vir. Cui tamen cum de Salomonis regno loqueretur, quia culpa defuit, ei ſe humiliter in adoratione proſtrauit. In vna ergo eademque perſona quia cauſſa diſpar extitit, etiam ſermo propheticus diſſimilis fuit. Penſandum quoque eſt quando loqui debeamus, quia ſæpè etſi differtur increpatio, poſtmodum benignè recipitur. Et nonnunquam langueſcit, ſi hoc quod ante proferri debuit, tempus amiſerit. Nam & ſapiens mulier *1.Reg.25.* Nabal ebrium videns, increpare de culpa tenaciæ voluit, quem digeſto vino, increpationis ſuæ verbis vtiliter percuſſit. Et Propheta adulantium linguas non eſſe in ſubſequenti tempore annunciat, qui ait: Con-

Psal.40. fundantur statim erubescentes, qui dicunt mihi euge, euge. Adulatio etenim si vel ad tempus patienter suscipitur, augetur, & paulisper demulcet animum, vt à rigore suę rectitudinis, mollescat, in delectatione sermonis. Sed nè crescere debeat statim est, & sine mora ferienda. Pensandum quoque nobis est qualiter loquamur, Nam sæpè verba quę hunc ad salutem reuocant, alium vulnerāt. Curandum quoque quantum loquamur, nè si ei qui multa ferre non valet, si verbum vel exhortationis, vel increpationis longius trahimus, ad fastidium auditorem nostrum

Hebr.14. producamus. Vnde idem prædicator egregius Hebræis loquitur dicens. Obsecro vos fratres, vt sufferatis verbum solatij. Etenim perpaucis dixi vobis. Hoc tamen infirmis pręcipuè congruit, vt pauca quidem & quæ præualent capere, audiant, sed quæ eorum mentem in pœnitentiæ dolorem compungant. Nam si eis vno in tempore exhortationis sermo fuerit multipliciter dictus, quia multa retinere non valent, simul amittunt omnia, &c.

ORDO CONCIONANDI QVEM *simpliciores Clerici insequi possunt ex Concil. Coloniens.*

CAP. VI.

De disse. ver. c.22 SImpliciores ac minus eruditi Concionatores festis quibusque diebus concione in nomine Sanctissimæ Trinitatis cum impreca-

precatione gratiæ Dei (nempè vt Dominus ſpiritum verbo addere dignetur) cœpta, initiò ambas lectiones, quæ Epiſtol. ac Euangelium miſſæ eius diei appellantur, ad verbum denarrabunt. Deinde poſt imploratam diuini numinis clementiam regrediantur ad vtriuſque lectionis breuem dilucidationem. Locos aliquot communes ex vtraque deligentes, quibus populus ad vitæ pietatem, charitatemque Dei ac proximi inflammetur. Denuntiabunt quoque quid Eccleſia Dei eo die potiſſimum Deum oret, ac precetur.

Idem.

Sanctorum hiſtoriis ne nimis diu immorentur, quin potior pars (vti diximus) Euangelio detur, & Epiſtolæ explicandis, quòd ſi fabuloſa videbitur hiſtoria, nè attingat quidem: ſi veriſimilis, leuiter: eáq; decerpat, quæ imitanda videantur. Miracula quoque nè impudentius iactentur, niſi quæ ſcripturis prodita, aut à non leuibus ſcriptoribus ſumma cum hiſtoriæ fide tradita fuerint. *Ca. 23.*

Idem.

Si quas allegorias aut ſenſus ſcripturæ reconditiores ſpiritualia ſpiritualibus conferentes adferre velint, hac ex receptis Eccleſiæ doctoribus, veluti Ambroſio, Hieronymo, Auguſt. Chryſoſt. ac ſimilibus comprobatis auctoribus deſument. *Ca. 24.*

Idem.

Cap.25. Vbi ad Calcem concionis deuentum erit, breui epilogo quo argumentum ac capita totius concionis renarrent vtantur. Id enim ad captum ac fulciendam memoriam auditorum plurimum fecerit.

QVOD AVXILIVM DIVINVM implorandum sit ante concionem, ex Augustino. CAP. VII.

4. de doc. Christ. c.15. HÆc se posse si potuerit, & inquantum potuerit, pietate magis orationũ, quàm oratorũ facultate non dubitet. vt orando pro se ac pro illis quos est allocuturus, sit orator, antequam dictor. Ipsa hora iam vt dicat accedens, priusquam exerat proferentẽ linguam, ad Deum leuet animam sitientẽ, vt eructet quod bibent, vel quod impleuerit fundat. Cùm enim de vnaquaque re, quæ secundùm fidem, delectationemq; tractanda sunt, multa sint quæ dicantur, & multi modi quibus dicãtur ab eis, qui hoc sciunt, quis nouit quid ad præsens tempus vel nobis dicere, vel per nos expediat audiri, nisi qui corda omnium videt?

De contritione ante concionem habenda.

Vbi sup. Quia puluis inanis gloriæ pedibus prædicatorum frequenter adhæret, debet vtiq; prædicator excutere puluerem de pedibus suis, ipsosque compunctionis aqua lauare, vt mundus sit totus, ne fortè cum aliis prædicauerit, ipse reprobus fiat.

Euan-

Euangelici Concionatoris vera conditiones. Ex Conc.Colon.

Nemo erit Concionator abſolutus, cui præter vitam exemplarẽ, non adſint omnia quæ ſequuntur: nempè cognitio ſcripturarum vtriuſque teſtamenti, ingenium velox, ſolers, atque verſatile: eloquentia vehemẽs, ſuadibilis, & ſuauis, neque interim minus temperata quàm copioſa: prudentia rerum ac perſonarum docendarum, experientia multiplex, immobilis conſtantia. Denique ſpiritus, qui ſi deerit, reliquis donis parum profecerit. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri. *Ibid.c.8.*

Innocentius III. de eiſdem.

Prædicator debet habere aurum, argentum, & balſamum: videlicet ſapientiam, eloquentiam, & honeſtatem, vt quod dicit intelligat, & quod dixerit, & intellexerit, agat. Nam qui fecerit & docuerit, magnus vocabitur in regno cœlorũ. Alioquin dicetur ei, Medice cura teipſum: ſimilis ficulneæ quæ folia ſine fructu producit. *Vbi ſuprà.* *Matt.5.* *Luc.4.*

DE VICTV.

CAP. VIII.

1. Sobriè viuant.

Vinum & Mulieres apoſtatare faciunt ſapientem. *Eccl. 19.*

Attendite ne grauentur corpora veſtra crapula, & ebrietate. *Luc.24.*

1.Tim.1. Modico vino vtere propter ſtomachum tuum.

1.Pet.5. Fratres ſobrij eſtote, & vigilate in orationibus.

Euſebius Papa.

Decr.4. Oportet Epiſcopum moderatis epulis contentum eſſe, ſuosq; conuiuas ad comedendum, & bibendum nō vrgere, quin potius ſobrietatis præbeat exemplum. Remoueantur ab eius conuiuio cuncta turpitudinis argumenta, non ludicra ſpectacula, non fatuorum ſtultiloquia, non ſcurrilium admittantur præſtigia. Adſint peregrini, pauperes, & debiles, qui de ſacerdotali menſa Chriſtum benedicentes, benedictionem percipiant.

Concilium Trident.

Seſſ.2. ſub Paulo 3. Et quoniam oportet Epiſcopos irreprehenſibiles eſſe, ſobrios, caſtos, domui ſuæ benè præpoſitos, hortatur etiam, vt ante omnia quilibet in mēſa ſeruet ſobrietatem, moderationemque ciborum, deinde cum in eo loco ſæpè otioſi ſermones oriri ſoleāt, vt ipſorum Epiſcoporū menſis diuinarum ſcripturaram lectio admiſceatur.

Idem.

Seſſ.9. ſub Pio 4. c. 1. refor. Quapropter exemplo Patrum noſtrorum in Concilio Carthaginenſi, non ſolum iubet vt Epiſcopi modeſta ſupellectili, & menſa ac frugali victū contenti ſint, verumetiam in reliquo vitæ genere ac tota eius domo caueant nè quid appareat, quod à

ſancto

sancto hoc instituto sit alienum: quodque nõ simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præseferat.

2. Delicatos cibos non quærant.

Hieronymus.

Natus in paupere domo, & in tugurio rustico, qui vix milio, & cibario pane rugiẽtem saturare ventrem poteram, num, similam & mela fastidio. Noui genera & nomina piscium, in quo litore concha lecta sit, calleo: saporibus auium discerno prouincias, & ciborum me raritas, ac nouissimè damna ipsa delectant. *Epist. ad Nepotia. Tom. 1.*

Idem.

Quid prodest oleo non vesci, & molestias quasdam difficultatesque ciborum quærere, carycas, piper, nuces, palmarum, fructus, similam, mel, pistacia? Tota hortorum cultura vexatur, vt cibario non vescamur pane: & dum delicias sectamur, à regno cœlorum retrahimur. Audio præterea quosdam, cõtra rerum hominumque naturam aquam non bibere, nec vesci pane, sed sorbitiunculas delicatas, & cõtrita olera, baccarumq; succum non calice sorbere, sed concha. Proh pudor, non erubescimus istiusmodi nuptiis, nec tædet superstitionis? Insuper famam abstinentiæ in delitiis quærimus.

3. Sæcularium conuiuia fugiant.

Hieronymus.

Conuiuia tibi vitanda sunt sæcularium, &

maximè eorum, qui honoribus tument: Turpe est ante fores sacerdotis Christi crucifixi, & pauperis, & qui cibo quoq; vescebatur alieno, lictores consulum, & milites excubare, iudicemque prouinciæ melius apud te prandere, quàm in palatio.

4. Christum habeant commensalem.

Hieronymus.

Mensulam tuam pauperes & peregrini, & cùm illis Christus conuiuia nouerit. Vide idem suprà in decreto Euseb.

4. Ebrietatem vitent.

Vinum, & omne quod inebriare potest, non bibes tu, & filij tui quando intrabitis in tabernaculum testimonij.

Attendite ne grauentur corpora vestra crapula, & ebrietate.

Non vinolentum. Item Petr. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.

Canones Apostolorum.

Can. 42. dist. 35. c. Episc. Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus aleæ, atque ebrietati deseruiens, aut desinat, aut certè damnetur: Subdiaconus autem, aut lector, aut cantor similia faciens, aut desinat, aut communione priuetur: similiter & laicus.

Hieronymus.

Habetur d. 35. cap. Luxurio-sa. Luxuriosa res est vinum, & contumeliosa ebrietas: omnis, qui cum his miscetur, non erit sapiens.

Idem.

Idem.

Ecclesiæ principes, qui in delitiis affluunt, & inter epulas atq; lasciuias pudicitiam seruare se credunt, propheticus sermo descriuit, quòd eiiciẽdi sunt de spatiosis domibus, lautisque conuiuiis, & multò labore epulis conquisitis. Et si vis scire quo eiiciendi sunt propter malas cogitationes, & opera sua, euangelium lege: In tenebras sc. exteriores, vbi erit fletus, & stridor dentium. An non confusio & ignominia est, Iesum crucifixum pauperem, & esurientem fartis prædicare corporibus, & ieiuniorum doctrinam rubentes buccas tumentiaque ora proferre? Si in Apostolorum loco sumus, non solũ sermonem eorum imitemur, sed etiam conuersationem & abstinentiam.

Super Micheã habetur dist. 35. c. Ecclesiæ.

Idem.

Vinolentum sacerdotem & Apostolus damnat, & vetus lex prohibet: Sacerdotes, qui ministrant in templo Dei, prohibentur vinum, & siceram non bibere, ne crapula, & ebrietate aggrauentur corpora eorum. Sicera Hebræo sermone omnis potio nuncupatur, qua quis inebriari potest; quicquid inebriat, statum mentis euertit: fuge similiter & vinum in quo est luxuria. Nolite (ait Apostolus) inebriari vino in quo est luxuria: qui altari deseruit, vinum & siceram non bibat, sponsa Christi vinum fugiat vt venenum, vinum, & ebrietas incendium est.

Ibi. cap. Vinolentum.

5. Ad eorum mensam semper sacra lectio audiatur.

Concilium Toletanum.

Can. 7. & habetur d. 44 c. pro reuerentia. Pro reuerentia Dei, & sacerdotum, id vniuersa constituit synodus, vt (quia solent crebro mensis ociosæ fabulę interponi) in omni sacerdotali conuiuio lectio diuinarũ scripturarum misceatur. Per hoc enim & animæ ædificantur, & fabulæ non necessariæ prohibentur.

Eusebius Papa.

Can. 4. in fine cap. Recitetur (suple in conuiuio sacerdotum) sacra lectio, subsequatur viuæ vocis exhortatio, vt non tantum corporali cibo, imò verbi spiritualis alimento conuiuantes se refectos gratulentur, vt in cibis honorificetur Deus per Iesum Christum Dominum nostrum.

Idem habetur in Concil. Trid. Sess. 2.

DE IEIVNIO SERVANDO.

Hieronymus.

Epist. ad Nepotia. Tom. 1. Tantum tibi ieiuniorum modum impone, quantum ferre potes, sint tibi pura, casta, simplicia, moderata, & non superstitiosa ieiunia.

Epilogus.

Non modò debent clerici ebrietatem tanquam pestem ac venenum fugere, *a* tabernasq; non nisi necessitatis causa adire, quas quidem ingredi vnicuiq; morigerato semper indecorum fuit, verumetiã sobrietatem ante

ante omnia amplecti, vilioribus potius quã præciosis cibis vesci; conuiuiis sæcularium non interesse. Christum, id est pauperes, & peregrinos ad mensas suas vocare; & demũ ne animus omninò ieiunet, sacram lectionem edendo indesinenter audire.

a Vt habetur ex Concil. Carthag. 3. cap. 27. Item & in Laodiceno Conc. cap. 24. & habetur etiam d. 44. c. Non oportet. Verba autem Concilij Carthag. hæc sunt. Clerici edendi, vel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi.

DE VESTITV.

CAP. IX.

Visitabo super eos, qui vestiuntur veste peregrina. *Sophon. 1.*

Qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. *Matt. 11.*

Hieronymus.

Vestes pullas æquè deuita, vt candidas. Ornatus vt sordes, pari modo fugiẽdæ sunt: quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. Non absque amictu lineo incedere, sed precium vestium linearum non habere, laudabile est: alioquin ridiculum, & plenum dedecoris est, referto marsupio, quod sudarium, orariumque non habeas gloriari. *Ad Nepot. tõ. 1.*

Idem.

Vestis ipsa vilis & pulla, animi tacentis indicium est. *Epist. 47. tom. 1.*

Idem.

Ibid. Nitens cutis sordidũ ostendit animum.

Idem.

In Epita. Nepot. ad Heliodo. Excepta vili tunica, & operimento pari, quo tecto tantum corpore frigus excluderet, nihil sibi amplius reseruauit. Cultus ipse prouinciæ morem sequens, nec munditiis, nec sordibus notabilis erat.

Concilium Carthag. 4.

Can. 45. habetur d. 41. c. clericus. Clericus professionem suam & habitu, & incessu probet; & ideò nec vestibus, nec calciamentis decorem quærat. Addit Gratianus.

Sicut ergo in cibis mores eorum cũ quibus viuimus obseruare monemur, sic & de indumẽtis intelligendum est. Vt enim alibi dicitur, quisquis contemptis his cum quibus viuit lautiora sibi, sed austeriora præ cæteris indumenta, vel alimenta quærit, aut intemperans sui, aut superstitiosus est.

Concilium Trident.

Sess. 14. cap. 7. Quia verò etsi habitus non facit monachum, oportet tamẽ clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, vt per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant. Tanta autem hodie aliquorum inoleuit temeritas, religionisque contemptus, vt propriam dignitatem, & honorem clericalem parui pendentes, vestes etiã deferant publicè laicales, pedes in diuersis ponẽtes, vnum in diuinis, alte-

alterum in carnalibus. Propterea omnes ecclesiasticæ personæ quantumcunq; exemptæ, quæ aut in sacris fuerint, aut dignitates, personatus, officia, aut beneficia qualiacumque ecclesiastica obtinuerint, si postquã ab Episcopo suo etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum clericalem illorum ordini, & dignitati congruentem, & iuxta ipsius Episcopi ordinationem, & mandatum non detulerint, per suspensionem ab ordinibus ac officio, & beneficio, ac fructibus, redditibus ipsorũ beneficiorum, nec nõ si semel correpti denuò in in hoc deliquerint, etiam per priuationem officiorum, & beneficiorum huiusmodi coerceri possint, & debeant. Cõstitutionem Clementis Quinti in Concilio Viennensi editam quæ incipit, Quoniam, innouando, & ampliando.

Concil. Coloniens.

Beatissimus Paulus habitus modestiam & in mulieribus desiderat, quem vult verecundum esse: non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste præciosa, sed quod decet mulieres, promittẽtes pietatem per opera bona. Itidem Apostolus Petrus eas commendat, quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus, sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti, & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuplex; quàm turpis ergo putan-

De vita cler. c. 26.
2. Tim. 2.
1. Pet. 3.

putanda est in clericis tanto gradu sublimioribus deformissima illa, ac frequentissima nostræ tẽpestatis habituum variatio, quam ne infirmiori quidem vasculo, Apostolorũ principes promittendam duxerũt? Ex veste apud homines sanctimoniæ opinionem aucupari prohibuit Christus, qui in omnibus operibus nostris id quod intus est primum respicit, mundarique iubet, deinde quod foris est, Væ illud horrendum Phariseis interminans, qui vt viderentur ab hominibus iusti, dilatabant philacteria sua, & magnificabant fimbrias, cùm essent intus pleni rapina, & immunditia. Interim tamen, Euan-
Matt. 3. gelium non temerè vestimentum Io. Baptistæ (quod illius professioni ac mẽti respondebat) de pilis camelorum contextum celebrat, ac ipse Christus vestium mollitiem, ac
Matt. 11. lenitatem auersatur. Ecce (inquiens) qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Quæ omnia huc spectant, vt velimus clericos præter indictam tonsuram, vestes quoque suo ordini congruentes deferre, quemadmodum in concilio generali cautum est. Pudet siquidem nos cum videmus prodire clericos, perinde atque sæculi milites amictos, vel qui sint vt fœmina compti. Itidem pannosi clerici, ac vestibus laceri, displicent. Neque enim affectatæ sordes, aut exquisitæ delitiæ laudem pariunt.

Epilogus.

Condecenti habitu vti debent clerici: qui

qui-

quidem dignitati, professioni, & ætati conueniat. vt facilè ex corporis amictu, indicent quid sint.

DE SVPPELLECTILIBVS. CAP. X.

Concilium Carthag. 4.

EPiscopus vilem suppellectilem, & mensam, ac victum pauperem habeat, & dignitatis suæ auctoritatem fidei, & vitæ meritis quærat: hospitium quoque non longè ab Ecclesia habeat. *Can. 15. habetur d. 41. c. episc.*

Concilium Tridentinum.

Quapropter exemplo Patrum nostrorum in Concilio Carthaginensi, non solum iubet vt Episcopi modesta suppellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint, verùm etiam in reliquo vitæ genere, ac tota eius domo, caueãt ne quid appareat quod à sancto hoc instituto sit alienum; quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præseferat. *Sess. 9. sub Pio 4. ca. 1. refor.*

CVM QVIBVS COHABITARE debeant. CAP. XI.

CVm sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris. Et cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris. *Psal. 17.*

Inueni amariorem morte mulierem, quę laqueus est venatorum, & sagena cor eius, vincula sunt manus eius, qui placet Deo effugiet *Eccl. 7.*

fugiet eam, qui autem peccator est, capietur ab illa.

Ibid. 9. Colloquium mulieris quasi ignis exardescit.

Ibid. 42. In medio mulierum noli commorari, de vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.

1. Tit. 5. Adolescentiores viduas deuita.

Siricius Papa.

Habetur dist. 31. c. Fœminas. Fœminas, non alias in domo clericorum esse patimur, nisi eas tantum quas propter solas necessitudinis causas habitare cum eis synodus Nicæna permisit.

Hieronymus.

Ad Nepot. tō. 1. Hospitiolum tuum aut raró, aut nunquam mulierum pedes terant, omnes puellas, & virgines Christi aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne sub eodem tecto mansites, nec in præterita castitate confidas. Nec sanctior Dauid, nec Samsone fortior, nec Salomone potes esse sapiētior. Memēto semper quòd paradisi colonū de possessione sua mulier eiecerit. Ægrotanti tibi, quilibet sanctus frater assistat, & germana vel mater, aut probatæ quęlibet apud omnes fidei, quòd huiuscemodi non fuerint consanguinitatis, castimoniæq; personæ, multas anus nutrit Ecclesia, quæ & officium præbeant, & beneficium accipiant ministrando, vt infirmitas quoq; tua fructum habeat eleemosynæ. Scio quosdam conualuisse corpore, & animo ægrotare cæpisse. Periculosè tibi ministrat,

niſtrat, cuius vultum frequenter attendis. Et pòſt pauca. Caueto omnes ſuſpitiones, & quicquid probabiliter fingi poteſt, ne fingatur, ante deuita. Crebra munuſcula, & ſudariola, & faſciolas, & veſtes ori applicitas, & oblatos, ac deguſtatos cibos, blandaſque & dulces literulas ſanctus amor nõ habet. Mel meum, lumen meum, meum deſiderium, omnes delicias & lepores & riſu dignas vrbanitates, & cæteras ineptias amatorum in comœdiis erubeſcimus, in ſæculi hominibus deteſtamur: quanto magis in Monachis, & in clericis, quorum & ſacerdotiũ propoſito, & propoſitum ornatur ſacerdotio.

Cyprianus.

Ipſi ergo nos fallimus quoties inordinaliter credimus, æſtimantes per fidem noſtram legis præcepta mutari, vt inter maſculos & fœminas ſperemus paſſim caſtitatem immobilem cuſtodiri. Difficilè quis venenum bibet, & viuet. Verendum eſt dormienti in ripa, ne cadat: cùm dicat Apoſtolus, qui ſe putat ſtare, videat ne cadat. In hac parte expedit plus benè timere, quàm malè fidere. Et vtilius eſt infirmum ſe homo cognoſcat, vt fortis exiſtat, quàm fortis videri velit, & infirmus emergat. De qua re præſumptores obiurgat Apoſtolus, dicens. Si quis putat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit.

Lib. de ſingul. clericorum.

1. Cor. 10.

Auguſtinus.

Non decet clericum cum mulieribus ſedere,

Ser. 37. ad fratres in Eremo. dere, vel fabulari, vel domum eius frequentare, ne suspicio mala inde progrediatur. O quàm vilis, ô quàm miser, & pusillanimis reputatur clericus qui frequenter cum mulieribus conuersatur? Insipiens valdè est, & inexpertus qui amicitias mulierum procurat. Et ideò vos qui estis lux mundi, & ciuiuitas in monte situata, sic famam vestram custodire debetis, vt non erubescant de detractoribus laudatores. Attendite etiam fratres, attendite quod dicit Apostolus. *Eph. 5.* Fornicatio, & immunditia non nominetur in vobis. Fornicatio enim est naturalis mulierum concubitus, sed illicitus. Fornicatio est cum meretrice agere. Mulier siue adultera, siue concubina, meretrix vocatur. Fornicatio enim ideò clericis interdicitur, quia cum simus ministri domini, membra meretricis non efficiamur. O quàm turpe est clericum à meretrice duci captiuum. Qui enim adheret meretrici, vnum corpus efficitur cum *1. Cor. 6.* ea. Et ideò scire debemus, quod malum est fornicari. Nam si coniugium sacerdotibus prohibetur, quantò magis crimen fornicationis in nobis æstimabitur? Ecce enim fratres laicis coniugatis ad tempus abstinere præcipitur, vt vacent orationi, & sacerdotes quos corpus Domini consecrare omni die oportet, concubinas in domo tenere non erubescunt? Ecce quomodo vasa vestra possidere in sanctificatione sciatis. Scitis enim fratres quòd die quadam Dauid venit ad

Abimelech sacerdotem, & ait Dauid esuriens. Da mihi aliquid cibi. Et respondit: Non habere panes laicos ad manus, sed tantum panem sanctum: & ideò dic mihi ô Dauid, sunt mundi pueri tui, à mulieribus? & ait. Sunt ab hæri, & nudius tertius. Et sic dedit sacerdos eis sanctificatum panem. Si ergo interrogauit sacerdos, vtrum serui Dauid mundi essent propter panes propositionis accipiendos, quid facere nos debemus miseri propter corpus Domini accipiendum? O fratres mei, sic & sacerdotes paganorum, dum offerre debent diis suis incensa, ab omni malo, vt possunt abstineant. Ego Episcopus Hyponensis eram, & cùm quibusdam seruis Christi ad Æthiopiam perrexi, vt eis sanctum Christi Euangelium prædicarem, & vidimus ibi multos homines ac mulieres capita non habentes, sed oculos grossos fixos in pectore, cętera membra æqualia nobis habentes, inter quos sacerdotes eorum vidimus vxoratos, tantæ tamen abstinentiæ erant, quòd licet vxores sacerdotes oēs haberent, nunquam tamen nisi semel in anno eos tangere volebant, qua die ab omni sacrificio abstinebāt. Vidimus & in inferioribus partibus Æthiopiæ homines vnum oculum tantum in fronte habentes, quorum sacerdotes à conuersationibus hominum fugiebant, ab omni libidine carnis se abstinebāt, & in septimana in qua diis suis offerre debebant, ab omni labe carnis abstinebāt se, nihil

1. Reg. 21.

NOTA.

ſe, nihil ſumebant niſi metretam aquæ per diem, & ſic contenti manentes, dignum ſacrificiũ diis ſuis offerebant. O grandis Christianorum miſeria, Ecce pagani doctores fidelium facti ſunt, & peccatores & meretrices præceſſerunt fideles in regno Dei. Non ergò ſic fratres, non ſic, dominum non tantum diligamus ore, ſed opere, & veritate. Tunc veri eius miniſtri erimus, ſi ſobriè, & iuſtè, ſi caſtè vixerimus.

Gregorius.

In regiſtro & habetur diſt. 81. c. legitur.

Legitur quòd B. Auguſtinus nec cum ſorore habitare conſenſerit, dicens: quę cum ſorore mea ſunt, ſorores meæ non ſunt. Docti ergo viri cautela, magna debet eſſe inſtructio.

Idem.

Diſ. 81. c. oportet.

Oportet ſacerdotes quibus Domini populus commiſſus eſt, cum magna conſtantia vigilare ſuper dominicas oues, ne lupinis morſibus, id eſt diaboli lanientur. Neque enim hoc ſilere (quòd cum graui animi triſtitia, & amaritudine dico) ſacerdotes cum fœminis habitare conſpicio, quod nefarium eſt dicere vel audire, & contra ſanctorum Canonũ ſancita. Vbi enim talis fuerit commorantium habitatio, antiqui hoſtis ſtimuli non deſunt, &c.

Can. 3. habetur d. 32. c. interdixit.

Concilium Nicænum.

Interdixit per omnia ſancta Synodus, nõ Epiſcopo, non Presbytero, nõ Diacono, non Subdiacono, non alicui omnino, qui in clero eſt,

eſt, licere ſubintroductam habere mulierem; niſi fortè aut matrem, aut ſororem, aut amitam, aut etiam eas idoneas perſonas quæ fugiant ſuſpitiones.

Concilium Carthag. 4.

Cùm omnibus omnino clericis extraneæ fœminæ non cohabitent, ſed ſolæ matres, auie, & matertere, amitæ, ſorores, filiæ fratrum aut ſororum, & quæcunq; ex familia domeſtica, neceſſitate etiam antequam ordinarētur iam cum eis habitabant, vel ſi filij eorum iam ordinatis parentibus vxores acceperunt, aut ſeruis nō habentibus in domo quas ducant aliundè, vbi ducere neceſſitas fuerit. *Can. 17.*

Concilium Moguntiacum.

Omnibus igitur Clericis fœminas ſecum in domibus ſuis habere vltra licentiam canonum firmiter ſit contradictum. *Can. 49.*

Concilium Colonienſe.

Nicęno Concilio neq; Epiſc. neque Preſbytero, neque Diacono, neq; vlli Clericorū omnino habere ſecum mulierē extraneam permittitur, niſi fortè mater, aut ſoror, aut auia, vel amita, vel matertera ſit. Nos, ſi tamen hæc tempora tantam ſeueritatem pati non videntur, ſaltem ſuſpectam cohabitationem prohibemus. *Cap. 28. de vita cler.*

Epilogus.

Ad euitandum tum mali occaſionem, (in re præſertim tàm facili, ac lubrica,) tum

etiam

etiam suspitiones, fugere debent clerici mulierum cohabitationẽ: Ea seruent quæ in sacris Canonibus ac Concilijs statuta sunt. Quæ si ad amussim seruare non possunt, recordentur saltem eorum quæ dixit Apost. Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor in operibus bonis testimonium habens, si filios educauit, si hospitio suscepit, si sanctorum pedes lauit, si tribulationem patientibus subministrauit, si omne bonum subsequuta est. Eligant igitur in sui seruitium mulieres, quę & sint probatæ vitæ, & prouectæ ac maturæ ætatis.

1. Tit. 5.

CLERICVS FORNICATOR *qua pœna puniendus sit.*

CAP. XII.

Eugenius Papa.

Habetur dist. 81. c. si quispiam.

SI quispiam sacerdotum, id est presbyter vel diaconus, vel subdiaconus, de quacũque fœmina crimine fornicationis suspectus, post primam, secundam, & tertiam admonitionem inueniatur fabulari cum ea, & aliquo modo conuersari, excommunicetur, fœmina verò canonicè iudicetur.

Ex canonibus Apost.

Dist. 81. c. si quis Episcopus.

Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus post diaconij gradum acceptum fuerit fornicatus, aut mœchatus, deponatur: & ab Ecclesia proiectus, inter laicos agat pœnitentiam.

Syno-

Synodus sexta Aurelian.

Si quis clericus adulterasse, aut confessus, aut conuictus fuerit, depositus ab officio communione concessa, in monasterio toto vitæ suæ tempore detrudatur. *Dist.81. c.si quis clericus.*

Concilium Tridentinum.

Quàm turpe, ac clericorum nomine qui se diuino cultui addixerũt, sit indignum in impudicitiæ sordibus immundoque concubinatu versari, satis res ipsa communi fidelium omnium offensione summoq; clericalis militiæ dedecore, testatur. Vt igitur ad eam quam decet continentiam, ac vitæ integritatem ministri Ecclesiæ reuocentur, populusq; hinc eos magis reuereri, quò illos vita honestiores cognouerit, prohibet sancta Synodus quibuscunque Clericis, nè concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extra detinere, aut cum eis vllam consuetudinem habere audeant, alioquin pœnis à sacris canonibus, vel statutis Ecclesiarum impositis, puniantur. Quòd si à superioribus moniti, ab ijs se non abstinuerint, tertia parte fructuum, obuentionum, ac prouentuum, beneficiorum suorum quorumcunque, & pensionum ipso facto sint priuati, quæ fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco, arbitrio Episcopi applicetur. Sin verò in delicto eodem, cum eadem, vel alia fœmina perseuerantes, secundę monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes, ac prouentus suorum bene- *Sess.25. .i.no.sub Pio 4. c.14.*

ficiorum, & pensiones eo ipso amittant qui prædictis locis applicentur, sed etiam à beneficiorum, ipsorum administratione, quoad ordinarius, etiam vti sedis Apostolicę delegatus arbitrabitur, suspendantur. Et si ita suspensi, nihilominus eas non expellant, aut cum ijs etiam versentur, tūc beneficiis, portionibus, ac officiis, & pensionibus quibuscunque ecclesiasticis priuentur, atque inhabiles, ac indigni quibuscunq; honoribus dignitatibus, beneficiis, ac officijs in posterum reddantur, donec post manifestam vitæ emēdationem, ab eorum superioribus cum ijs ex causa visum fuerit dispensandum. Sed si postquàm eas semel dimiserint, intermissum cōsortium repetere, aut aliàs huiusmodi scandalosas mulieres sibi adiungere ausi fuerint, præter prædictas pœnas, excommunicationis gladio plectantur. Nec quæuis appellatio aut exemptio prædictam executionem impediat, aut suspendat, supradictorum omnium cognitio, non ad Archidiaconos, nec Decanos, aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertineat: qui sine strepitu, & figura iudicij, & sola facti veritate inspecta, procedere possint. Clerici verò beneficia Ecclesiastica, aut pensiones non habentes, iuxta delicti & contumaciæ perseuerantiam, & qualitatem, ab ipso Episcopo carceris pœna, suspensione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, alijsuè modis iuxta sacros canones, puniantur. Episcopi

ſcopi quoque (quod abſit) ſi ab huiuſmodi crimine non abſtinuerint, & à ſynodo prouinciali admoniti, ſe non emendauerint, ipſo facto ſint ſuſpenſi, & ſi perſeuerent, etiam ad ſanctiſſimum Romanum Pontificem, ab eadem ſynodo deferantur; qui pro qualitate culpæ, etiam per priuationem, ſi opus erit, in eos animaduertat.

QVOD CLERICVS NON DEbet ingredi domos fœminarum ſolus, nec etiam viſitationis gratia.

CAP. XIII.

Lucius Papa.

CLericus ſolus ad fęminæ tabernaculum non accedat, neque properet ſine maiorum natu ſacerdotis iuſſione: Nec ſolus presbyter cum ſola fęmina fabulas miſceat, nec Archidiaconus ſub prætextu humilitatis, aut officij, frequenter intret domicilia matronarum, aut fortè per Clericos, aut domeſticos matronæ mandet aliquid ſecretè: ſi agnitum fuerit, & ille deponatur, & illa à liminibus Eccleſiæ arceatur. *Diſt. 81. c. Cleric.*

Hieronymus.

Si propter officium Clericatus, aut vidua viſitatur, aut virgo, nunquam domum ſolus introeas. *Ad Nepotia.*

DE SERMONE CLERICO-rum. CAP. XIV.

LOquantur Clerici ſapienter, oportunè, & non ocioſè.

Pſal 106. Vir linguoſus non dirigetur in terra.

Prou. 17. In multiloquio non deerit peccatum, qui autem moderatur labia ſua, prudentiſſimus eſt.

Ibid. 13. Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam, qui autem inconſideratus eſt ad loquendum, ſentiet mala.

Ibid. 17. Qui moderatur ſermones ſuos, doctus eſt.

Eccl. 5. Nè temerè quid loquaris, neq; cor tuum ſit velox ad proferẽdum ſermonem coram Deo: Deus enim in cęlo, & tu ſuper terram. & iccirco ſint pauci ſermones tui.

Eccl. 28. Verbis tuis facito ſtateram, & frenos ori tuo rectos, & attendite nè fortè labaris in lingua tua.

Ibid. 32. Cultus iuſtitiæ ſilentium.

Matt. 12. De omni verbo ocioſo quod loquuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij.

Gregor. Ocioſum eſt verbum, quod aut ratione iuſtæ neceſſitatis, aut intentione piæ vtilitatis caret: in paſt. 3. p. c. 15.

Matt. 18. Non quod intrat per os coinquinat hominem, ſed quod exit ab ore.

Paulus.

Epheſ. 4. Omnis ſermo malus ex ore veſtro nõ procedat.

Sermo

Sermo vester semper sale sit conditus, vt sciatis quomodo oporteat vos vnicuiq; respondere. *Coloss. 4.*

D. Iacobus.

Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. *Cap. 1.*

Si quis putat se religiosum esse, non refrenãs linguam suã, sed seducens cor suum, huius vana est religio. *Cap. 3.*

Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.

Hieronymus.

Quoties verò loquimur, aut non in oportuno tempore, aut non in oportuno loco, aut non vt conuenit audientibus, toties sermo malus procedit de ore nostro, ad destructionem eorum, qui audiunt; Consideremus itaque quid loquamur, quia pro omni otioso verbo reddituri sumus rationem in die iudicij. *Habetur caus. 22. q. 5. c. quoties.*

Ambrosius.

Primum igitur officium est loquẽdi modus. Hoc sacrificium laudis Deo dependitur, hoc reuerentia exhibetur, cum scripturę diuinæ leguntur, hoc honorantur parentes. Scio loqui plerosque cum tacere nesciant. Rarum est tacere quemquam, cum sibi non prosit loqui. Sapiẽs vt loquatur multa prius considerat, quid dicat, cui dicat, quo in loco, quo tempore. *Lib. 1. de off. Tõ. 1.*

Idem.

Ibid.c.3. Alliga ſermonem tuum ne luxuriet, ne laſciuiat, & multiloquio peccata ſibi colligat ſit reſtrictior, & ripis ſuis coerceatur; Cito lutum colligit amnis exundans. Sit ori tuo oſtium, vt claudatur vbi oportet, & obſeretur diligentius ne quis in iracundiam excitet vocē ſuam, & contumeliam rependas contumeliæ. Audiſti hodie lectum, Iraſcimini & nolite peccare. Ergo & ſi iraſcimur quia affectus naturæ eſt non poteſtatis, malum ſermonem non proferamus de ore noſtro, ne in culpam ruamus. Sed iugum ſit verbis tuis & ſtatera: hoc eſt humilitas atq; menſura, vt lingua tua menti ſubdita ſit. Reſtringatur habenæ vinculis, frenos habeat ſuos, quibus reuocari poſſit. Ad menſuram ſermones proferat libra examinatos iuſtitiæ, vt ſit grauitas in ſenſu, in ſermone pondus, atque in verbis modus.

Gregorius.

Lib. 6. mora.c. vlt. In omni quod dicitur neceſſe eſt vt cauſa, tempus, & perſona penſetur. Si verba ſententiæ veritas roborat, ſi hoc tempus congruum poſtulat; ſi veritati ſententię, & congruitati temporis non repugnat.

Iſidorus lib.1. Officiorum.

Huius ſermo debet eſſe purus, ſimplex & apertus, plenus grauitatis, & honeſtatis, plenus ſuauitatis, & gratiæ, tractans de myſterio legis, & doctrina fidei, de virtute con-

tinen-

tinentiæ, vnamquemque per diuersa admonens, & exhortatione iuxta professiones morum, qualitatumque: videlicet, vt prænoscat quid, cui, quando opus, vel quomodo proferat.

2. Non sint mendaces.

Perdes omnes qui loquuntur mendacium. *Ephes.5.*

Salomon.

Os quod mentitur, occidit animam. *Sap.1.*

D. Petrus.

Qui vult vitam diligere, & dies videre bonos, coerceat linguam suam à malo & labia eius nè loquantur dolum. *Epist.1. cap.3.*

Ambrosius.

Ingreditur mors per ostium tuum si falsum loquaris, si turpiter, si procaciter. *Lib.1.de Virgin.*

3. Non sint Adulatores.

Salomon.

Simulator ore decipit amicum. *Prou.2.*

Hieronymus.

Nihil est quod tàm facilè corrūpat mentes hominum sicut adulatio: Plus enim nocet lingua adulatoris, quàm gladius persecutoris. *Super Psalm.*

Gregorius.

Sunt nonnulli, qui dum malefacta hominum laudibus efferunt, augent quæ increpare debuerant. Hinc enim per prophetam dicitur. Væ, qui consuunt puluillos in omni cubito manus, & faciūt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis. Adhoc quippè sub *Libr.18. mor. c.3. habetur dist. 4. c. sunt nonnulli.*

cubito puluillus, vel ceruical sub capite iacentis ponitur, vt molliter quiescat: quisquis ergo malè agentibus adulatur, puluillū sub cubito, vel ceruical sub capite iacentis ponit, vt qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus, molliter quiescat.

Concilium Carthag. 4.

Cap. 56. Clericus, qui adulationibus, & proditionibus vacare deprehenditur, degradetur ab officio.

4. Non sint detractores.

Salomon.

Prou. 13. Qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat.

Iacobus.

Epist. 1. cap. 3. Nolite detrahere alterutrum fratres mei, qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum, detrahit legi, & iudicat legem.

Hieronymus.

Ad Nepot. tō. 1. Caue quoque nè aut linguam, aut aures habeas prurientes, id est, nè aut ipse aliis detrahas, aut alios audias detrahentes. Sedens (inquit Propheta) aduersus fratrem tuū loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum: hęc fecisti, & tacui. Existimasti iniquè quòd ero tui similis, arguam te, & statuam contra faciem tuam. Parce à detractione linguæ, custodi sermones tuos, & scito quia per cuncta quæ de aliis loqueris tuam conscientiam iudicaris, & in his ipse reprehenderis, quæ in aliis arguebas.

Fabulis non intendant, ac nugis.

Hiero-

Hieronymus.

Nugæ in ore laici nugæ sunt, in ore autem sacerdotis blaſphemiæ. *Vide Cõcil. Colonienſ.*

Seneca lib. de Beneficijs.

Iſtæ ineptiæ poëtis relinquantur, quibus bus aures delectare propoſitũ eſt, & dulcem fabulam nectere. Sed qui ingenia ſanare, & fidem, in rebus humanis retinere, ac memoriam officiorum animis ingerere volunt, ſeriò loquantur, & magnis viribus agant.

Epilogus.

Quoniam, teſte Seneca, Imago animi ſermo eſt, & facilè dignoſcitur quis an ſapiens, an verò ſtultus exiſtat dum loquitur, ſummoperè ſtudere debent clerici, vt nõ modo Deum lingua non offendant, non ſint maledici, detractores, adulatores, mendaçes, fabuliſque inutilibus intendentes, ſed vt ſale ſemper conditus ſit eorum ſermo: prudentiam præſeferant, grauitatem, modeſtiam, ac veritatem. Rationem habeant antequam loquantur qualitatis ſermonis, loci, perſonæ, & temporis. Nam ſi id efficere curauerint, profectò perfecti eſſe poterunt. Quod quidem vt facilè aſſequantur, crebrò dicant. Pone Domine cuſtodiã ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis. *Pſal. 140.*

QVA ANIMI SANCTITATE, munditia, religioſoq; cultu miſſæ ſacrificium offerre teneantur.

CAP. XV.

Deus.

Exod.12. ESTote sancti, quia ego sanctus sum.

Exod.19. Sacerdotes qui accedunt ad Dominum sanctificentur, nè fortè percutiam eos.

Leu.21. Qui habuerit maculam, panes non offerat Deo suo, nec accedat ad ministerium eius.

Ioannes Euangelista.

Ioan.9. Scimus quoniam peccatores Deus non exaudiat.

Paulus.

1.Cor.11. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini.

D. Augustinus.

Serm.28. de verbis Domini Accipe quotidiè quod quotidie tibi prosit, sic viue, vt quotidie merearis accipere.

Chrysostomus.

sup. Lucã tom.10. Phr.6. aleg. Nam eum qui pro omni ciuitate, (quid autem dico pro ciuitate? imò pro vniuerso mundo) legatione fungitur, & deprecatur, iniquitatibus omnium propitium Deum fieri, non solum viuentium, sed etiam mortuorum, qualem putas esse debere. Ego quidem Moysi, & Heliæ confidentiam huic nõ puto supplicationi posse sufficere, sicut enim is cui sit commissus vniuersus mũdus, & qui sit pater omniũ, ita accedit ad Deum, obsecrans extingui quicquid vbiq; pugnarum est, dissipari tumulum, placari omnia, & tàm priuatis malis quã publicis imponi finem.

finem. Itaque tantum differre debet omnibus precator virtutis eminentia, quantum præcellit, & ipſo diſtat officio. Cùm verò etiam Spiritum ſanctum aduocauerit, & reuerendam illam imolauerit hoſtiam, communemq́ue omnium dominum ſubinde contigerit, vbi illum (dic mihi) noſtra æſtimatione ponemus? Quantum ab illo ſplendorem poſcimus, & quantam religionem? Expende.n. quales oporteat eius eſſe manus tantarum rerum miniſtras, aut quo genere non mundiorem, & ſanctiorem animam eſſe talem ſpiritum ſuſcepturam.

Gregorius.

Cum is qui diſplicet ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur.

Concilium Colonienſe.

Iam ſi tanto mentis ardore preces quælibet dicendæ ſunt, quanta putamus deuotione ſacroſanctum Miſſæ miniſterium, in quo corporis & ſanguinis dominici ſacramenta tractantur, conficiunturq́ue, peragendum? Certè grauiter dolemus, atque inhorreſcimus, vbi videmus paſſim tantis myſteriis indignos, ac conductitios illos ac indignos ſacerdotes publicis etiam ac manifeſtis criminibus contaminatos, ſeſe (idq́; irreuerēter & interdum magis lucelli, ac ſtipis quàm Dei cauſſa) ſacris vigere, quorū inſtat interitus & perditio nō dormitat. Probet (inquit Paul.) ſeipsū homo, & ſic de pane

De vita & mor. Cler. c. 9.

1. Cor. 11.

pane illo edat, & de calice bibat, qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Atque ideò, vt subdit, multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Nam si nos ipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur.

Concilium Trident.

Seß. 21. in Decreto de obseruãdis, & euitandis in celebratione Missæ.

Quanta cura adhibenda sit, vt sacrosanctum Missę sacrificium omni religionis cultu, ac veneratione celebretur, quiuis facilè existimare poterit, qui cogitarit maledictũ in sacris literis eum vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessariò fatentur, nullum aliud opus adeò sanctum, ac diuinum à Christi fidelibus tractari posse, quã hoc ipsum tremendum mysterium, quo viuifica illa hostia qua Deo patri reconciliati sum⁹, in altari per sacerdotes quotidiè imolatur. Satis etiam apparet omnem operam, & diligentiã in ea ponendam esse, vt quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia, & puritate, atque exteriori deuotionis, ac pietatis specie peragatur. Cùm igitur multa iam, siue temporum vitio, siue hominum incuria, & improbitate irrepsisse videantur, quæ à tanti sacrificij dignitate aliena sunt, vt ei debitus honor, & cult⁹ ad Dei gloriam, & fidelis populi ædificationem restituatur, decernit S. Synodus, vt ordinarij locorum Episcopi, ea omnia prohibere, atq; è medio tollere sedulò curent, ac teneantur,

quæ

quæ vel auaritia,(idolorum ſeruitus) vel ir-
reuerentia,quæ ab impietate vix ſeiūcta eſſe
poteſt,vel ſuperſtitio,veræ pietatis falſa imi-
tatrix,induxit. Atque vt multa paucis com-
prehendantur. Imprimis quod ad auaritiam
pertinet, cuiuſuis generis mercedum con-
ditiones,pacta,& quicquid promiſſis nouis
celebrandis datur,nec non importunas atq;
illiberales eleemoſynarum exactiones po-
tiuſquam poſtulationes,aliaque huiuſmodi
quæ à ſimoniaca labe,vel certè turpi quæſtu
non longè abſunt,omninò perhibeant. De-
indè,vt irreuerentia vitetur, ſinguli in ſuis
dioceſibus interdicant,nè cui vago, & igno-
to ſacerdoti Miſſas celebrare liceat. Nemi-
nem præterea qui publicè, & notoriè crimi-
noſus ſit,aut ſancto altari miniſtrare, aut ſa-
cris intereſſe permittant:neuè patiantur pri-
uatis in domibus, atque omnino extra Ec-
cleſiam,& ad diuinum tantum cultum de-
dicata oratoria ab eiſdem ordinariis deſig-
nanda,& viſitāda,ſanctum hoc ſacrificium
à ſecularibus,aut Regularibus quibuſcumq;
peragi, ac niſi prius qui interſint, decenter
compoſito corporis habitu,declarauerint ſe
mente etiam,ac deuoto cordis affectu, non
ſolum corpore adeſſe. Ab Eccleſiis verò Mu-
ſicas eas vbi ſiue organo,ſiue cantu, laſciuū,
aut impurum aliquid miſcetur,item ſecula-
res omnes actiones, vana atq; adeò profa-
na colloquia, deambulationes, ſtrepitus,
clamores arceāt, vt domus Dei verè domus

orationis esse videatur, ac dici possit. Postremò nè superstitionis locus aliquis detur, edicto, & pęnis propositis caueant, nè sacerdotes, aliis quàm debitis horis celebrent, neve ritus alios, aut alias cœremonias, & preces in Missarum celebratione adhibeant, præter eas quæ ab Ecclesia probatæ, ac frequēti, & laudabili vsu receptæ fuerint. Quorundam verò Missarum, & candelarum certum numerum, qui magis à superstitioso cultu, quàm à vera Religione inuentus est, omninò ab Ecclesia remoueant: doceantque populum, quis sit, & à quo potissimum proueniat sanctissimi huius sacrificij tàm preciosus, ac cœlestis fructus, &c.

Epilogus.

Cùm in hoc sacrificio mediatoris munere fungatur sacerdos inter Deum, & hominem, & ea ratione ac fine vt à nobis peccata, & mala omnia depellantur, bona obtineantur: sitque hoc sacrificium omnibus præclarissimum ac diuinissimum, curare debet vt maiori qua fieri possit munditia se exornet, ac muniat, vt finem suum assequi possit. Nam (Rabano teste) quanto maioris dignitatis est ipsa res, tanto paratiorem ac promptiorem ipsius ministerij quærit affectum.

QVANTO AFFECTV, ANIMIque attentione, horarias preces persoluere teneantur. CAP. XVI.

Male-

MAledictus qui facit opera Dei negligenter. *2. Par. 19*

Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. *Esai.*

Si orem lingua, mens mea sine fructu est: quid? orabo spiritu, orabo & mente. *1. Cor. 14.*

Hieronymus.

Non mediocriter errant qui bono magno præferunt mediocre bonum: qui vel ieiunium charitati, aut vigilias præferunt sensus integritati: vt propter innocentiam immoderatam atque indiscretam psalmorum, vel officiorum decantationem aut amentiæ, aut tristitiæ notam incurrat? Nunquid verborum multitudine flecti Deus vt homo potest? Non enim verbis tantum, sed corde orandus est Deus: quapropter melior est quinque psalmorum decantatio cũ cordis puritate ac serenitate, ac spirituali hilaritate, quàm totius psalterij modulaio cum anxietate cordis, atque tristitia. *De cons. dist. 5. ca. non mediocriter*

Cassiodorus.

Exaudi Domine iustitiam meam, intende voci deprecationis meæ. Apud Dominum certum est habere iustitia vocẽ suam, qui res tacitas intelligentiæ suæ virtute cognoscit. Ipsius enim est oratio perfecta, cuius & caussa clamat, & lingua: actus & sermo vita & cogitatio. *Super Psal. 16.*

Cyprianus Papa.

Quando autem stamus ad orationem, fratres dilectissimi, inuigilare ad preces toto *De con dist. p. c*

corde

quando autem stamus. corde debemus: cogitatio carnalis hominis, & secularibus abscedat, nec quicquam tunc animus aliud quàm id solum cogitet quod præcatur: ideo & sacerdos ante orationem præfatione premissa parat fratrum mentes, dicendo, Sursum corda: vt dum respondet plebs, Habemus ad Dominum, admoneatur nihil se aliud quàm Dominum cogitare debere: claudatur contra aduersarium pectus, & soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei tempore orationis venire patiatur.

SI CANTARE VOLVERINT, *qua ratione id facere debeant.*

CAP. XVII.

Hieronymus.

In epist. ad Eph. Habetur dist. 92. ca. Cantantes. CAntantes, & psallentes in cordibus vestris Domino; Audiant hæc adolescentuli, audiant hi quibus in Ecclesia est psallendi officium, Deo non voce, sed corde cantandum: nec in Tragędiarum modum guttur, & fauces medicamine leniēdæ sunt, vt in Ecclesia theatrales moduli audiantur, & Cantica.

Hinc versus duo apud Glossam reperiuntur.

Non vox sed votum, non cordula Musica, sed cor.
Non clamans, sed amans, clamat in aure Dei.

Cassio-

Cassiodorus, super Psal. Clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine.

Fidelium, atque deuotæ mentis clamor affectus est, qui non tantum sermone promitur, sed magna cordis intentione profertur. Clamabat enim populus Iudæorum murmurans, & non exaudiebatur à Domino. Tacebat Moyses, & Dominus ei dicebat: quid Clamas ad me? scilicet quoniam illas cogitationes exaudiuit altissimus, quæ pia intentione deuoluuntur. Additum est in toto corde meo, nè putares aliud cogitandum quando clamatur ad Dominum. In sola enim Religiosa cogitatione totus debet spiritus occupari, nè mens diuisa, effectum nequeat impetrare, quem postulat. *Super Psal. 118.*

D. Augustinus.

Clamor ad Dominum qui fit ab oratoribus si sonitu vocis corporalis fiat, nō intento in Deum corde, quis dubitet inaniter fieri? si autem corde, etiā silente corporis voce alium quemlibet hominum potest latere, non Deum. Siue ergo cum voce carnis id opus est, siue cum silentio, ad Dominū cum oramus, corde clamandum est. Est autem clamor cordis, magna cogitationis intentio. Quæ cùm est in oratione, magnum exprimit desiderantis, & petentis affectum, vt non desperet effectum. Tunc porrò in toto corde clamatur, quando aliundè non cogitatur. *Super Psal. 118. Tom. 8. cōcio. 29.*

Raba-

Rabanus.

Lib. 2. de Institut. Cleric. c. 48.

Psalmistam autem & voce, & arte preclarum, illustremque esse oportet, ita vt oblectamento dulcedinis animos incitet auditorum. Vox autem eius non aspera, vel rauca, vel dissona, vel canora erit, suauis, liquida, atque acuta, habens sonũ, & melodiam sanctæ Religionis congruentem: non quæ tragicam exclamet artem, sed quæ Christianam simplicitatem in ipsa modulatione demonstret, neque quę musico gestu vel theatrali arte redoleat, sed quę compunctionem magis audientibus faciat. Perfecta autem vox est, alta, clara, & suauis, alta vt in sublime sufficiat, clara, vt aures adimpleat, suauis, vt animis audientium blandiatur. Si autem ex his aliquid defuerit, perfecta vox non erit. Antiqui enim pridie quàm cantandum erat, cibis abstinebãt, pallentia tantum legumina caussa vocis sumebant, vnde & vulgò cantores fabarij dicti sunt. Si ergo hoc apud gentiles tantum seruandæ vocis caussa agebatur, quantò magis apud Christianos, quos non tàm vocis, quàm virtutis ipsius tenet cura, ab omni illecebra voluptatum abstinere oportet?

Epilogus.

Tametsi teneantur omnes & animo, & corpore Deo inseruire, eiq; non modo spiritus sacrificium, verum etiã corporis sedulò offerre, charius tamen illi est corde primùm

& ani-

& animo oremus, Laudemus, & cantemus. Ipſe enim animus fons eſt, origo, & principium totius noſtræ bonitatis.

CVM QVIBVS CONSVETVdinem habere debeant, & de ratione honeſte optimeq; conuerſandi.

CAP. XVIII.

Dauid.

CVm ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris: Cùm electo electus eris, & cum peruerſo peruerteris. *Pſal.17.*

Salomon.

Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit: Amicus ſtultorum ſimilis efficitur. *Prou.19.*

Qui tetigerit picē, inquinabitur ab ea, & qui communicauerit ſuperbo, induet ſuperbiam. *Eccl.13.*

Hieronymus.

Tales habeto ſocios, quorum contubernio non infameris. *Ad Nepot.tō.1.*

Ambroſius.

Sequatur conuerſationis electio, vt adiungamur probatiſſimis quibusque ſenioribus. Namque vt æqualium, vſus dulcior, ita ſenum tutior eſt, qui magiſterio quodā & ductu vitæ colorat mentes adoleſcentiū, & velut murice probitatis inficit. Namq; ſi ij, qui ſunt ignari locorum cum ſolertibus viarum iter adoriri geſtiunt, quanto magis adoleſcentes cum ſenibus debent nouum ſibi iter vitæ aggredi, quo minus errare poſſint, & à vero tramite virtutis deflectere? *Libr.1. offici.ca. 43.tō.1.*

Nihil

Nihil enim pulchrius, quàm eosdem & magistros vitæ, & testes habere.

Isidorus.

Libr. 2. Soliloq. Sancta conuersatio confundit inimicum, ædificat proximum, glorificat Deum.

Seneca.

Epist. sexta ad Lucil. Nulla res magis animos induit honestos, & in prauũ inclinabiles reuocat ad rectum, quàm bonorum virorum conuersatio. Paulatim enim descẽdit in pectora, & vim præceptorum obtinet, frequenter aspici, frequenter audiri.

Idem.

Salutare est non conuersari dissimilibus, & diuersa cupientibus.

Ratio bene conuersandi.

Paulus.

1. Ti. 4. Exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate.

Hugo.

Lib. de disciplina Monachorum. Disciplina honestæ cõuersationis ex quatuor perpendi potest: ex gestu, motu, affatu, & conuictu. Gestus autem reprehensibilis est si est, aut mollis, aut dissolutus, aut tardus, aut citatus: mollis significat lasciuiam, dissolutus negligentiam, tardus pigritiam, citatus siue impeticosus inconstantiam. Gestus hominis in omni actu dent esse gratiosus, sine mollicie, quietus sine dissolutione, grauis sine tarditate, alacer sine inquietu-

dine,

dine, maturus ſine proteruia, & ſine turbulentia ſeuerus. Temperanda eſt etiam facies & modificanda in geſtu ſuo, ita vt nec proteruè exaſperetur, nec molliter diſſoluatur. Sed ſemper habeat rigidam dulcedinem, & dulcem rigorem. Ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus, & cæt. *Eccl. 19.*

Seneca.

Omnes tibi pares facies, inferiores ſuper biendo non contemnas, ſuperiores rectè viuendo non timeas. In reddenda officioſitate, neq; exactor, neq; negligens appareas. Cunctis eſto benignus, nemini blandus. Paucis familiaris, omnibus æquus, ſeuerior eſto iudicio quàm ſermone, & vita quàm cultu, clementiæ cultor, clemens vltor. Seuitiæ deteſtator. Famæ bonæ neque tuæ ſeminator, neq; alienæ inuidus: rumoribus, criminibus, ſuſpicionibus minimè credulus. Sed malignis potius, qui per ſpeciem ſimplicitatis aliquibus ſurrepſerint, oppoſitiſſimus. Ad iram tardus. Ad miſericordiam pronus. In aduerſis firmus. In proſperis cautus: occultator virtutū, ſicut alij vitiorum, vanæ gloriæ contemptor & bonorum, quibus præuectus es non acribus exactor. Nullius imprudentiam deſpicias. Rari ſermonis ipſe, loquentium patiens, ſeuerus ſeueri, ſed hilares non aſpernans. *Libr. de quatuor virtutibus.*

Epilogus.

Quoniam (Apoſtolo teſte) modicū fermentum

mentum totam maſſam corrumpere ſolet. & vt Poëta ille aſſeruit, Morbida facta pecus totum corrumpit ouile, ſummo ſtudio caueant ij, qui cum Domino perpetuam conſuetudinem habere debent, ne malis hominibus admiſceantur. Imò eos fugiant, ac deteſtentur. Poterunt tamen ſi officij ſui ratio id expoſtulauerit, cum peccatoribus conuerſari, ſed medicorum more, non quidem, vt coinquinentur, ſed vt eos potius curent, ac ſanent. Hac ratione Dominus peccatores, ac publicanos, ad ſe venire patiebatur. Demùm eam viuendi Methodum ac regulam ſeruabunt, vt & dignitatis ſuæ ſedulò recordentur, & earum perſonarũ cum quibus cõuerſari licebit, rationem habere meminerint.

QVA RATIONE TENEANTVR bona Eccleſiaſtica diſpenſare.

CAP. XIX.

Chriſtus.

Luc. 12. QVis putas eſt fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis cibum in tempore?

Hieronymus.

Ad Nepotian. Gloria Epiſcopi eſt pauperum inopiæ prouidere: Ignominia ſacerdotis eſt propriis ſtudere diuitiis.

Libr. de offic. habetur cã. 12. q. 2. c. aurum.

Ambroſius.

Aurum habet Eccleſia non vt ſeruet, ſed vt eroget, & ſubueniat in neceſſitatibus.

Proſper.

Prosper.

Itaque ſacerdos cui diſpenſationis cura commiſſa eſt, nõ ſolum ſine cupiditate, ſed etiam cum laude pietatis accipit à populo diſpenſanda, & fideliter diſpenſat accepta: quia omnia ſua, aut parentibus reliquit, aut pauperibus diſtribuit, aut Eccleſiæ rebus adiungit, & ſe in numero pauperum paupertatis amore conſtituit: ita vt vnde pauperibus ſubminiſtrat, inde & ipſe tanquam pauper voluntarius viuat. Clerici quoque quos pauperes aut voluntas, aut natiuitas fecit, cum perfectione virtutis vitę neceſſaria, ſiue in domibus ſuis, ſiue in congregatione viuentes accipiunt, quia ad ea accipienda non eos habendi cupiditas ducit, ſed cogit viuendi neceſſitas. *Lib. 2. de vita cõtemplat. cap. 1.*

Concilium Romanum.

Commoneo autem vobis omnibus mihi conſortibus monimenta hæc, vt de redditibus Eccleſiæ quatuor partes fiant, quarum vna cædat Pontifici ad ſui ſuſtentationem, altera presbyteris, & diaconis, & omni clero. Tertia templorum, & eccleſiarum reparationi. Quarta pauperibus, infirmis, & peregrinis. *Can. 3. cauſ. 14. q. 1. cap. epiſcopus. Idẽ cauſ. 12. q. 2. c. de Redditibus.*

Concilium Aurelian.

Et licet propitio Deo, omnium Domini ſacerdotum, vel quorumcunque fidelium hæc cura poſſet eſſe, vt egentibus neceſſaria debeant miniſtrari, ſpecialiter tamen debilibus id pietatis cauſa conuenit, vt vnuſquiſq; *Can. 8.*

Epiſco-

Epiſcoporum incolis, quos infirmitatem incurriſſe tàm territorij ſui, quàm ciuitatis agnouerint, de domo Eccleſiæ iuxtà poſſibilitatem victui, & veſtitui neceſſario ſubminiſtret, vt non eis deſit miſericordiæ cura, quos per duram infirmitatem intollerabilis conſtringit inopia.

Iudocus Clitoueus.

Lib. de vita & moribus Clericorum c.15. Quid, oro, beatum Nicolaum Myrrenſem Epiſcopum, & ſacerdotalis ordinis decus eximium reddit ſæculis omnibus admirandum? Quòd effuſa habuit in egenos & pauperes viſcera pietatis, quibus longa manu eleemoſynas erogabat. Quid item ſanctum Martinum Turonorum Archiepiſcopum efficit toti mundo celebrem, & tantoperè commendabilem? quòd inter cetera virtutum officia ſtudioſus fuit alienæ neceſſitatis ſubleuandæ: atque vt alios veſtiret, ſeipſum interdum propriis exuit indumentis. Vnde *Eccl.30.* & illius eleemoſynas enarrabit omnis Eccleſia ſanctorum. Neque Paulinum Nolanæ vobis Epiſcopum, ſanctitateque venerabilem ſilentio prætereundum cẽſeo: qui cum diſtributis omnibus bonis ſuis in pauperũ ſuſtẽtationem, nihil reliquum haberet quo pauperis viduę filium captiuum redimeret, ſeipſum vendi paſſus eſt, ac tradi in manus Barbarorum, vt deſolatæ viduæ filius liberaretur, quemadmodum in ſuis dialogis refert Gregor. *Epilogus.*

Curabunt clerici ne Eccleſię bona, in malos vſus

vſus conuertant, ſed in eos nimirum quos ſanctorum decreta ſanciuêre. Sint diſpenſatores, non Domini, aut diſſipatores: ſciantque non modica pœna fore plectendos ac puniendos, ſi ſecus fecerint, vt ex D. Hierony. verbis facilè colligi poteſt. Verba eius hæc ſunt. Amico rapere quippiam furtum eſt, Eccleſiam fraudare ſacrilegium eſt, accepiſſe pauperibus erogandum, & eſurientibus plurimis illud reſeruare, vel cautũ, vel timidum eſt: aut quod apertiſſimi ſceleris eſt, exinde aliquid ſubtrahere animum prædonum crudelitatem ſuperat.

DE SOLICITVDINE AC VIgilantia habenda erga commiſſum gregem. CAP. XX.

Paulus.

QVi præeſt in ſolicitudine. *Rom. 12.*

Idem.

Præter illa quæ extrinſecus ſunt inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium eccleſiarum. *Idem.* *2. Cor. 11.*

Solicitè autem cura teipſum probabilem exhibere Deo operarium inconfuſibilem, rectè tractantem verbum veritatis. *2. Ti. 2.*

D. Auguſtinus.

Oportet nos qui præeſſe populo, & paſtoris nomen, quamuis indigni, tenemus, vt vobis adminiſtrare diuini verbi pabula curemus, & ita vos ſolicita mente tractare, vt quod malum in vobis videmus, cũ fraterno *Serm. 43. Tom. 10.*

amore redarguamus, & quod bonum est, fructificare,& enutrire laboremus. Beatus est qui se solummodo Domino adiuuante saluat,sed multò beatior est,qui se cum alios ad cœleste regnum trahere festinat.

Item lib.de 12. Abusionibus cap.10. Decimus gradus abusionis est Episcopus negligens, qui gradus sui honorem inter homines requirit, sed ministerij sui dignitatem coram Deo pro quo legatione fungitur,non custodit,&c.

D. Gregorius.

Antemio sub diacono Campania, habetur dist.84.c. Nunciatum.

Nunciatum est nobis Campaniæ Episcopos ita negligētes existere,& immemores oneris sui, vt neq; erga Ecclesias, neq; filios paternæ vigilantię curam exibeant, vel monasteriorum solicitudinē gerant, seu in oppressorum,siue pauperum se tuitionem impendant. Ideoq; hac tibi autoritate præcipimus,vt eis ad te conuocatis, ex nostro illos mandato districtè cōmoneas, quatenus ita in his quæ eos iustè secundùm Deum agere conuenit vigilantes existant, vt nullum nos de his denuò murmur exasperet. Si quæ verò eorum post hæc negligentē esse cognoueris, ad nos eum sine aliqua excusatione transmitte: vt quàm sit graue nolle ab his quæ repræhensibilia, & valde vituperanda sunt corrigi, regularē in se valeat districtionem sentire. *Idem.*

Habetur dist. 81.c. Oportet.

Oportet sacerdotes quibus Domini populus commissus est, cum magna constantia vigi-

vigilare ſuper dominicas oues, ne lupinis morſibus, id eſt diaboli ſtimulis lanientur.

Innocentius.

Error cui non reſiſtitur, approbatur: & veritas cum minimè defenſatur opprimitur: negligere quippe, cũ poſſis perturbare peruerſos, nihil eſt aliud quàm fouere. Nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obuiare. *Habetur diſt. 83. c. Error.*

Epilogus.

Summoperè inuigilare debent clerici curam animarũ habẽtes, ne à lupis, id eſt hæreticis, oues rapiantur: ne pauperes opprimantur: imò releuentur ac foueantur; & denique vt peccatores corrigantur, corripianturque.

DE VISITANDO GREGE, ET *quomodo.* CAP. XXI.

VAde, & vide ſi cuncta proſpera ſint erga fratres tuos. *Gen. 37.*

Accipe fratribus tui ephipolentæ, & decem panes, & curre ad fratres tuos, & viſitabis eos ſi rectè agant. *1. Reg. 17.*

Paſtores audite verbum Domini. Viuo ego dicit Dominus Deus, quia pro eo quod facti ſunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationem omnium beſtiarum agri eo quod nõ eſſet paſtor, neq; enim quęſierunt paſtores mei gregem meum, ſed paſtores paſcebant ſemetipſos, & greges meos non paſcebant, propterea paſtores audite *Ezech. 34.*

verbum Domini. Hæc dicit dominus Deus. Ecce ego ipſe ſuper paſtores, & requirā gregem meum de manu eorum, & ceſſare eos faciam vt vltra non paſcant gregem meum, nec paſcant amplius paſtores ſemetipſos. Et liberabo gregem meum de ore eorū, & non erit vltra eis in eſcam, quia hæc dicit Dominus Deus. Ecce ego ipſe requirā oues meas & viſitabo eas, ſicut viſitat paſtor gregem ſuum in die quando fuerit in medio ouium ſuarū diſſipatarum, ſic viſitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis in quibus diſperſæ fuerant in die nubis, & caliginis.

Eccl.7. Non te pigeat viſitare infirmum, ex hoc enim in dilectione firmaberis.

Iacob.1. Religio munda & immaculata apud Deū, & patrem hæc eſt; viſitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum.

Hieronymus.

Nepot. tom.1. Officij ergo tui eſt viſitare languentes, noſſe domos matronarū ac liberos earum, & nobilium virorum cuſtodire ſecreta.

Concilium Terracon.

q.1.c. decreuimus. Decreuimus, vt antiquæ conſuetudinis ordo ſeruetur, & annuis vicibus dioceſes ab Epiſcopo viſitentur, & ſi qua fortè baſilica fuerit reperta deſtituta, ordinatori eius reparari præcipiatur: Si aut Epiſcopus inualetudine impeditus dioceſes ſuas per ſemetipſum viſitare non poterit, viſitationis officium committat aliis.

Con-

Concilium Toletanum.

Relata est coram sancta Synodo querimonia plebium, quòd sint quidam Episcopi nolentes ad prædicandum, vel ad confirmandum suas per annũ parrochias circumire: qui tamen exigunt vt mansiones quibus in profectione vti debuerant, alio precio redimantur; qui parare debebant, quæ duplex infamia, negligentię, & auaritiæ sanctæ Synodo magno fuit horrori: statuerunt itaque ne quis vltra exerceat id cupiditatis ingenium, & vt solicitiores sint Episcopi de suis gregibus visitandis. *Caus. 10. q. 1. ca. Relata.*

Concilium Bracarense. 2.

Placuit omnibus Episcopis, vt per singulas ecclesias Episcopi ambulantes primùm discutiant clericos, quomodo ordinem baptismi teneant vel missarum: vel qualiter quæque officia in Ecclesia peragant. Et si rectè quidem inuenerint, Deo gratias agant, si autem minimè, docere debent ignaros, & hoc modo omnibus pręcipere, sicut antiqui canones iubent, vt ante viginti dies baptismi, ad purgationẽ exorcismi Catechumini currant: in quibus viginti diebus omninò Catechumeni symbolum (quod est Credo in Deum Patrem) spiritualiter doceantur. Postquàm ergo hæc suos clericos discusserint, vel docuerint Episcopi, alia die, (cõuocata plebe ipsius Ecclesiæ) doceant illos vt errores fugiant idolorũ, vel diuersa crimina, id est homicidium, adulterium, periurium, *Caus. 10. q. 1. ca. Placuit.*

falsum testimoniũ, & reliqua peccata mortifera, & quod volunt sibi fieri, alteri ne faciant, & vt credant resurrectionẽ omnium, & diem iudicij, in quo vnusquisque secundùm opera sua recepturus sit.

Concilium Toletanum.

Caus. 10. q. 1. c. Episcopũ. Episcopum per cunctas dioceses, parrochiasq; suas per singulos annos ire oportet, vt exquirat quomodo vnaquæq; basilica in reparatione sui indigeat: quod si ipse, aut *Cap. 35.* languore detentus, aut aliis occupationibus implicatus adimplere nequiuerit, presbyteros probabiles, aut diaconos mittat, qui redditus basilicarum, & reparationes, & ministrantium vitam inquirant.

Concilium Trident.

Sess. 24. c. 2. refor. Patriarchæ, Primates, Metropolitani, & Episcopi propriam diocesim per seipsos, aut si legitimè impediti fuerint, per suum generalem Vicarium aut visitatorem, si quotannis totam propriam eius latitudinem visitare non poterunt, saltem maiorẽ eius partem, ita tamen vt tota biennio per se, vel visitatores suos compleatur, visitare non prætermittant. A metropolitanis verò etiã post plenè visitatam propriam diocesim, nõ visitentur Cathedrales Ecclesiæ, neq; dioceses suorum comprouincialium, nisi causa cognita, & probata in Concilio prouinciali. Archidiaconi autem, Decani, & alij inferiores in ijs Ecclesiis, vbi hactenus visitationem exercere legitimè cõsueuerunt, debeant quidem

dem aſſumpto notario de conſenſu Epiſcopi, deinceps per ſe ipſos tantum ibidem viſitare. Viſitatores etiam à Capitulo deputandi, vbi capitulum ius vitādi habet, prius ab Epiſcopo approbentur, ſed non ideo Epiſcopus, vel eo impedito, eius viſitator eaſdem Eccleſias ſeorſum ab his viſitare prohibeatur, cui ipſi Archidiaconi, vel alij inferiores, viſitationis factæ infrà menſem rationem reddere, & depoſitiones teſtium, ac integra acta rei exhibere teneantur: non obſtantibus quacunque conſuetudine etiam immemorabili, atque exemptionibus, & priuilegiis quibuſcunque. Viſitationum autem omnium iſtarum præcipuus ſit ſcopus, ſanam orthodoxamq́ue doctrinam, expulſis hæreſibus inducere, bonos mores tueri, prauos corrigere, populum cohortationibus, & admonitionibus ad Religionem, pacem, innocentiamq; accendere, cætera prout locus, tempus, & occaſio feret, ex viſitantium prudentia ad fidelium fructum conſtituere, quæ vt facilius, fæliciuſq́ue ſuccedant, monentur prædicti omnes & ſinguli ad quos viſitatio ſpectat, vt paterna charitate, Chriſtianoq́ue zelo omnes amplectantur, ideoq́ue modeſto contenti equitatu, famulatuq́ue, ſtudeant quàm celerrimè, debita tamen cum diligentia viſitationem ipſam abſoluere. Interimq́ue caueant nè inutilibus ſumptibus cuiq; graues, oneroſiuè ſint, neve ipſi aut quiſque ſuorum

quodque procurationis causa pro visitatione, etiam testamentorum ad pios vsus; præter id quod ex relictis piis iure debetur, aut alio quouis nomine, nec pecuniã, nec munus quodcunque sit etiam qualitercumque offeratur, accipiant: non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili, exceptis tamen victualibus quæ sibi, ac suis frugaliter moderateque pro temporis tantum necessitate & non vltra erunt ministranda, &c.

Epilogus.

Cùm medicorum officium sit crebrò infirmos sibi creditos visitare, quò faciliùs sanitatem consequi valeant, eiusque personali præsentia consolentur, ac releuentur, quis inficias ibit quantum debeant solicitè visitare clerici, quibus à Deo optimo maximo animarum cura commissa est, imò in scripturis sanctis verè, aperteque animarũ medici nuncupantur, plebem suam, quæ quotidianis, infirmitatibus torquetur? Hoc munus ergo, instar medicorum, ac Pastorum, obire obnixè studeant, ne si à leonibus grex rapiatur, sanguis eius de eorum manibus requiratur. Curent summo studio infirmos consolidare, ægrotos sanare, confractos alligare, abiectos reducere, quæ perierunt quærere, & demùm ea omnia peragere, quę non modo medico; aut pastori incumbunt, sed quæ pientissimo patri.

Ezec. 34.

DE SACRAMENTORVM ADministratione, & quo fine.

Cap. XXII.

GRatis accepiſtis, gratis date. *Matt.10.*
Aut nunquid peccatum feci meipſum *2.Cor.11.*
humilians, vt vos exaltemini? quoniam gratis Euangelium Dei euãgelizaui vobis, alias eccleſias expoliaui, accipiens ſtipendium ad miniſterium veſtrum. Et cùm eſſem apud vos & egerem, nulli oneroſus fui.

Auguſtinus.

Sed ſi paupertas aggreditur, vel aliqua corporis neceſſitate turbamur, & affligimur, dona S. Spirit. vendere procuramus. O ſacerdotes mei, nolite hoc malũ facere, ſed mementote quoniam gratis accepiſtis, & ideo gratis reddite, ne cum Simone Mago damnemini, cui dixit Petrus. Pecunia tua tecum ſit in perditionem. Qui precium recipit de ſacramẽtis, giezita eſt, & plenus lepra. Nam cùm Heliſæus mundaſſet Naaman principem Syriæ Iordane à lepra, Rediens Naamã obtulit Prophetæ multa munera, ſed ille noluit recipere. Qui cùm receſſiſſet, loquutus eſt ei giezi diſcipulus prophetæ, petens à principe Syriæ munera. Quibus acceptis, Propheta omnium per ſpiritum nouit, & videns eum redarguit, percutiens eũ lepra. Sic etiam percutiũtur omnes qui pro ſacramentis pecuniam petunt. Sed dices: Nunquid non dicit ſcriptura, Qui altare ſeruit, de

Serm.37. ad fratres in eremo.

4.Reg.4.

1.Cor.9.

altario viuat? O ſacerdotes, hoc quod dicitis omnino negare non audeo, ſed ſciatis quòd Deus intuetur corda hominum. Nam ſi ſacramentum dare diſtuleris, etiam ſi fueris omni paupertate vallatus, non paſtores, nõ miniſter Chriſti es, ſed mercator: non igitur petas, non etiam tantum pro baptiſmo recipias ſi cum Simone perire non velis. Nam facto pacto, ſacramentum vendidiſti, & Saluatorem tuum perdidiſti cum Iuda. Spontanea, & ſincera voluntate porrige ſacramẽta, nihil petendo, nihil expectando, nihil de promiſſo deſiderando, ſed ſi tibi datur, iuſtè recipis, iuſtè poſſidere potes. Memento tamen quod pauperem vitam ſacerdos gerere debet, & ideò ſi ſuperbiam habet, ſi magno beneficio gaudet, præter victum, & veſtitũ (quod ſupereſt) pauperibus dare non differat, quia omnia pauperum ſunt.

Epilogus.

Cauere fugereque debet clericus & animo, & opera omnem ſimoniam: gratis, æquoque animo conferat ſacramenta, magis ſpirituale lucrum quærendo quàm temporale: ne cum giezi lepra percuſſus, morte moriatur æterna.

DE SVBDITIS CORRIPIENDIS, *& corrigendis, & qua ratione.*

CAP. XXIII.

Iſa. 58. CLama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuã, & annuntia populo meo ſcelera eorum. Si pec-

Si peccauerit in te frater tuus, Vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum : si te audierit, lucratus eris fratrem tuũ, si autẽ te non audierit, adhibe tũc vnum aut duos, si autem eos non audierit, dic Ecclesiæ. *Matt.18.*

Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque & boues, & numulariorũ effudit æs, & mensas subuertit; & his qui vendebant columbas, dixit. Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum negociationis. *Io. 2.*

Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. *Gal. 6.*

Peccantes, coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant. *1.Tim.5*

Testificor coram Deo & Christo Iesu, qui iudicaturus est viuos & mortuos, & per aduentum ipsius, & regnum eius. Prædica verbum, insta oportunè, & importunè, argue & obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. *2.Ti. 4.*

D. Augustinus.

Decet ergo Episcopum qui omnium speculator positus est, peccata diligenter attendere, & postquàm attenderit, sermone si potuerit, & actu corrigere: Si non potuerit, iuxtà Euangelij regulam, scelerum operarios *Libr. de 12. abusio. tõ. 1*

rios declinare. Si Ecclesiam non audierit, (dicit Dominus) sit tibi sicut ethnicus & publicanus.

Idem.

Lib. de fide & operibus, c. 3. to. 4. Nec contrarius est Apostolus Domino qui dicit: Peccantes coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant, cùm ille dicit corripe eũ inter te, & ipsum solum. Vtrumque enim faciendum est, sicut infirmitatis diuersitas admonet eorum, quos vtiq; non perdendos, sed corrigendos, curandosque suscipimus, & alius sic, alius autem sic sanãdus est. Ita etiam est ratio dissimulandi, & tolerandi malos in Ecclesia, & est rursus ratio castigandi, corripiendi, non amittendi, vel à communione remouendi.

Gregorius.

Homil. 9. super Ezec. to. 2. Fortassè autem de custodia disciplinæ sermo doctoris, & sæpè contingit, vt disciplinæ regulam quã scit dicere, nesciat tenere: quia aut nimio zelo motus minus se per mansuetudinem temperat, aut nimia mansuetudine placidus, minus se cõntra vitia in zeli stimulo inflammat. Magna enim consideratione debemus pensare, quòd scriptũ est, quia in vasis templi inter coronas, & plectus, boues, & leones, & Cherubin sculpta *3. Reg. 7.* sunt, & subter boues, & leones, lora ex ære dependentia. Coronę quippè signum victoriæ, plectæ autem concordiæ vnanimitatem signant, Cherubin verò plenitudo scientiæ dicuntur. Sacerdotes enim atque doctores

inter coronas & plectus, id est inter fortitudinem boni operis quo ad victoriã currunt, & charitatis concordiam qua à se vicissim non discrepant, per boues, leones, atq; Cherubin designati sunt: quia in plenitudine sciẽtiæ quam habent, necesse est, vt & boum mansuetudinem teneant, & feruorem leonum, quatenus in disciplina quam prædicant, & ex sancto zelo accensi sint, & ex paterna dulcedine tranquilli. Quibus subter se lora dependeant, vt disciplinæ suæ retinacula, quibus ipsi ligati sunt, etiam subiectis suis solicitè impendant. Subter enim eos lora dependere, est custodiæ vinculis tenere. Quæ tunc rectè seruantur, cum nec boum mansuetudo in zeli feruore amittitur, nec leonum terror in mansuetudine declinatur. Tanta quippè debet esse discretio, vt nec disciplina nimia, nec misericordia sit remissa: ne si inordinatè culpa dimittitur, is qui est culpabilis, in reatu grauius astringatur. Et si rursus si culpa immoderatè retinetur, tantò qui corrigitur deterior fiat, quantò erga se nil ex benignitatis gratia agi considerat. Exhibenda itaque prauis est asperitas in ostensione, charitas in mente, & vt dum ostensio delinquentem coerceat, & charitatis custodia mercedem mansuetudinis non omittat.

Prosper.

Lib. 1. de vita cõtemplat. cap. 20.

Quod verò dicit Appostolus, vt nos formam debeamus exhibere fidelibus, quid

valebit, si cui vel exhortandi bonos vel castigandi malos cura commissa est, bene viuendo se imitandum bonis exhibeat, & malos tacendo non corrigat? Ad hoc enim (nisi me fallit opinio) sanctè viuendum est sacerdoti, ne dicta sua repugnantibus factis euacuet, si quod prædicat fieri debere, non faciat, aut si quod non facit, prędicare præsumpserit. Si autem aliter egerit, nihil apud eos, qui eius vitam nouêre, proficit: quia ad hoc est Ecclesiæ Dei præpositus, vt non solum bene viuendo, alios exemplo suæ conuersationis instituat, sed etiam fiducialiter prædicando, singulis ante oculos peccata sua constituat; quæ pœna maneat duros, quæ gloria obedientes ostendat, nullius salutem desperando contemnat, animas emendari volentium plangat, imitatus Apostolum, qui ait: Vt

1.Cor.11. lugeam multos ex his, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam: & iterum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Quapropter sciens, quòd si quibuslibet diuitibus, ac potentibus parcat, malè viuentibus autem faueat, eos perdat, simul & pereat: & sanctè viuere debet propter exemplum, & docere propter suæ administrationis officium, certus quòd ei nihil sua iustitia suffragetur, de cuius manu anima pereuntis exigitur: quando quicunque alius perierit, quem nulla docendi necessitas

manet,

manet, solus pœnas sceleris sui dabit. Ille autem cui dispensatio verbi commissa est, etiam si sanctè viuat, & tamen perditè viuentes arguere aut erubescat, aut metuat, cum omnibus, qui eo tacente perierunt, perit. Et quid ei proderit non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato? Mentior si non hoc Dominus per Ezechielem Prophetam sub cuiusdam terroris denunciatione loquitur, dicens ad eum. Et tu fili hominis, speculatorem dedi te domus Israel. *Ezec. 33.* Nec hoc transeunter debemus audire, quòd sacerdotem speculatorem appellat, vt sicut speculatoris est de loco editiori prospicere, & plus omnibus contemplari, ita sacerdos debet esse proposita sublimitate celsior cunctis, & maioris scientiæ habere gratiam, qua possit sub se viuentes instruere. Videamus iam, quid diuinus sermo contineat: Audiens (inquit) ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me: vt hoc dicat sacerdos, quod ex diuina lectione didicerit, quod illi Deus inspirauerit, non quod præsumptione humani sensus inuenerit. Annuntiabis eis (inquit) ex me. Ex me, non ex te, verba mea loqueris. Non est, quòd ex eis quò in eis tanquam de tuis infleris. Ex me (inquit) eis annuntia. Sed iam quid annuntiet, audiamus. Si me dicente ad impium, Impie, morte morieris, si non fueris loquutus, vt custodiat se impius

impius à via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem verò eius de manu tua requiram. Quid potuit expressiùs, quid apertiùs potest dici? Si impio (inquit) non loquutus fueris, vt ab impietate sua se custodiat, & ille perierit, sanguinem eius de manu tua requiram. Hoc est dicere: Si ei peccata sua non annunciaueris, si eum non argueris, vt ab impietate sua conuertatur, & viuat: & te, qui non increpasti, & ipsum qui te tacēte peccauit, flammis perennibus perdam. Quis rogo tàm saxei pectoris, quis tàm ferreus erit, quem sententia ista non terreat? Quis tàm alienus à fide, qui sententiæ isti non credat?

Idem.

Libr. 2. cap. 1. Si vna omnes ægritudine mentium laborarent, ac paribus animorum morbis affecti nihil ab inuicem discreparent, aut sustineri omnes necesse esset, aut argui. Nunc verò propterea portandi sunt alij, alij castigãdi: quia pro qualitate peccantium, modus quoque diuersus est præceptorum.

Et vtique ita dissimilia sunt peccatis adhibenda remedia, sicut ex dissimilibus causis veniunt ipsa peccata: plerosq; enim peccandi consuetudo delectat, alios ad peccandum occasio, alicuius lucri temporalis inuitat, fragilitas nonnullos inclinat, quosdam ignorantia boni facit nescire, quòd peccant, & impedit mali dulcedo, nè correpti aliquãdo sapiant, quod ignorant. Taceo de illis

quos

quos aliena delicta quibus consentiunt de-
colorant. Illos etiam prætermitto, qui cu-
pientes adipisci quod diligunt, vel refugien-
tes pati quod metuunt, aut fidem Catholi-
cam produnt, ac mendacio præstantiam ve-
ritatis addicunt. Illud verò dico; Quis ne-
sciat aliter homines cogitatione subita, aliter
definitione delinquere, aliter sermone, aliter
opere, aliter necessitate, aliter voluntate pec-
care? Quũ igitur tàm multiplicibus ac mul-
tum ab inuicem distantibus modis homi-
nes peccent, quis non intelligat vno modo
eis non posse vtique mederi, quorum tàm
diuersi sunt modi?

Concilium Trident.

Illud primum admonendos, id est pasto- *Sess.13. c.*
res eos censet, vt se pastores non percussores *1. decreti*
esse meminerint, atque ita præesse sibi sub- *de refor-*
ditis oportere, vt non in eis dominētur, sed *mat.*
illos tanquam filios, & fratres diligant, ela-
borentque vt hortando, & monendo ab il-
licitis deterreant, nè vbi deliquerint, debitis
eos pœnis coercere cogantur. Quos tamen
si quid per humanam fragilitatem peccare
contigerit, illa Apostoli est ab eis seruanda
præceptio, vt illos arguant, obsecrent, incre-
pent in omni bonitate, & patientia: cũ sæpè
plus erga corrigēdos agat beneuolentia quã
austeritas, plus exhortatio quàm commina-
tio, plus charitas quàm potestas. Sin autem
ob delicti grauitatem virga opus fuerit, tũc
cum mansuetudine rigor, cum misericordia
iudi-

iudicium, cum leuitate seueritas adhibenda est, vt sine austeritate disciplina populis salutaris ac necessaria conseruetur. & qui correcti fuerint emendentur, aut si resipiscere voluerint, cæteri salubri in eos animaduersionis exemplo à vitiis deterreantur: cùm sit diligentis & pij simul pastoris, officium morbis ouium leuia primum adhibere fomenta, post vbi morbi grauitas ita postulet, ad acriora, & grauiora remedia descendere: sin autem ne ea quidem proficiãt illis submouendis, cæteras saltem oues à contagionis periculo liberare.

Epilogus.

Quoniam tanta est mortalium procliuitas & propensio ad malum, vt ferè inuiti aliquando (quemadmodũ D. Apost. testatus est) peccent, summo studio inuigilare debẽt pastores, vt subditos suos continuè, opportunè, & importunè verbo, & virga, virga & verbo, corripiant, ac corrigant: ea ratione tamen, vt semper media charitate, magis ad misericordiam, quàm ad iustitiam flectendo, seruata peccantium ratione, quemadmodum ex prædictis sententiis, facilè cognosci potest.

DE OPERE CLERICORVM.

Cap. XXIV.

Salomon.

Eccl. 7. NE oderis laboriosa opera, & agricolationem creatam ab altissimo.

D. Pau-

D. Paulus.

Memores enim facti eſtis fratres laboris noſtri,& fatigationis, nocte, & die operantes, ne quemquam veſtrum grauaremus, prædicauimus vobis Euangelium. *1.Theſ.2.*

Idem.

Denunciamus autem vobis in nomine Domini noſtri IESV Chriſti,vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundùm traditionem quam acceperũt à nobis. Ipſi enim ſcitis quemadmodum oporteat imitari nos, quoniam nõ inquieti fuimus inter vos, neq; gratis panem manducauimus ab aliquo, ſed in labore,& fatigatione nocte & die operantes ne quem veſtrum grauaremus. Non quaſi non habuerimus poteſtatem, ſed vt noſmetipſos formam daremus vobis ad imitandũ nos. Nam & cùm eſſemus apud vos,hoc denunciabamus vobis, quia ſiquis non vult operari, non manducet. Audiuimus enim quoſdam ambulantes inter vos inordinatè nihil operantes,ſed curioſè agentes. His autem qui eiuſmodi ſunt, denunciamus & obſecramus in Domino noſtro IESV Chriſto,vt cum ſilentio operantes, ſuum panem manducent. *2.Theſ.3.*

Idem.

Et nunc commendo vos Deo, & verbo gratiæ ipſius,qui potens eſt ędificare,& dare hæreditatẽ in ſanctificatis omnibus. Argentum & aurum,aut veſtem nullius cõcupiui, *Act.20.*

ſicut ipſi ſcitis, quoniam ad ea quæ mihi opus erãt, & his qui mecum ſunt, miniſtrauerunt manus iſtæ, omnia oſtendi vobis, quoniam ſic laborãtes oportet ſuſcipere infirmos, ac meminiſſe verbi Domini Ieſu, quoniam ipſe dixit: Beatius eſt magis dare, quàm accipere.

Hieronymus.

Ruſtico. tom. I. Facito aliquid operis, vt te ſemper diabolus inueniat occupatum: ſi Apoſtoli habentes poteſtatem de Euangelio viuere, laborabant manibus ſuis ne quem grauarent, & aliis tribuebant refrigeria, quorum pro ſpiritualibus debebant meteri carnalia; Cur tu in vſus tuos ceſſura non præpares? vel fiſcellam texe iunco, vel caniſtrũ lentis plecte viminibus: ſarriatur humus, areolæ æquo limite diuidantur, in quibus cum olerum iacta fuerũt ſemina, vel plantæ per ordinem poſitæ aquæ ducantur irriguæ, vt pulcherrimorum verſuum ſpectator aſſiſtas.

Ecce ſupercilio cliuoſi tramitis vndam
Elicit: illa cadens raucũ per leuia murmur,
Saxa ciet, ſcatebriſq; arentia tẽperat arua.

Inſerantur infructuoſæ arbores, vel gemmis, vel ſurculis, vt paruo poſt tempore laboris tui poma decerpas: *Eccl. II.* Apum fabricare aluearia, ad quas te mittunt Salomonis prouerbia, & monaſteriorum ordinẽ ac regiam diſciplinam in paruis diſce corporibus. Texantur & lina capiendis piſcibus; ſcribantur libri: vt & man⁹ operetur cibum, & animus lectio-

lectione saturetur. In desideriis est omnis ociosus.

D. Augustinus.

Quid enim agant qui operari corporaliter nolunt, cui rei vacēt, scire desidero. Orationibus (inquiunt) & psalmis, & lectioni, & verbo Dei. Sancta sanè vita, & in Christi suauitate laudabilis: sed si ab his auocandi non sumus, nec manducandum est, nec ipsę escæ quotidie præparandæ, vt possint apponi, & assumi. Si autem ad ista vacare seruos Dei, certis interuallis temporum, & ipsius infirmitatis necessitas cogit: cur nō & apostolicis pręceptis obseruandis, aliquas partes temporum deputamus? Citius enim exauditur vna obedientis oratio, quam decem millia contemptoris. Cantica verò diuina cantare etiā manibus operantes facile possunt, & ipsum laborem tanquàm diuino celeumate consolari. Et post pauca: Quid ergo impedit seruum Dei manibus operantem in lege Domini meditari, & psallere nomini Domini altissimi, ita sanè vt ad ea discenda, quæ memoriter recolat, habeat seposita tempora? Ad hoc enim & illa bona opera fideliū subsidio supplēdorum necessariorum deesse nō debent, vt horum quibus ad erudiendum animū ita vacatur, vt illa opera corporalia geri non possint, non opprimant egestate. Qui autem se dicunt vacare lectioni, nonne illic inueniunt quod præcipit Apostolus? Quæ est ista ergo peruersitas,

Libr. de op. Mona. ca. 17. tom. 3.

tas, lectioni nolle obtemperare, dum vult ei vacare, vt quod bonum est diutiùs legatur, ideò facere nolle quòd legitur?

Concilium Carthag. 4.

Cap. 32. habetur d. 91. cap. Clericus. Clericus victum, & vestimentum sibi artificiolo, vel agricultura absque officij sui duntaxat detrimento, præparet.

Concilium Coloniense.

De vita Clericorum, cap. 30. Quibus non suppetit ex sacerdotio, honesto artificiolo victum quærant, sequuti D. Pauli exemplum. Sic tamen nè sordidam aliquam artem sacerdotio ignominiosam exerceant.

Epilogus.

Tametsi Actiua vita à cõtemplatiua plurimum distet, satisque difficilè videatur, vt qui vni addictus est, alteri incumbere possit, non erit tamen omninò inconueniens, si clericus honesto quodam artificiolo occupetur. Hoc tribus de causis efficere potest: vel ob sui sustentationem, cùm Ecclesiæ suę fructus tenuiores exstiterint; vel ad euitandam ocij malignitatem, vel vt Pauli Exemplo, relictis Ecclesiæ suæ prouentibus, pauperibusque erogatis, de labore manuum suarum, & in sudore vultus viuere statuat.

Quo autem artificio intendere, ex diui Hieronymi verbis, facilè cognosci potest.

QVÆ

QVÆ PRÆSERTIM FVGERE debeant. CAP. XXV.

NVlli dubium est, quòd cum Clerici in sortem Domini sint adscripti, teneanturq; virtutibus omnibus exornari, quòd versa vice omnibus vitiis nudos eos esse oporteat; dicente Apostolo: Nunc autem deponite vos omnia, iram, indignationẽ, malitiam, blasphemiã de ore vestro, expoliantes vos veterem hominẽ, & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitione Dei, secundùm imaginem eius qui creauit eum: *Coloss. 3.* Similiter cum sacerdotes presbyteri nuncupentur, id est seniores, luce clariùs nobis innotescit, teneri eos iuuenilia omnia fugere, quemadmodum etiam idem Apost. Timotheo scribẽs testatur, dicẽs: Iuuenilia autem desideria fuge: *2. Tim. 2.* nihilominùs cum inter peccata alterum altero sit grauius, virumq; senem ac grauem magis dedeceat, affirmare non erubescimus, quòd inter cætera vitia, ac peccata, hac præsertim, summo studio, ac maiori vigilantia sunt ab eis fugienda, videlicet Ocium, Libido, Auaritia, Vsura, Negociatio, Furiositas, Iudiciũ effusionis sanguinis, ludi theatrici, ars militaris, & demũ temporalis cura alienarum domorum. Quę vt manifestiùs appareant, his testimoniis comprobantur.

1. Clerici fugere debent ocium.

Multam malitiam docuit ociositas. *Eccl. 38.*

Hom.26. super Io.

Ioan. Chrysostomus.

Peruersi facti sumus ab ocio.

Hieronymus.

Rustico. Semper aliquid boni facito, ne te diabolus occupatum inueniat.

2. Libidinem.

Paulus.

Teipsum castum custodi.

Ambrosius.

Libr. de Abel & Cain. Sæuus criminum stimulus libido est, quæ nunquam manere quietum patitur affectum, Nocte feruet, die anhelat.

Beda.

Sup. Luc. habetur d.31. c. sacerdotibus. Sacerdotibus vt semper valeant altari assistere, semper ab vxoribus est abstinendum, semperque castitas obseruanda præcipitur.

3. Auaritiam.

Salomon.

Eccl.10. Auaro nil scelestius.

Paulus.

Ephes.5. * Omnis immundus aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.

Christus.

Luc.12. * Cauete ab omni auaritia, quia non in abundantia cuiusquam vita eius ex his quæ possidet.

Idem.

Heb.13. Sint mores sine auaritia, contenti præsentibus.

tibus. Ipſe enim dixit. Non te deſeram, neq; derelinquam. Ita vt confidenter dicamus, Dominus mihi adiutor eſt.

Idem.

Radix omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. *1. Tim. 6.*

Gregorius.

Bonorum auctori inhærere aliter non valemus, niſi cupiditatem à nobis (quæ omnium malorum radix eſt) abſcindamus. *Habetur d. 47. c. bonorũ.*

4. Vſuram.

Dauid.

Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? qui ingreditur ſine macula, &c. vſque ibi qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram, &c. *Pſal 14.*

Chriſtus.

Mutuum date nihil inde ſperantes. *Luc. 8.*

Canones Apoſtolorum.

Epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, vſuras à debitoribus exigens, aut deſinat, aut damnetur. *Can. 44. habetur d. 47. ca. Epiſc.*

Concilium Elibertinum.

Si quis Clericorum detectus fuerit vſuras accipere, placuit degradari, & abſtinere. *Diſt. 47. cap. ſi quis.*

Concilium Carthaginenſe.

Nullus clericorum amplius recipiat, quàm cuiquam accommodauerit, ſi pecuniam, *Can. 16.*

pecuniam accipiat: speciem eandem quantam dederit accipiat: & quicquid aliud, tantum quantum dederit, accipiat.

5. Negociationem.

Paulus.

2. Tim. 2 Nemo militans Deo implicat se negociis sæcularibus, vt ei placeat cui se probauit.

Hieronymus.

Habetur dist. 88. c. Negotiatorem. Negociatorem clericum, & ex inope diuitem, & ex ignobili gloriosum, quasi pestem fuge.

D. Augustinus.

Ibid. cap. Fornicari. Fornicari hominibus semper non licet, negotiari verò aliquando licet, aliquando non licet. antequam enim Ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari: facto iam, non licet. Si quis de hac re plura desiderat, videat ibi per totam illam dist.

Concilium Carthag. 3.

Ca. 15. Placuit vt Episcopi & Presbyteri, & Diaconi, vel Clerici non sint conductores, neque procuratores, neque vllo turpi, vel inhonesto negocio victum quærant, quia respicere debent scriptum esse. Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.

Augustinus.

[S]erm. 36. [a]d frat. [i]n Erem. Non licet dispensatori percutere seruos, non occidere, non iracundiam portare, quia Dominus eius humilis, benignus, & misericors

ricors est. Non ergo licet dispensatori furiosum esse. Nihil enim fœtidius, nihil damnosius, nihil leuius, nihil turpius in pastore furiositate.

7. Iudicium vbi sanguis effunditur.

Concilium Toletanum 4.

Si quis sacerdotum vbi sanguinis senten- *Can. 30.*
tia præparatur iudex extiterit, reus effusi san- *habetur*
guinis sit apud Christum, & apud ecclesiam *caus. 23.*
perdat proprium gradum. *q. 8. c. sa-*

8. Ludos theatricos, siue spectacula lu- *pè prin-*
dicra. *cipes.*

Concilium Laodicenum.

Non oportet ministros altaris vel quos- *Can. 54.*
libet clericos spectaculis aliquibus, quæ *de cons.*
aut in nuptiis, aut in scenis exhibentur, *d. 5. c. Ne*
interesse: sed antequam thymelici ingre- *oportet.*
diantur, surgere eos de conuiuio, & abire debere.

9. Artem militarem.

Canones Apostolorum.

Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, *Can. 82.*
qui militiæ vacauerit, & simul vtrumque retinere voluerit, tàm officium Romanum, quàm functionem sacerdotalem deponitor: quæ enim Cæsaris sunt Cæsari, & quæ *Mat. 22.*
Dei Deo.

10. Curam temporalem domorum secularium.

Hieronymus.

Procuratores, & dispensatores domorum *Nepot.*

 alie- *Tom. 1.*

alienarum, atque villarum, quomodo possunt esse Clerici, qui proprias iubentur contemnere facultates?

Epilogus.

Quasi à facie colubri fugiant Clerici vniuersa peccata, quoniam nulla ratione poterunt & Deo placere, & laicis exemplo esse, si vitiis inseruierint. Imò quemadmodum velocius, efficaciusque sese tueri student, si venenosiores, lethaliores colubros inuenerint, ita in euitãdis peccatis efficiant. Quantò enim grauiora sunt, tantò magis ex animo, ac diligentiùs ea caueant. Peccatum enim Diaboli laqueus est, animarumque nostrarum vera mors.

QVA RATIONE AD HANC dignitatem peruenire debeant.

CAP. XXVI.

D. Paulus.

Heb. 5. NEc quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. sic & Christus non semetipsum clarificauit vt põtifex fieret, sed qui loquutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Serm. 37. ad frat. in Eremo.

D. Augustinus.

Fratres, qui sacramentum emit, vel Ecclesiam, vel Præbendas, vel Ecclesiarum introitus, vel seculari potentia hoc per se procurauit, sciat quòd cum Giezi, & Iuda iam damnatus est: iam leprosus factus est, iam de templo

templo Domini expellendus eſt. Quare ſic? Quia qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliundè, fur eſt, & latro. Ideo reprehendendus eſt, quia ementes, & vendentes Dominus eiicit de templo, repellendus eſt, quia leproſi eiici iubentur. Non intrat per oſtium ad Eccleſiam, qui per laicalem portam intrat. Non enim laicis ſpiritualia dona tradita ſunt, ſed dominis Vicariis. Vicarij domini ſunt, qui vicem Apoſtolorum tenent. Caſtella autem & villas ſuas laici diſpenſent, bona autem Hiponenſis Eccleſiæ vigilanter attendant ne tangant. Diuites enim rarò vel nunquam pauperibus ſacerdotibus præbendas procurant, & ſi procurant, non Dei amore procurant, ſed vt cum vxore, & familia de bonis Eccleſię gaudere valeant. *Ioan.10.*

Proſper.

Hi ſunt, qui non ambiendo, ſed ſpiritualiter viuendo ſacerdotium meruerunt: quique non fauoris humani ſuffragio, ſed diuino munere ſublimati, nihil ſibi de præſtantia ſui principatus applaudunt. *Lib.2. de vita cõtemplat. cap.2.*

Canones Apoſtol.

Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, deijciatur & ipſe & ordinator eius, & à communione modis omnibus abſcindatur, ſicut Simon Magus à Petro. *Can.30.* *Act.20.*

Ibidem. *Can.31.*

Si quis Epiſcopus ſæcularibus poteſtati- *habetur*

caus.16. q.7.c.si quis. bus vsus Ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur, & segregetur, omnesque qui illi communicant.

Paschalis Pap.

Ibid.c.si quis. Si quis Clericus, Abbas, vel Monachus per laicos Ecclesias obtinuerit, secundùm sanctorum Apostolorum canones, & Antiocheni concilij capitulum, excommunicationi subiaceat.

Concilium Auernense.

Cap.2. Placuit etiam vt sacrum quis Pontificij honorem non votis quęrat, sed meritis: nec diuinum videatur munus comparare rebus, sed moribus: atque eminentissimæ dignitatis apicem omnium conscendat electione, non paucorum fauore.

Epilogus.

Tametsi Clericatus dignitates iure optimo desiderari possint, dicente Apostolo, si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: tamen in ouile ouium, minimè intrare debent nisi per veram portam. Quare si quis, fauore, minis, promissione, pecunia, vel alio quouis modo ab Ecclesia non recepto, ingressus fuerit, sciat se grauiter peccasse, & cùm Anania, giezi, ac Simone Mago graui pœna dignum se fecisse: ille verò, qui dignitates spirituales appetit, Isidori dictum memoria teneat, vt videlicet ante in se discutiat, si vita honori sit congrua.

De sum. bon lib.3. cap 34.

AN LICEAT ECCLESIAS-ticas dignitates renuere?

CAP. XXVII.

Gregorius.

NAm sunt nonnulli qui eximia dona virtutum percipiunt, & pro exercitatione cæterorum magnis muneribus exaltantur, qui studio castitatis mundi, abstinentiæ robore validi, doctrinæ dapibus referti, patientiæ longanimitate humiles, authoritate fortitudinis erecti, pietatis gratia benigni, iustitiæ seueritate districti sunt. Qui nimirum culmen regiminum si vocati suscipere renuunt, ipsa sibi pleraq; dona adimũt: quæ non pro se tantummodo, sed etiam pro aliis acceperunt. Cumque sua & non aliorum lucra cogitant, ipsi se quæ priuata habere appetunt, bonis priuant. Hinc itaq; ad discipulos veritas dicit. Non potest ciuitas abscondi, suprà montẽ posita, & nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Hinc Petro ait: Simon Ioannis amas me? qui cum amare se protinus respondisset, audiuit. Si diligis me, pasce oues meas. Si ergo dilectionis est testimonium cura passionis, quisquis virtutibus pollens gregem Dei pascere renuit, pastorem summum conuincitur non amare. Hinc Paulus dicit, si Christus pro nobis mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Et si

In 1. par. Past. c. 5. tom. 1.

Luc. 21.

Ioan. 21

Deut. 15

pro omnibus mortuus est, superest vt qui viuunt iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. Hinc Moyses ait, vt vxorem fratris sine filiis, defuncti superstes frater accipiat; atque ad nomen fratris filios gignat: quam si accipere fortè renuerit, huic in faciē mulier expuat: vnumq; ei pedem propinquus discalciet, eiusq; habitaculum domus discalciati vocetur. Frater quippè defunctus ille est, qui post resurrectionis gloriam apparens dixit. Ite nunciate fratribus meis. Qui quasi filiis obiit, quia adhuc electorum suorum numerum non impleuit. Huius scilicet vxorem superstes sortiri præcipitur, quia dignum profectò est, vt cura sanctæ Ecclesiæ ei qui hanc benè regere præualet imponatur. Cui nolenti in faciem mulier expuit, quia quisquis ex muneribus quæ perceperit, aliis prodesse non curat, bonis quoque eius sancta Ecclesia exprobans, quasi in faciem saliuam iactat. Cui ex vno pede calciamentū tollitur, vt discalciati domus eius vocetur, scriptum quippè est, Calciati pedes præparatione Euangelij pacis. Si ergo vt nostrā sic curam proximi gerimus, vtrumq; pedem per calciamentum munimus. Qui verò suam cogitans vtilitatē, proximorum vestigia, quasi vnius pedis calciamentum cum dedecore amittit. Sunt itaq; nonnulli qui magnis, vt diximus, muneribus ditati, dum solius contemplationis studiis inardescūt, parere vtilitati proximorum

Ephes. 5.

præ-

prædicatione refugiunt, ſecretum quietis diligunt, ſeceſſum ſpeculationis petunt. De quo ſi diſtrictè iudicentur, ex tantis proculdubio rei ſunt, quantis venientes ad publicum prodeſſe potuerunt. Qua enim mente is qui proximis profuturus eniteſceret vtilitati cæterorum, ſecretum proponit ſuum, quando ipſe ſummi patris vnigenitus vt multis prodeſſet, de ſinu patris egreſſus eſt ad publicum noſtrum.

Idem.

Et ſunt nonnulli qui ex ſola humilitate refugiunt, nè eis quibus impares ſe æſtimāt præferantur. Quorum profectò humilitas ſi cæteris quoque virtutibus cingitur, tunc ante Dei oculos vera eſt, cum ad reſpuendū hoc quod vtiliter ſubire præcipitur, pertinax non eſt: neque enim verè humilis eſt, qui ſuperni nutus arbitrio, vt debeat præeſſe intelligit, & tamen præeſſe contemnit. Sed diuinis diſpoſitionibus ſubditus, atque à vitio obſtinationis alienus, cum ſibi regiminis culmen imperatur, ſi iam donis præuentus eſt, quibus & aliis proſit, & ex corde debet fugere, & inuitus obedire. *Ibid.c.6.*

Iſidorus.

Vir Eccleſiaſticus & crucifigi mundo per mortificationem propriæ carnis debet, & diſpenſationem Eccleſiaſtici ordinis, ſi ex Dei voluntate peruenerit, nolens quidem, ſed humilis gubernandam ſuſcipiat. Multis intercipit ſathanas fraudibus eos qui vitæ, *Lib.3.de ſum. bon. cap. 35.*

& sensus vtilitate præstantes preesse & prodesse aliis nolunt, & dum eis regimen animarum imponitur, renuunt: consultius arbitrantes ociosam vitam agere, quàm lucris animarũ insistere. Quod tam decepti agunt per augmentum diaboli fallentis eos per speciẽ boni, vt dum illos à pastorali officio retrahit, nequaquam perficiant qui eorum verbis atq; exemplis instrui poterant. Sancti viri nequaquam occupationum secularium curas appetunt, sed occulto ordine sibi super impositas gemũt. Et quamuis illam per meliorem intentionẽ fugiant, tam per subditam mẽtem portant. Quas quidem summoperè si liceat vitare festinant; sed timentes occultam dispensationem Dei suscipiũt quod refugiunt, exercent quod vitare noscuntur. Intrant enim ad cor, & ibi cõsulunt quod velit occulta voluntas Dei, seseq; subditos debere esse summis ordinationibus cognoscentes, humiliant ceruicem cordis iugo diuinæ dispensationis.

D. Thomas.

An liceat Episcopatum iniunctum omnino recusare.

2.2.q. 185.a.2. Videtur quòd liceat Episcopatum iniunctum omninò recusare. Vt enim Gregor. d. in pastorali, per actiuam vitam prodesse proximis cupiens Esaias, officium prædica-
p. arg. tionis appetiit, per contemplatiuam verò Ieremias amori cõditoris sedulò inhærere de-

side-

ſiderans, ne mitti ad prædicandum debeat, contradicit: nullus autem peccat, ſi meliora nolit deſerere vt minus bonis inhæreat. Cùm ergo amor Dei præmineat dilectioni proximi, & vita contemplatiua præferatur vitæ actiuæ, vt ex ſupra dictis patet, videtur quòd non peccat ille qui omninò Epiſcopatum recuſat. Prætereà.

2. Sicut Gregor. dicit, Valdè difficilè eſt vt aliquis ſe purgatū poſſit cognoſcere: nec debet aliquis non purgatus ſacra myſteria adire, ſi ergo aliquis non ſentiat ſe eſſe purgatum, quantumcunque ſibi epiſcopale iniungatur officium, non debet illud ſuſcipere. Prætereà.

3. De B. Marco dicit Beatus Hierony. quòd amputaſſe ſibi poſt fidem pollicem dicitur, vt ſacerdotio reprobus haberetur, & ſimiliter aliqui votum emittunt, vt nunquam Epiſcopatum accipiant. Sed eiuſdem rationis eſt ponere impedimentum ad aliquid, & omninò recuſare illud, ergo videtur, quòd abſque peccato poſſit aliquis omnino epiſcopatum recuſare. *In prolo. ſuper Euangel. Marc.*

Sed contra eſt quòd Auguſt. dicit ad Eudox. Si qua opera veſtra mater Eccleſia deſiderauerit, nec elatione auida ſuſcipiatis, nec blandiente deſidia reſpuatis: poſtea ſubdit. Neque ocium veſtrum neceſſitatibus Eccleſiæ præponatis, cui parturienti, ſi nulli boni miniſtrare vellent, quomodo naſceremini non inueniretis.

Reſpondeo, Dicendum: quòd in aſſumptione Epiſcopatus, duo ſunt conſideranda, primò quidem quod deceat hominem appetere ſecundùm propriam voluntatem, ſecundò quid hominem deceat facere ad voluntatem alterius. Quantum ergò ad propriam voluntatem, conuenit homini principaliter inſiſtere propriæ ſaluti, ſed quòd aliorum ſaluti intendat, hoc cõuenit homini ex diſpoſitione alterius poteſtatem habentis, vt ex ſuprà dictis patet, vnde ſicut ad inordinationem voluntatis pertinet quòd aliquis proprio motu feratur in hoc, quòd aliorum gubernationi præficiatur, ita etiam ad inordinationẽ voluntatis pertinet, quòd aliquis omninò contra ſuperioris iniunctionem prædictũ gubernationis officium finaliter recuſet, propter duo: primò quidẽ quia hoc repugnat charitati proximorum, quorum vtilitati ſe aliquis debet exponere pro loco & tempore. Vnde Aug. 19. de ciuit. Dei, dicit, quòd negocium iuſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis: ſecundò quia hoc repugnat humilitati, per quã aliquis ſuperiorum mãdatis ſe ſubiicit. Vnde Gregor. d. in Paſtorali, quòd nunc ante Dei oculos vera eſt humilitas, cum ad reſpuendum hoc quod vtiliter ſubire præcipitur, pertinax non eſt.

Ad primum ergo dicẽdum, quòd quamuis ſimpliciter, & abſolutè loquendo, vita contemplatiua potior ſit quàm vita actiua, & amor Dei quàm dilectio proximi, tamen ex alia

ex alia parte, bonum multitudinis præferẽdum est bono vnius. Vnde Aug. d. in verbis præmissis: neq; ocium vestrum necessitatibus Ecclesiæ præponatis, præsertim quia hoc ipsum ad dilectionẽ Dei pertinet, quòd aliquis ouibus Christi curam pastoralẽ impendat. Vnde super illud Ioã. vlt. Pasce oues meas, d. August. Sit amoris officium pascere dominicum gregem, sicut fuit timoris indicium negare pastorem. Similiter etiam prælati nõ sic transferuntur ad vitam actiuam, vt contemplatiuam deserant. Vnde August. d. 19. de ciuit. Dei, quòd si imponatur sarcina pastoralis officij, nec sic deserenda est dilectio veritatis, quę scilicet in contemplatione habetur.

Ad secundum, dicendum: quòd nullus tenetur obedire Prælato ad aliquod illicitũ, sicut patet ex his, quæ suprà dicta sunt de obedientia. potest ergo contingere quòd ille cui iniungitur prælationis officium, in se aliquid sentiat, per quod non licet ei prælationem accipere. Hoc autem impedimentum quandoque quidem remoueri potest per ipsummet, cui pastoralis cura iniungitur, puta si habeat peccandi propositũ, quod quidẽ potest deserere, & propter hoc nõ excusatur quin finaliter teneatur obedire prælato iniũgenti. Quandoq; verò impedimẽtum ex quo fit ei illicitum pastorale officiũ, non potest ipse remouere, sed prælatus qui iniungit, puta si sit irregularis, vel excõmunicatus:

nicatus: & tunc debet defectum suum prælato iniungenti ostendere, qui si impedimẽtum remouere voluerit, tenetur humiliter obedire. Vnde cùm Moyses dixisset, obsecro Domine, non sum eloquens ab heri & nudius tertius, Dominus respondit ad eum. Ego ero in ore tuo, doceboque te quid loquaris. Quandoque verò non potest remoueri impedimentum nec per iniungentem, nec per eum cui iniungitur; sicut si Archiepiscopus non possit super irregularitatem dispensare, vnde subditus nõ tenetur ei obedire ad suscipiendum Episcopatum, vel etiam sacros ordines si sit irregularis.

Ad 3. dicendum, quòd accipere Episcop. non est de se necessarium ad salutem, sed fit necessarium ex superioris præcepto, his autem quæ sic sunt necessaria ad salutem, potest aliquis impedimentum licitè apponere antequam fiat præceptum; alioquin non liceret alicui transire ad secundas nuptias, nè per hoc impediretur à susceptione Episcopatus, vel sacri ordinis. Non autem hoc liceret in his quę per se sunt de necessitatis salutis Vnde Beatus Marcus non contra præceptum egit, sibi digitũ amputando, quamuis eum credibile sit hoc ex instinctu Spiritus sancti fecisse, sine quo non licet alicui sibi manum inijcere. Qui autem notum emittitt de non suscipiendo episcopatum, si per hoc intendat se obligare ad hoc, quòd nec per obedientiam superioris prælati acci-

piat, illicitè vouet, si autem intendit ad hoc se obligare, vt quantum est de se, episcopatum non quærat, nec suscipiat nisi imminente necessitate, licitum est votum, quia vouet se facturum id quod hominem facere decet.

Epilogus.

Et si liceat aliquando oblatam dignitatem renuere, & præsertim sacerdotalem, quemadmodum & quàm plurimos fecisse legitur, præsertim Nepotianum ac D. Franciscum, quem diaconatus tantum ordine contentum fuisse scriptores asserunt, imò de quibusdam legitur proprios digitos obtruncasse; iuxta tamen sanctorum patrum doctrinam, considerent, qui huiusmodi opinionis sunt, quo fine id renuant. Multoties enim vt D. Prosper dicebat accidit, vt iccirco renuant, ne laborem suscipiant, suæq; commoditati consulant. Considerent igitur, quàm diligentissimè diuinæ bonitatis dispensationem, cui etsi pro summa humilitate exemplo Mosis, Dauidis, ac quam plurium non inconuenit, vt ex humilitate, dicant. Ego minimus sum in domo patris mei, tamen cum diuinam voluntatem eam esse cognoscant, vt oneri succumbant, nulla ratione recusent, sed cùm Salomone dicant: Domine da mihi cor docile, vt populum istum iudicare possim, & discernere inter bonum, & malum.

QVAM

QVAM PERICVLOSVM SIT & difficile alijs praeesse, curamq́; animarum habere.

CAPVT XXVIII.

D. Augustinus.

Lib.de pastor.c. 1.tom.9. NOs enim quos in loco isto, de quo periculosa ratio redditur, Dominus secundùm dignationem suam, non secundùm meritum nostrum cõstituit. Habemus duo quædam planè distinguenda; vnum quod Christiani sumus, alterum quod præpositi sumus. Illud quod Christiani, propter nos est, quod autem præpositi sumus, propter vos est. In eo, quòd Christiani sumus, attenditur vtilitas nostra, in eo, quod præpositi sumus, non nisi vestra: sunt autem multi Christiani, & nõ præpositi, qui perueniũt ad Deum faciliori fortassè itinere, & tãtò fortè expeditius ambulantes, quantò minorem sarcinam portant. Nos autem excepto, quod Christiani sumus, vnde rationem debemus reddere Deo de vita nostra, sumus etiam præpositi, vnde rationem reddituri sumus Deo de dispensatione nostra.

CONCLVDITVR OPVSCVlum his adhortatorijs sententijs.

CAP. XXIX.

Paulus.

1.Tim.5. Habetur dist.83.c. Nemo. QVi bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni sunt: maximè qui laborant verbo & doctrina.

D.Au-

D. Augustinus.

Nemo in Ecclesia Dei magis nocet, quàm qui peruersè agẽs, nomen vel ordinem sanctitatis & sacerdotis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur.

Hieronymus.

Habet vnumquodque propositum principes suos. Romani Duces imitentur, Camillos, Fabricios, Regulos, Scipiones. Philosophi proponant sibi Pytagoram, Socratem, Platonem, Aristotelem. Poëtæ æmulentur Homerum, Virgilium, Menandrũ, Terentium. Historici Tucididem, Sallustium, Herodotum, Liuiũ, & vt ad nostra veniamus, Episcopi & Presbyteri habeant in exemplum Apostolos, & Apostolicos viros, quorum honorem possidentes, habere nitantur, & meritum. *Paulino epist. 13. tom. 1.*

Ioan. Chrysostomus.

Multi sacerdotes, & pauci sacerdotes. Multi in nomine, & pauci in opere. Videte ergo quomodo sedeatis super cathedram, quia cathedra nõ facit sacerdotem, sed sacerdos cathedrã. Non locus sanctificat hominẽ, sed homo locum. Qui benè sederit super cathedrã, honorẽ accipit ab illa: qui malè sederit, iniuriam facit cathedræ. In iudicio enim sedes: si benè vixeris quidem, & benè docueris, omniũ iudex eris. Si autem benè *Hom. 25. sup. Mat. tom. 7.*

docue-

docueris, & malè vixeris, tui solius. Nam benè viuendo, & bene docendo, populum instruis quomodo debeat viuere, benè autem docendo, & malè viuendo, instruis Deum quomodo te debeat condemnare.

NOTA. D. PROSPERI LVCTVOSI descriptio sacerdotis carnaliter viuentis. CAP. XXX.

Lib. 1. de vita cōtempl. cap. 21.

SEd nos præsentibus delectati, dum in hac vita commoda nostra, & honores inquirimus, non vt meliores, sed vt ditiores: nec vt sanctiores, sed vt honoratiores simus cæteris festinamus, nec gregem domini qui nobis pascendus, tuendusq; nobis commissus est, sed nostras voluntates, dominationem, diuitias, & cætera blandimenta carnaliter cogitamus: pastores dici voluimus, nec tamen esse contendimus: officij nostri vitamus laborem, appetimus dignitatem. Immundorum spirituum feras à grege dilacerando non pellimus, & quod eis remāserit, ipsi consumimus, quādo peccantes diuites, vel potentes, non solum non arguimus, sed etiam veneramur: nè nobis aut munera solita offensi non dirigant, aut obsequia desiderata subducant: ac sic, muneribus eorum, & obsequiis capti, imò per hæc illis addicti, loqui illis de peccato suo, aut de futuro iudicio formidamus. Et ideò minaciter superbiam nostram diuinus sermo contundit, sed noster auditus nihil vnde proficiamus admittit.

mittit: quia præſentis vitæ capti dulcedine,
quæ pœna negligentiam noſtram maneat
in æternum, nolumus cogitare. In paſtores
ergo dicuntur iſta, de quorum nobis inani
appellatione blandimur. Hæc dicit Domi- Ezec. 34.
nus, væ paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſe-
metipſos. Nonne greges paſcuntur à paſto-
ribus? lac comedebatis, & lanis operieba-
mini, quod craſſum erat occidebatis, gregẽ
aũt meum non paſcebatis. Quod infirmum
fuit non conſolidaſtis, & quod ægrotũ non
ſanaſtis, quod fractum nõ alligaſtis, & quod
abiectum nõ reduxiſtis. Quod perierat non
quæſiſtis, ſed cum auſteritate imperabatis
eis, & cum potentia: & diſperſæ ſunt oues
meæ, eo quòd non eſſet paſtor, & factæ ſunt
in deuorationem omnium beſtiarum agri.
Et paulò pòſt: Propterea paſtores audite ver-
bũ Domini. Viuo ego, dicit Dominus, quia
pro eo quod facti sũt greges mei in rapinã,
& oues meæ in deuorationẽ omniũ beſtia-
rum agri, eò quòd non eſſet paſtor, neque
enim quæſierunt paſtores gregem meum,
ſed paſcebãt paſtores ſemetipſos, & gregem
meum non paſcebant. Prętereà paſtores au-
dite verbum Domini. Hæc dicit Dominus:
Ecce ego ipſe ſuper paſtores, requiram gre-
gem meum de manu eorum, & ceſſare eos
faciam, vt vltra nõ paſcant gregem meum,
nec paſtores amplius paſcant ſemetipſos.
quis ad hæc non contremiſcat? Quis iſta ſi-
ne intolerabili metu, futuræ examinationis

accis-

accipiat, niſi qui aut non intelligit, aut futura nō credit? Sed quia omnia quæ Deus obſeruari voluit, tàm apertè poſuit, & ita nominis ſui authoritate firmauit, vt ea facilius (quod dictu quoq; nefas eſt) cōtemnamus, quàm nos intelligere, vel non credere tàm aperta, & diuina fingamus, quando audimus, Hæc dicit Dominus: quis non futurū eſſe credat, quòd dicit Dominus, niſi qui Deo non credit? Quod autem dicit væ paſtoribus: iſtud væ, pro maledicto poni, & paſtorem nomine nos ſignificari, quis non intelligat, niſi qui futura non cogitat? Gregem domini paſcendum paſtores facti ſuſcepimus, & nos ipſos paſcimus, quādo non gregum vtilitati proſpicimus, ſed quid foueat, & augeat noſtras voluptates attendimus. Lac, & lanas ouium Chriſti oblationibus quotidianis ac decimis fideliū gaudentes accipimus, & curam paſcendorum gregum, ac reficiendorum, à quibus peruerſo ordine volumus paſci, deponimus. Non ſanamus ſpirituali conſilio peccatis infirmū, nō ſacerdotali ope conſolidamus atq; reficimus diuerſis tribulationibus fractum, nō ad viam ſalutis reuocamus errantem, non requirimus ſolicitudine paſtorali veniæ deſperatione iam perditū, ad hoc tantum potentes effecti, vt nobis in ſubiectos dominationem tyrannicam vindicemus, non vt afflictos contra violentiam potentium, qui in eos ferarū more ſæuiunt defendamus. Inde

eſt quòd

eſt quòd tàm à potētibus huius mundi, quā à nobis, quod peius eſt, nonnulli grauiter fatigati depereunt, quos ſe de manu noſtra Dominus requiſiturum terribiliter cōminatur, dicēs. Requiram oues meas de manu paſtorum, & ceſſare eos faciam, vt vltra non paſcāt. Quod quid eſt aliud, quàm paſtores, qui ſemetipſos non gregem meum paſcūt, ſublimitate ſuæ dignitatis expoliem, & inter reprobos, quia honorem ſuum * noluerunt cuſtodire, proiiciam? Horum, & his ſimilium cōſideratione perterritus Propheta, Timor, & tremor, inquit, cæciderunt ſuper me, & contexerunt me peccatorum meorum tenebræ, & dixi: Quis dabit mihi pennas ſicut columbę, & volabo, & requieſcam? Et hoc eſt totum propter quod imperitiæ meæ, ac futuri finis recordatus ingemui, & volui ſarcina epiſcopatus mei depoſita, elongare fugiens, & manere in ſolitudine, & ibi expectare dominum, qui me ſaluum faceret à puſillanimitate mea, & ab ipſa intolerabilium mihi ſolicitudinum tempeſtate.

* *Venerunt.*

F I N I S.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Excudebat Stephanus Hemmerden, Sumptibus
Petri Henningi.
ANNO M. DC. X.